Theo

Toronto University Library

Presented by

University of Oxford

through the Committee formed in

The Old Country

to aid in replacing the loss caused by

The disastrous Fire of February the 14th 1890

R-Theol

SYLLOGE CONFESSIONUM

SUB TEMPUS

REFORMANDÆ ECCLESIÆ

EDITARUM,

VIDELICET,

PROFESSIO FIDEI TRIDENTINA.
CONFESSIO HELVETICA.
——————— AUGUSTANA MDXXXI.
——————— AUGUSTANA MDXL.
——————— SAXONICA.
——————— BELGICA.

SUBJICIUNTUR

CATECHISMUS HEIDELBERGENSIS

ET

CANONES SYNODI DORDRECHTANÆ.

EDITIO ALTERA ET AUCTIOR.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
MDCCCXXVII.

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

5563
29/9/20

NIHIL in hac Sylloges editione mutavimus, nisi quod Confessionis Augustanæ formulas duas inseruimus; primam nempe quæ Carolo quinto Imperatori in comitiis Augustanis anni 1530 exhibita est, et quæ Vitembergæ prodiit anno proxime sequente; alteram deinde a Melancthone variatam, quæ in colloquio Wormatiensi anni 1540 exhibita eodem anno Vitembergæ publici juris facta est.

Satis omnibus notum est, mutationem a Melancthone factam variarum inter Protestantes Germaniæ controversiarum materiam suppeditasse. De quibus controversiis disceptare nec hujus loci nec temporis est. Eo tandem res rediit, ut Lutherani invariatæ, qui vero e Zuinglianis Confessionem Augustanam acceperant, variatæ formulæ adhærerent.

Quibus autem rationibus motus prior hujusce Sylloges Editor variatam tantum formulam dederit, non satis liquet; id enim proculdubio propositum sibi habuit ut omnes Protestantium omnium Confessiones incorruptas sane et genuinas in manus Clericorum traderet. Credibile est igitur illum invariatam Augustanæ Confessionis formulam aut incon-

sulto aut inscienter, aut re non satis mature perpensa prætermisisse. Id saltem minime dubium est, in ea tantum et non in altera doctrinam quæ a Protestantibus in comitiis Augustanis Car. V. Imp. exhibita est, inveniri. Nos itaque eam inseruimus, editionem Tittmanni secuti, qui Confessionem Augustanam, inter alios Ecclesiæ Lutheranæ libros Symbolicos, ad editionem principem ipsius Melancthonis recensitam edidit Lipsiæ anno 1817.

Cæterum, uti dictum est, nihil aliud mutavimus.

PRÆFATIO.

EX quibus partibus hæc conflata sit Sylloge, quænam singularum origo fuerit et historia, Titulus operis, et breves quæ sequuntur Præfationes, ex Corpore Confessionum pleræque huc translatæ, satis designant. Catechismus autem Heidelbergensis, et Canones Synodi Dordrechtanæ proprias habent, eadem qua opera ipsa auctoritate promulgatas, præfationes. Quo consilio horum præ cæteris librorum delectum fecimus, et recudi jussimus, paucis exponendum restat. Esse Confessiones hasce antiquitate sua venerabiles, et publica auctoritate munitas prodiisse, res ipsa declarat; in manifesto est etiam easdem ad eam pertinere tempestatem, in qua redintegratæ jam doctrinæ potiti summa cum intentione animi reformandæ religioni studebant homines; et ad eas insuper Ecclesias, quæ in istis temporibus, vel in iis quæ proxime subsequebantur, maximi erant nominis et auctoritatis. Jam Professio Tridentina, aperta certe et simplex, sine ulla tergiversatione ea exhibet dogmata, in quibus post exhaustas fere cum Reformatoribus controversias subsedit Ecclesia Romana. Confessiones Helvetica et Augustana libri sunt Ecclesiarum, quæ cum in reformanda religione principes erant, tum mox aliquo modo in diversas partes abierunt. Saxonica Augustanæ redintegratio est et confirmatio. Belgica est istius Ecclesiæ formula, quæ inter eas quæ ex Helvetica originem habuerunt maxime eminuit.

Sed quod omnibus commune est, habemus in illis non privatam cujusvis opinionem, sed publicum Ecclesiarum consensum. Alia est quæstio quid Lutherus, quid Melancthon, quid Calvinus privatim senserit, alia, quid publice ita proposuerunt, ut communi suorum consensu muniretur, et in legem transiret. In privatis disputationibus ingenio suo habenas dare solent homines; argumentandi ardore efferuntur; et dum in hoc vel illo argumento versantur, aut hunc vel illum errorem intentius spectant, et verbis acriter coarguunt, frequenter ex altera parte in illud incidunt, quod incautius dictum sit, et justæ exceptioni obnoxium. Nec vero ea omnia, quæ sibi ipsis opinioni sint, tam firmo assensu amplectuntur, ut necessario credenda esse autument, et ab aliis exigenda. Itaque tum demum severiorem sibi legem indicunt homines, cum recognoscunt consilia sua, et sentiunt, quam illud grave onus est, et religiose administrandum, aliis in rebus maximi momenti legem dare, et Ecclesiæ normam circumscribere: in qua re etiam aliorum judicium expectandum est, et consensus quam maxime fieri potest omnium communis. Debent itaque et solent quidem plerumque, nisi cum nimium partium studium omnium animos infecerit, circumspectius et religiosius agere, quam cum privatam sententiam exponunt, et inter disputandum tuentur. Animadvertendum est etiam, quod fere consequens esse videtur, quam prudenter et moderate antiquæ hæ Confessiones in iis explicandis versantur quæ subtilioris sunt argumenti, quod et de Confessionibus istarum Ecclesiarum dicendum est, quæ in his rebus rigidæ nimis et severæ audiunt. Sentiebant nimirum esse

nonnulla, quæ, cum theoriam potius quam praxim spectent, et sint reconditæ scientiæ, nec sine subtili indagatione enucleanda, possunt a prudentibus viris sine periculo teneri, et hinc inde eventilari; sed si in vulgus jactitentur, nimiam sui fiduciam et arrogantiam, et aliorum contemptum pariunt, vigilantiæ autem et modestiæ vere Christianæ aditum præcludunt. Proponit simplicibus religio Christiana quod omnes et intelligere et facere possunt; de difficultatibus quæ suboriuntur, quarum nonnullæ captum humanum omnino exsuperare videntur, illud Christi usurpandum est, οὐ πάντες τοῦτο χωροῦσιν. Haud nefas esse credimus, sapientibus et doctis in his se exercere, modo id quod certum est firmiter teneant; qui autem occasionem exinde arripiunt Ecclesiam in partes scindendi, qui hæc necessaria esse ad salutem, et omnibus primo in loco propinanda volunt, viderint, ne in errorem inciderint, qui præ omnibus ejusdem generis maximus est et nocentissimus.

Sed exemplis rem comprobemus.

Helvetica Confessio de libero arbitrio inter alia hæc habet: "In regeneratione, intellectus illumina-
" tur per Spiritum Sanctum, ut et mysteria et vo-
" luntatem Dei intelligat. Et voluntas ipsa, non
" tantum mutatur per Spiritum, sed etiam instruitur
" facultatibus, ut sponte velit et possit bonum." (p. 32.) Rursus, "Duo observanda esse docemus. Pri-
" mum, regeneratos in boni electione et operatione,
" non tantum agere passive, sed active. Aguntur
" enim a Deo, ut agant ipsi, quod agunt. Recte
" enim Augustinus adducit illud quod Deus dicitur
" noster adjutor. Nequit autem adjuvari, nisi is,
" qui aliquid agit. Manichæi spoliabant hominem

" omni actione, et veluti saxum et truncum faciebant.
" Secundum, in regeneratis remanere infirmitatem....
" Proinde infirmum est nostrum illud liberum arbi-
" trium, propter reliquias remanentis in nobis ad fi-
" nem usque vitæ nostræ, veteris Adami, agnatæ-
" que corruptionis humanæ." Augustana MDXL.—
" De libero arbitrio docent, quod humana voluntas
" habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem
" justitiam, et diligendas res rationi subjectas. Sed
" non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ jus-
" titiæ spiritualis." (p. 176.) Saxonica—" In ho-
" mine libertatem voluntatis talem esse, ad regen-
" dos externos motus membrorum, qua etiam non
" renati uteunque disciplinam, quæ est externa obe-
" dientia juxta legem, præstare possunt. Sed homo
" nequaquam potest se liberare a peccato, et morte
" æterna, viribus naturalibus: sed hæc liberatio et
" conversio hominis ad Deum, et novitas spiritualis,
" fit per Filium Dei vivificantem nos Spiritu suo
" Sancto, ut dictum est Rom. viii. *Si quis Spiri-*
" *tum Christi non habet, hic non est ejus.* Et vo-
" luntas, accepto Spiritu Sancto, jam non est otiosa."
(p. 259.) Belgica—" Itaque improbus atque per-
" versus effectus, in viisque suis omnibus et studiis
" corruptus, præclara illa dona amisit, quibus illum
" ornaverat: adeo ut non nisi exiguæ scintillæ et
" vestigia exilia illi relicta sunt, quæ tamen suffi-
" ciant ad inexcusabiles reddendos homines, quia
" quicquid in nobis est lucis, in cæcas tenebras sit
" conversum, ut et Scriptura ipsa docet, dicens, *Lux*
" *in tenebris lucet, et tenebræ illam non comprehen-*
" *derunt.*" (p. 335.)

De Justificatione per Fidem, Helvetica—" Quam-

" vis ergo doceamus cum Apostolo hominem gratis
" justificari per fidem in Christum, et non per ulla
" opera bona, non ideo tamen vilipendimus aut con-
" demnamus opera bona. Cum sciamus hominem
" nec conditum nec regenitum esse per fidem ut
" otietur, sed potius, ut indesinenter quæ bona et
" utilia sunt faciat." (p. 55.) Belgica—" Cæterum,
" proprie loquendo, nequaquam intelligimus ipsam
" fidem per se, seu ex se, nos justificare, ut quæ sit
" duntaxat veluti instrumentum, quo Christum jus-
" titiam nostram apprehendimus." (p. 340.) Rursus; " Tantum abest igitur ut fides hæc justificans
" homines a recta sanctaque vivendi ratione avocet,
" aut tepidiores efficiat, ut contra absque illa nemo
" unquam quicquam boni propter Deum (sed omnia
" vel propter seipsum, vel ob metum justæ condem-
" nationis) agere atque operari possit. Fieri itaque
" non potest ut hæc fides sancta in homine otiosa
" sit. Neque enim loquimur de fide vana atque
" mortua, sed de ea tantum quæ in Scriptura dicitur
" per charitatem operari; quæque impellit hominem
" ut in illis sese operibus exerceat, quæ Deus ipse
" in verbo suo præcepit." (p. 341.) Sedulo utraque præcavere videtur, ne subitæ conversioni aut enthusiasticæ fidei fidant homines. Augustana, de eadem re—" Primum igitur de fide et justificatione sic do-
" cent, Christus apte complexus est summum Evan-
" gelii, cum Lucæ ultimo jubet prædicari in nomine
" suo pœnitentiam et remissionem peccatorum.
" Nam Evangelium arguit peccata, et requirit pœ-
" nitentiam, et simul offert remissionem peccatorum
" propter Christum, gratis, non propter nostram dig-
" nitatem. Et sicut universalis est pœnitentiæ præ-

" dicatio, ita et promissio gratiæ universalis est, et " omnes credere jubet et accipere beneficium Christi, " sicut Christus inquit, *Venite ad me omnes qui one-* " *rati estis.*" (p. 179.) Universalem autem hanc redemptionem pariter disertis verbis denunciat Confessio Helvetica: " Docemus interim semper et om- " nibus peccatoribus aditum patere ad Deum, et " hunc omnia omnibus fidelibus condonare peccata, " excepto uno illo peccato in Spiritum Sanctum." (p. 50.)

Denique de Prædestinatione Helvetica hæc habet: " Deus ab æterno prædestinavit vel elegit libere " et mera sua gratia, nullo hominum respectu, sanc- " tos, quos vult salvos facere in Christo, juxta illud " Apostoli: *Deus elegit nos in ipso, antequam ja-* " *cerentur fundamenta mundi.*" Subjicit subinde, " Ergo non sine medio, licet non propter ullum me- " ritum nostrum, sed in Christo, et propter Chris- " tum, nos elegit Deus, ut qui jam sunt in Christo " insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi " vero, qui sunt extra Christum." Rursus, " Et " quamvis Deus norit, qui sint sui, et alicubi mentio " fiat paucitatis electorum, bene sperandum est ta- " men de omnibus, neque temere reprobis quisquam " est annumerandus." Mox, " Et cum Luc. xiii. " rogaretur Dominus, *An pauci sint qui salvantur?* " non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures " fore servandos aut perdendos, sed hortatur potius, " ut quisque contendat ingredi per portam arctam. " Quasi dixerit, Vestrum non est de his curiosius in- " quirere, sed magis anniti, ut per rectam viam cœ- " lum ingrediamini." (p. 34, 35.) Belgica quidem fortius: " Credimus Deum (posteaquam tota Adami

" soboles sic in perditionem et exitium, primi homi-
" nis culpa, præcipitata fuit) seipsum talem demon-
" strasse ac præstitisse, qualis est revera, nimirum,
" et misericordem et justum: misericordem quidem,
" eos damnatione et interitu liberando et servando,
" quos in æterno suo consilio pro gratuita sua boni-
" tate per Jesum Christum Dominum nostrum ele-
" git, absque ullo operum ipsorum respectu. Jus-
" tum vero, alios in illo suo lapsu et perditione re-
" linquendo, in quem sese ipsi præcipites dederunt."
(p. 336.) Augustana MDXL. autem: " Non est hic
" opus disputationibus de prædestinatione aut simili-
" bus. Nam promissio est universalis, et nihil detra-
" hit operibus, imo exsuscitat ad fidem et vere bona
" opera." (p. 180.) Saxonica eandem de hac re sententiam etiam apertius declarat: " Non addimus
" hic quæstiones de prædestinatione seu de electi-
" one; sed deducimus omnes lectores ad verbum
" Dei, et jubemus ut voluntatem Dei ex verbo ip-
" sius discant, sicut æternus Pater expressa voce
" præcipit, *Hunc audite.* Non quærant alias specu-
" lationes." (p. 258.) Catechismus Heidelbergensis parem exhibet de his rebus moderationem, et de subtilioribus quæstionibus vel parce vel non omnino loquitur. De redemptione per Christum facta, et fide in Christum, hæc tantum habet: " *Num igitur*
" *omnibus hominibus, qui in Adamo perierant, per*
" *Christum salus redditur?* Non omnibus, verum
" iis tantum, qui vera fide ipsi inseruntur, ejusque
" beneficia omnia amplectuntur." (p. 365.) Quo demum processerint homines, etiam publice et solenniter congregati, cum, inflammatis longa concertatione animis, et inveteratis odiis, sententiam de his

rebus ferebant, exemplo sint Canones Synodi Dordrechtanæ.

Profuerit etiam Ecclesiæ Anglicanæ libros cum his conferre, ex qua comparatione luculentior, ut opinamur, evadet prudentia Ecclesiæ nostræ, quæ cum antiquarum Confessionum, præcipue Augustanæ, vestigiis inhæserit, et studiosa certe fuerit, ut cum aliis communionem retineret, et in offensionem quam minimam incurreret, summam tamen cautelam adhibuit, nequid durum aut facile abutendum suis imponeret, et in eo laboravit maxime, ut illud quod ex utraque parte certum sit et plane verum constanter teneret, cætera in medio relinqueret: v. gr. in difficili illa de decretis Dei circa redemptionem hominis quæstione ita se exercuit, ut salvam et illæsam teneret liberam in homine mali et boni electionem, (sine qua neque pœnæ, neque præmiis obnoxii esse possumus, neque nostram ipsi salutem juxta Apostolum Paulum operari,) simul autem agnoscat infinitam Dei præscientiam, et gratiam ejus unice humanæ salutis efficacem, minus solicita, quo pacto hæc inter se committantur, et suos hinc inde limites et explicationem habeant.

Dabamus ex Ædibus Clarendonianis,
Oct. 26, 1804.

I.

CONCILIUM TRIDENTINUM censuit, eos quos cathedralibus aut aliis superioribus ecclesiis præfici, vel quibus earum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscunque beneficiis curatis, provideri contigerit, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere et jurare debere. Pius IV. decernit idem observandum per quoscumque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis Regularium quorumcunque ordinum et Militarium, quovis nomine et titulo, provideri occurrerit, sub pœnis in dicto concilio contentis, formamque hanc ejusdem fidei professionis jussit usurpandam; et abhinc illam usurpaverunt Concilia Burdigal. an. 1583. Turon. an. 1583. Narbon. an. 1551. Bitur. an. 1584. Aquens. an. 1585. Tolosan. an. 1590. Narb. an. 1609. Atque eadem professione uti tenentur quicumque ab hæresi remeantes ad fidem Ecclesiæ Catholicæ revertuntur.

Bulla S. N. D. D. Pii, Divina Providentia Papæ Quarti, super forma juramenti professionis fidei.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Injunctum nobis apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem sanctis patribus, in nomine suo congregatis, divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem et gloriam incunctanter exequi

properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes quos deinceps cathedralibus, et superioribus ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, et jurare teneantur. Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine vel titulo, providebitur, idem servari, et ad hoc, ut unius et ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, et ubique gentium per eos ad quos ex decretis ipsius Concilii, et alios prædictos spectat, recipi et observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc et non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri auctoritate apostolica tenore præsentium districte præcipiendo mandamus hujusmodi sub tenore.

Ego N. &c.

II.

HELVETICÆ Confessionis hæc fuit constitutio. Anno Domini 1536. quum passim affirmaretur Concilium Œcumenicum brevi futurum, clariss. D. Coss. et ampliss. Basiliensis Senatus, evangelicas Helvetiæ civitates evocavit, ut communi consensu conscriberetur religionis suæ Confessio, quæ exhiberetur

quum opus foret. Ad hanc rem a civitatibus Helveticis quæ jampridem doctrinam Evangelii erant amplexæ, missi sunt Basileam legati ex ordine senatorio viri gravissimi, atque Theologiæ Doctores et Ecclesiarum Ministri Tigurini et Bernenses præcipui. Quum Basileæ convenissent, delecti fuere DD. Henricus Bullingerus, Osvaldus Myconius, et Simon Grynæus, qui de illa re certam conciperent formam. Interea Argentinenses Theologi D. Capito et D. Bucerus Basileam advenere, rogantes ut illa Confessio sic accommodaretur, ut inter Ecclesias sarciretur concordia, cujus tunc magna spes affulgebat. Itaque omnium consensu scripta fuit Confessio Latine et Germanice, atque perlecta in senatu coram politicis legatis, et omnium requisitæ sententiæ: ab omnibus approbata fuit, quam Legati Magistratibus suis detulerunt. Mense Martio sequenti, comitia civitatum Helvetiæ evangelicarum Aroviæ celebrata: in quibus significatur illam Confessionem ab omnibus Helveticis Ecclesiis receptam fuisse. Inde missa fuit Wittebergam per DD. Capitonem et Bucerum, qui tandem retulerunt, eam non displicuisse Theologis Wittebergensibus. Approbata quoque fuit in quibusdam conventibus illustriss. procerum et ordinum Protestantium: idque testantur ipsius D. Lutheri ad Helvetios literæ. Sed quum illa Confessio brevior esset, gravissimis de causis accuratius scripta fuit, anno Domini 1566. cui Tigurini, Bernenses, Schaffusiani, Sangallenses, Rhœti, Myllhusiani, Biellenses, item Genevenses subscripserunt. Eandem et comprobarunt Ecclesiæ Angliæ, Scotiæ, Galliæ, Belgii, omnes: Polonicæ quoque, Hungaricæ atque Germanicæ Ecclesiæ multæ.

Basiliensis vero ei adjuncta Confessio Germanice tantum edita fuerat, anno 1532. quum a magistratu Myllhusiano exciperetur 1561. in Latinam linguam conversa fuit.

De eadem Confessione Hospinianus Hist. Sacrament. parte altera sub an. 1566.

Hoc 1566 anno Confessio Helveticarum Ecclesiarum publicata est. Cum enim Theologi quidam inquieti et turbulenti, in Germania Westphalus, Timannus, et aliis in locis alii, non cessarent multa de dissensionibus nostrarum Ecclesiarum in vulgus spargere, et præterea nos criminari quod de nullo fere dogmate fidei puram et rectam fidem habeamus; existimarunt viri prudentes utile fore, si communis Confessio edatur, ex qua judicium fieri possit de doctrina nostrarum Ecclesiarum. Actum est ea de re primum a Tigurinis, Bernatibus, et Genevensibus. Scripserat autem superiori anno Bullingerus in gratiam illustrissimi cujusdam Principis Confessionem, in qua præcipua dogmata comprehendebantur, et certa quædam forma doctrinæ proponebatur. Hoc quum scirent quidam fratrum, et audivissent illam Principi, ad quem missa fuerat, ac viris doctis plurimum placuisse, eam sibi ostendi petierunt, et postea cognoscendam et judicandam Bernam et Genevam misere. Qui quum et ipsi eandem approbassent, actum est cum reliquis quoque fœderatis nostræ religionis: ac Rodolphus Gualtherus Scaphusium, Basileam et Mylhusium missus fuit. Approbarunt itaque illam, et huic subscripserunt omnes Evangelicæ aliæ Ecclesiæ per Helvetiam et Rhætiam, una Basilea excepta. Hujus autem

Ecclesiæ ministri responderunt, nuper denuo a se editam esse Basileensis Ecclesiæ Confessionem, cui omnes subscripserint: quare non videri sibi necesse, ut denuo alteri subscribant. Rursus ab illis petitum fuit, ut liceat bona ipsorum gratia, in præfatione honorificam facere mentionem Basileensis Confessionis, ac testari, quod reliquis urbibus probetur, et inter se consentiant: sed ne hoc quidem illis placuit. Causam enim hanc justam et æquam Simon Sulzerus omni conatu impediebat: nec tamen omnes ei adstipulabantur, sed fuerunt multi, qui secessionem nullam a reliquis Helvetiæ urbibus evangelicis faciendam esse censebant.

III.

AUGUSTANA Confessio Fidei, a D. Philippo Melancthone in ipsis scripta comitiis imperii Augustæ Vindelicorum habitis, anno Domini 1530. ab illustrissimis aliquot Germaniæ Principibus ibi Carolo V. Imperatori exhibita fuit. Postea in Latinam linguam conversa, cujus variæ sunt et diversæ editiones, ut apparet ex editione Lipsiæ, anno 1565. Nam recognita, rursus exhibita fuit Ferdinando Imperatori, in comitiis imperii, anno 1558. et anno 1561. Illa vero editio quæ Wittebergæ edita fuit anno 1540. hic exhibetur.

IV.

SAXONICA Confessio Fidei scripta fuit anno Domini 1551. in Synodo Wittebergæ, ubi Saxonicarum et Misnicarum Ecclesiarum Pastores, et Academiarum Doctores convenerant: qui omnes ei subscripserunt, tanquam Augustanæ Confessioni repe-

titæ, Tridentinæ congregationi proponendæ. Eam comprobarunt illustrissimi Principes Brandeburgici; atque generosissimi comites a Mansfelt; et Argentinenses ministri: atque Pastores et Doctores Ecclesiarum Pomeraniæ, scriptis Confessioni annexis. Eadem ab aliis Ecclesiis comprobata: et ab Ecclesiis Polonicis in ipsarum consensu vel conciliatione commendata.

V.

BELGICA Fidei Confessio, Gallice primum anno Domini 1561. scripta fuit, ut demonstraretur, quænam esset doctrina eorum qui in Flandria, Artesia, Hannonia, &c. gravissimas persecutiones et afflictiones patiebantur, sicuti et in Gallia, jam ab anno 1525. Anno vero 1579. in Belgii Synodo confirmata, Belgice scripta fuit. Anno vero Domini 1581. Latinitate donata.

PROFESSIO
FIDEI TRIDENTINA.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ

SECUNDUM

CONCILIUM TRIDENTINUM

EX

BULLA PII PAPÆ IV.

EGO N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium: et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis: et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio, simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas: et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, et admitto.

Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse, vere, realiter, et substantialiter, corpus et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter et sanctos una cum Christo regnantes,

venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Dei-paræ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

CONFESSIO HELVETICA.

Universis Christi fidelibus per Germaniam atque exteras etiam nationes, Ministri subscriptarum Ecclesiarum per Helvetiam, gratiam et pacem a Deo Patre, per Jesum Christum Dominum nostrum precantur.

CONSCRIPTÆ sunt hactenus, et eduntur hoc præcipue tempore in publicum, a regnis, nationibus, et civitatibus, multæ ac variæ Confessiones et expositiones fidei, quibus extremo hoc seculo, in tam infelici perniciosarum proventu hæresium, quæ passim exoriuntur, docent atque testantur, se in Ecclesiis suis orthodoxe simpliciterque sentire, credere atque docere, de omnibus in universum et singulis Christianæ fidei et religionis nostræ dogmatibus, denique se et ab hæresium sectarumve communione esse quam alienissimos. Nos ergo, tametsi antea hoc ipsum fecerimus in nostris scriptis in publicum editis, quia tamen illa in oblivionem forte abierunt, variisque in locis, et prolixius etiam rem exponunt, quam ut omnibus inquirere ac perlegere vacet, præclaro aliorum fidelium exemplo excitati, brevi hac expositione conamur complecti, et omnibus Christi fidelibus proponere, doctrinam œconomiamque Ecclesiarum nostrarum, quam ille mox ab initio reformationis, multos jam per annos, multaque per discrimina rerum ad hunc usque diem, summo cum consensu, et docuerunt, et nunc quoque custodiunt. Eadem opera attestamur etiam omnibus consensum nostrum unanimem, quem dedit nobis Dominus, ut in nostris ecclesiis, quibus nos ministrare voluit Dominus, idem loquamur omnes, nec sint inter nos

dissidia, sed simus integrum corpus, eadem mente eademque sententia. Attestamur item nos, minime talia in Ecclesiis nostris spargere dogmata, qualia adversarii nonnulli nostri nobis, apud eos maxime, ad quos scripta nostra non perveniunt, et qui doctrinæ nostræ imperiti sunt, falso et præter meritum tribuere, obtrudereque nituntur. Ergo manifestissime ex his nostris æqui deprehendent lectores, nihil nos quoque habere communionis cum ullis sectis atque hæresibus, quarum, hoc consilio, in singulis prope capitibus, mentionem facimus, easque rejicientes perstringimus. Colligent itaque et illud, nos a sanctis Christi Ecclesiis, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, aliarumque in orbe Christiano nationum, nefario schismate non sejungere atque abrumpere: sed cum ipsis omnibus et singulis, in hac confessa veritate Christiana, probe consentire, ipsasque charitate syncera complecti.

Tametsi vero in diversis Ecclesiis quædam deprehenditur varietas, in locutionibus, et modo expositionis doctrinæ, in ritibus item vel cæremoniis, eaque recepta pro Ecclesiarum quarumlibet ratione, opportunitate, et ædificatione, nunquam tamen ea, ullis in Ecclesia temporibus, materiam dissensionibus et schismatibus visa est suppeditare. Semper enim hac in re Christi Ecclesiæ usæ sunt libertate. Id quod in historia ecclesiastica videre licet. Abunde piæ vetustati satis erat mutuus ille in præcipuis fidei dogmatibus, inque sensu orthodoxo et charitate fraterna, consensus.

Quocirca speramus Christi Ecclesias, ubi viderint deprehenderintque nos in sancti et æterni Dei doctrina, in sensu item orthodoxo et charitate fraterna,

cum ipsis, imprimis vero cum veteri Apostolica Ecclesia, per omnia consentire, libenter ipsas quoque in unitate fidei atque doctrinæ, sensuque orthodoxo, et fraterna charitate, consensuras nobiscum. Cum hanc Confessionem in hoc quoque ediderimus præcipue, ut Ecclesiarum pacem concordiamque cum mutua charitate, apud Germaniæ exterasque Ecclesias quæramus, nobis conciliemus, conciliatamque retineamus. Ubi sane illas ipsas Ecclesias, ea dilectione, synceritate, integritateque, præditas esse, nobis certo persuademus, ut si quid forte nostrarum rerum hactenus minus recte intellectum sit, a nonnullis porro, audita hac simplici Confessione nostra, illæ nos neutiquam numeraturæ sint inter hæreticos, neque Ecclesias nostras, quæ veræ Christi Ecclesiæ sunt, damnaturæ ut impias.

Ante omnia vero protestamur, nos semper esse paratissimos, omnia et singula hic a nobis proposita, si quis requirat, copiosius explicare, denique meliora ex verbo Dei docentibus, non sine gratiarum actione, et cedere et obsequi in Domino, cui laus et gloria. Acta 1. Martii, Anno 1566.

Subscripserunt omnes omnium Ecclesiarum Christi in Helvetia Ministri, qui sunt Tiguri, Bernæ, Schaffusii, Sangalli, Curiæ Rhetorum, et apud confederatos, cis et ultra Alpes, Milhusii, et Biennæ, quibus adjunxerunt se et Ministri Ecclesiæ, quæ est Genevæ.

EDICTUM IMPERATORIUM,

De eo quinam habendi sint, vel Catholici, vel Hæretici. Ex Cod. Justiniani Imperat. et Tripart. Hist. lib. ix. *cap.* 7.

IMPP. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius, Aug. Populo urbis Constantinopolitanæ. Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in ea volumus religione versari, quam Divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unam Deitatem, sub pari Majestate, et sub pia Trinitate, credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes væsanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, divina primum vindicta, post etiam motu animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Data 3. kalend. Martias Thessalonicæ, Gratiano 5. Valent. et Theod. Aug. Coss.

Cæterum Evangelica et Apostolica historia una cum 2 Pet. Epistolis docent nos, qualem religionem S. Petrus Apostolus tradiderit omnibus Ecclesiis per orientem et occidentem, nedum Romanæ. Fides vero et doctrina Damasi Pontificis, qualis fuerit, colliquescit ex ipsius Symbolo.

SYMBOLUM DAMASI,

Ex 2. Tomo Operum S. Hieronymi.

CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Filium, et in Spiritum Sanctum. Deum non tres Deos, sed Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum colimus et confitemur: non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse et filius: sed Patrem esse qui genuit, et Filium esse qui genitus sit: Spiritum vero Sanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de Patre Filioque procedentem, Patri et Filio coæternum, et coæqualem, et cooperatorem. Quia scriptum est, *Verbo Domini cœli firmati sunt*, id est, a Filio Dei et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Et alibi, *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Ideoque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri, Pater, et proprium nomen est Filio, Filius, et proprium nomen Spiritui Sancto, Spiritus Sanctus. In hac Trinitate unum Deum colimus: quia ex uno Patre quod est, unius cum Patre naturæ est, unius substantiæ, et unius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed natura. Filius ultimo tempore ad nos salvandos, et ad implendas Scripturas, descendit a Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre. Et conceptus est de Spiritu Sancto, et natus ex Virgine. Carnem, et animam, et sensum, hoc est perfectum suscepit hominem: nec amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit, et verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est, et qui homo natus

est, operatur ut Deus, et qui operatur ut Deus, ut homo moritur, et qui ut homo moritur, ut Deus resurgit.

Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, et passus, et mortuus fuerat, et resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit et habet. In hujus morte et sanguine credimus emundatos nos, et ab eo resuscitandos die novissimo, in hac carne qua nunc vivimus. Et habemus spem nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicii. Hæc lege, hæc crede, hæc retine, huic fidei animam tuam subjuga, et vitam consequeris, et præmium a Christo.

Eadem porro docuit et credidit, cum beato Damaso et Athanasio, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, sicut facile colligitur ex Trip. Hist. lib. vii. cap. 37. et lib. viii. cap. 14.

CONFESSIO

ET

EXPOSITIO SIMPLEX

ORTHODOXÆ FIDEI,

ET

DOGMATUM CATHOLICORUM

SYNCERÆ

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

Concorditer ab Ecclesiæ Christi ministris, qui sunt in Helvetia, Tiguri, Bernæ, Scaphusii, Sangalli, Curiæ Rhetorum, et apud confœderatos, Mylhusii item, et Biennæ, quibus adjunxerunt se et Genevensis Ecclesiæ ministri, edita in hoc, ut universis testentur fidelibus, quod in unitate veræ et antiquæ Christi Ecclesiæ, perstent, neque ulla nova aut erronea dogmata spargant, atque ideo etiam nihil consortii cum ullis sectis aut hæresibus habeant: hoc demum vulgata tempore, qui de ea æstimare piis omnibus liceat.

Rom. x. 10.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

De Scriptura Sancta, vero Dei Verbo.

I.

CREDIMUS et confitemur Scripturas canonicas sanctorum prophetarum et apostolorum utriusque Testamenti, ipsum verum esse verbum Dei: et au-

thoritatem sufficientem ex semetipsis non ex hominibus habere. Nam Deus ipse loquutus est patribus, prophetis, et apostolis, et loquitur adhuc nobis per Scripturas sanctas. Et in hac Scriptura sancta habet universalis Christi Ecclesia plenissime exposita, quæcunque pertinent cum ad salvificam fidem, tum ad vitam Deo placentem, recte informandam. Quo nomine distincte a Deo præceptum est, ne ei aliquid vel addatur vel detrahatur. Sentimus ergo ex hisce Scripturis petendam esse veram sapientiam et pietatem, Ecclesiarum quoque reformationem et gubernationem, omniumque officiorum pietatis institutionem, probationem denique dogmatum, reprobationemque, aut errorum confutationem omnium, sed et admonitiones omnes, juxta illud Apostoli, *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem*, &c. 2 Timoth. iii. Et iterum, *Hæc tibi scribo*, inquit ad Timoth. Apostolus in 1 cap. iii. *ut noris quomodo oporteat te versari in domo Dei*, &c. Et idem ille rursus ad Thess. *Cum* ait, *acciperetis sermonem a nobis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat vere sermonem Dei*, &c. 1 Thess. ii. Nam ipse in Evangelio dixit Dominus, *Non vos estis loquentes illi, sed Spiritus Patris mei loquitur in vobis, Ergo qui vos audit me audit, qui autem vos spernit me spernit*, Matt. x. Luc. x. Joan. xiii.

Proinde cum hodie hoc Dei verbum per prædicatores legitime vocatos annunciatur in Ecclesia, credimus ipsum Dei verbum annunciari, et a fidelibus recipi, neque aliud Dei verbum vel fingendum vel cœlitus esse expectandum: atque in præsenti spectandum esse ipsum verbum, quod annunciatur, non annunciantem ministrum, qui etsi sit malus et peccator, verumtamen et bonum manet nihilominus verbum Dei. Neque arbitramur prædicationem illam externam tanquam inutilem ideo videri, quoniam pendeat institutio veræ religionis ab interna Spiritus illuminatione: propterea quod scriptum sit: *Non*

erudiet quis proximum suum. Omnes enim cognoscent me. Et, *Nihil est qui rigat, aut qui plantat, sed qui incrementum dat Deus.* Jer. xxxi. 1 Cor. iii. Joan. vi. Quanquam enim nemo veniat ad Christum, nisi trahatur a Patre cœlesti, ac intus illuminetur per Spiritum Sanctum, scimus tamen Deum omnino velle prædicari verbum Dei etiam foris. Equidem potuisset per Spiritum suum Sanctum, aut per ministerium Angeli, absque ministerio S. Petri instituisse Cornelium in Actis Deus, cæterum rejicit hunc nihilominus ad Petrum: de quo Angelus loquens: *Hic,* inquit, *dicet tibi quid oporteat te facere.* Qui enim intus illuminat, donato hominibus Spiritu Sancto, idem ille præcipiens dixit ad discipulos suos: *Ite in mundum universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ.* Unde Paulus Lydiæ apud Philippos purpurariæ, prædicavit verbum exterius, interius autem aperuit mulieri cor Dominus: idemque Paulus collocata gradatione eleganti ad Rom. x. tandem infert: *Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.* Agnoscimus interim Deum illuminare posse homines, etiam sine externo ministerio, quos et quando velit: id quod ejus potentiæ est. Nos autem loquimur de usitata ratione instituendi homines, et præcepto et exemplo tradita nobis a Deo.

Execramur itaque omnes hæreses Artemonis, Manichæorum, Valentinianorum, Cerdonis, et Marcionitarum, qui negarunt Scripturas e Spiritu Sancto profectas: vel quasdam illarum non receperunt, vel interpolarunt et corruperunt. Interim nihil dissimulamus quosdam Vet. Test. libros a veteribus nuncupatos esse Apocryphos, ab aliis Ecclesiasticos, utpote quos in Ecclesiis legi voluerunt quidem, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Sicuti et Augustinus in lib. de Civitat. Dei xviii. cap. 38. commemorat, in libris Regum adduci prophetarum quorundam nomina et libros,

sed addit, hos non esse in Canone, ac sufficere ad pietatem eos libros quos habemus.

De interpretandis Scripturis sanctis, et de Patribus, Conciliis, et Traditionibus.

II.

SCRIPTURAS sanctas dixit Apostolus Petrus non esse interpretationis privatæ. Proinde non probamus interpretationes quaslibet: unde nec pro vera aut genuina Scripturarum interpretatione agnoscimus eum, quem vocant sensum Romanæ Ecclesiæ, quem, scilicet, simpliciter, Rom. Ecclesiæ defensores, omnibus obtrudere contendunt recipiendum: sed illam duntaxat Scripturarum interpretationem pro orthodoxa et genuina agnoscimus, quæ ex ipsis est petita Scripturis (ex ingenio utique ejus linguæ in qua sunt scriptæ, secundum circumstantias item expensæ, et pro ratione locorum vel similium vel dissimilium, plurium quoque et clariorum expositæ) cum regula fidei et charitatis congruit, et ad gloriam Dei hominumque salutem eximie facit.

Proinde non aspernamur sanctorum Patrum Græcorum Latinorumque interpretationes, neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum, cum Scripturis consentientes: a quibus tamen recedimus modeste, quando aliena a Scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur. Nec putamus illis ullam a nobis hac re injuriam irrogari, cum omnes uno ore nolint sua scripta æquari Canonicis, sed probare jubeant, quatenus vel consentiant cum illis, vel dissentiant, jubeantque consentientia recipere, recedere vero a dissentientibus. Eodem in ordine collocantur etiam Conciliorum definitiones vel canones.

Quapropter non patimur nos in controversiis Religionis vel fidei causis urgeri nudis Patrum sententiis, aut Conciliorum determinationibus, multo minus receptis consuetudinibus, aut etiam multitudine idem sentientium, aut longi temporis præscriptione. Ergo non alium sustinemus in causa fidei judicem, quam ipsum Deum, per Scripturas sanctas pronunciantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quidve fugiendum. Ita judiciis non nisi spiritualium hominum ex verbo Dei petitis acquiescimus. Jeremias certe cæterique prophetæ sacerdotum concilia, contra legem Dei instituta, damnarunt graviter, ac monuerunt diligenter, ne audiamus Patres, aut insistamus viæ illorum, qui in suis ambulantes adinventionibus a lege Dei deflexerunt.

Pariter repudiamus traditiones humanas, quæ tametsi insigniantur speciosis titulis, quasi divinæ apostolicæque sint, viva voce apostolorum, seu per manus virorum apostolicorum, succedentibus episcopis Ecclesiæ traditæ; compositæ tamen cum Scripturis, ab his discrepant, discrepantiaque illa sua ostendunt, se minime esse apostolicas. Sicut enim apostoli inter se diversa non docuerunt, ita et apostolici non contraria apostolis ediderunt. Quinimo impium esset asseverare Apostolos viva voce contraria scriptis suis tradidisse. Paulus diserte dicit eadem se in omnibus Ecclesiis docuisse. Et iterum: *Non alia*, inquit, *scribimus vobis quam quæ legitis aut etiam agnoscitis.* Alibi rursus testatur se et discipulos suos, id est, viros apostolicos, eadem ambulare via, et eodem Spiritu pariter facere omnia. Habuerunt quondam et Judæi suas traditiones seniorum, sed refutatæ sunt graviter a Domino, ostendente quod earum observatio legi Dei officiat, et his Deus frustra colatur.

De Deo, Unitate ejus, ac Trinitate.

III.

DEUM credimus et docemus unum esse essentia vel natura, per se subsistentem, sibi ad omnia sufficientem, invisibilem, incorporeum, immensum, æternum, Creatorem rerum omnium, cum visibilium, tum invisibilium, summum bonum, vivum, et omnia vivificantem et conservantem, omnipotentem, et summe sapientem, clementem, sive misericordem, justum atque veracem. Pluralitatem vero Deorum abominamur: quod diserte scriptum sit, *Dominus Deus tuus unus est. Ego sum Dominus Deus tuus, non sint tibi dii alieni ante faciem meam. Ego Dominus et nullus ultra, præter me non est Deus. An non ego Dominus, et non est alius præter me solum? Deus justus et salvans, nullus præter me. Ego Jehovah, Jehovah Deus, misericors, clemens et longanimis, immensæ bonitatis et veritatis*, &c. Exod. xxxiv.

Eundem nihilominus Deum immensum, unum et indivisum, credimus et docemus personis inseparabiliter et inconfuse esse distinctum, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, ita ut Pater ab æterno Filium generaverit, Filius generatione ineffabili genitus sit, Spiritus Sanctus vero procedat ab utroque, idque ab æterno, cum utroque adorandus: ita ut sint tres non quidem Dii, sed tres Personæ consubstantiales, coæternæ, et coæquales, distinctæ quoad hypostases, et ordine alia aliam præcedens, nulla tamen inæqualitate. Nam quoad naturam vel essentiam, ita sunt conjunctæ, ut sint unus Deus, essentiaque divina communis sit Patri, Filio, et Spiritui Sancto. Distinctionem enim personarum manifestam tradidit nobis Scriptura, Angelo ad divam Virginem inter alia dicente: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur*

sanctum, vocabitur Filius Dei. Sed et in baptismo Christi, auditur vox cœlitus delata super Christo dicens; *Hic est Filius meus dilectus.* Apparebat et Spiritus Sanctus in specie columbæ. Cumque ipse juberet baptizare Dominus, jussit baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Joan. i. Matt. xxviii. Item alibi in Evangelio dixit, *Spiritum Sanctum mittet Pater nomine meo.* Idem iterum: *Cum,* inquit, *venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me,* Joan. xiv. xv. Breviter, recipimus symbolum apostolorum, quod veram nobis fidem tradit.

Damnamus ergo Judæos et Mahumetistas, omnesque sacrosanctam et adorandam hanc Trinitatem blasphemantes. Damnamus item omnes hæreses atque hæreticos docentes Filium et Spiritum Sanctum nuncupatione esse Deum, item creatum ac serviens aut alteri officiale esse in Trinitate, esse in ea denique inæquale, majus aut minus, corporeum aut corporaliter effigiatum, moribus vel voluntate diversum, aut confusum vel solitarium, quasi Filius et Spiritus Sanctus affectiones et proprietates sint unius Dei Patris: ut monarchici senserunt, Novatiani, Praxeas, Patripassiani, Sabellius, Samosatenus, Aetius, Macedonius, Anthropomorphitæ, Arius, et similes.

De Idolis vel Imaginibus Dei, Christi, et divorum.

IV.

QUONIAM vero Deus Spiritus est invisibilis et immensa essentia, non potest sane ulla arte aut imagine exprimi, unde non veremur cum Scriptura simulachra Dei mera nuncupare mendacia. Rejicimus itaque non modo Gentium idola, sed et Christianorum simulachra. Tametsi enim Christus hu-

manam assumpserit naturam, non ideo tamen assumpsit, ut typum præferret statuariis atque pictoribus. Negavit se venisse ad solvendum legem et prophetas. Matt. v. At lege et prophetis prohibitæ sunt imagines. Deut. iv. Isa. xl. Negavit corporalem suam Ecclesiæ profuturam præsentiam: Spiritu suo se nobis perpetuo affuturum promisit. Joan. xvi. 2 Cor. v. Quis ergo crederet umbram vel simulachrum corporis aliquam conferre piis utilitatem? Cumque maneat in nobis per Spiritum suum, sumus utique templa Dei. 1 Cor. iii. 2 Cor. vi. Quid autem convenit templo Dei cum simulachris? Et quando beati Spiritus ac divi cœlites, dum hic viverent, omnem cultum sui averterunt, et statuas oppugnarunt, Act. iii. xiv. Apoc. xiv. xxii. cui verisimile videatur divis cœlitibus et angelis suas placere imagines, ad quas genua flectunt homines, detegunt capita, aliisque prosequuntur honoribus?

Ut vero instituantur homines in religione, admoneanturque rerum divinarum et salutis suæ, prædicare jussit Evangelium Dominus, Marci xvi. non pingere et pictura laicos erudire: Sacramenta quoque instituit, nullibi statuas constituit. Sed et passim quoquo vertamus oculos, occurrunt res creatæ a Deo vivæ et veræ in oculos nostros, quæ si observentur, ut par est, longe evidentius movent aspectantem, quam omnes omnium hominum imagines vel picturæ vanæ, immobiles, marcidæ atque mortuæ. De quibus vere dixit propheta, Psalm. cxv. *Oculos habent, et non vident*, &c. Idcirco approbamus Lactantii veteris scriptoris sententiam, dicentis; "Non est dubium quin religio nulla sit, ubicun-"que simulachrum est." Recte item fecisse asserimus beatum episcopum Epiphanium, qui in foribus Ecclesiæ inveniens velum, habens depictam imaginem, quasi Christi vel sancti cujuspiam, scidit atque sustulit: quod contra authoritatem Scripturarum vidisset in Ecclesia Christi hominis pendere imaginem. Ideoque præcipiebat ne deinceps in Ecclesia

Christi ejusmodi vela, quæ contra religionem nostram veniunt, appenderentur, sed tolleretur potius illa scrupulositas, quæ indigna sit Ecclesia Christi et populis fidelibus. Præterea approbamus hanc S. Augustini de vera religione sententiam: " Non sit " nobis religio humanorum operum cultus. Meli- " ores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur: " quos tamen colere non debemus." Cap. 55.

De Adoratione, Cultu, et Invocatione Dei, per unicum Mediatorem Jesum Christum.

V.

DEUM verum docemus solum adorare et colere. Hunc honorem communicamus nemini, juxta mandatum Domini, *Dominum Deum tuum adorabis, et illum solum coles*, vel, *et huic uni servies*, Matth. iv. Certe omnes prophetæ gravissime invecti sunt contra populum Israelis, quandocunque deos alienos, non unum solum Deum verum, adorarunt et coluerunt. Adorandum autem colendumque docemus Deum, sicuti ipse nos colere docuit, in spiritu videlicet et veritate Joan. iv. non cum ulla superstitione, sed cum synceritate, secundum verbum ejus: ne aliquando ad nos etiam dicat, Isaiæ lxvi. Jerem. vii. *Quis requisivit hæc ex manibus vestris?* Nam et Paulus, *Deus non colitur*, ait, *humanis manibus, tanquam qui ipse aliquo indigeat*, &c. Act. xvii. Eundem solum invocamus in omnibus discriminibus et casibus vitæ nostræ, idque per interventum unici Mediatoris et Intercessoris nostri Jesu Christi. Diserte enim præceptum est nobis: *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et glorificabis me*, Psalm. l. Sed et liberalissime nobis promissum est a Domino, dicente: *Quicquid petieritis a Patre meo, dabit vobis*, Joan. xvi. Item, *Venite ad me, quotquot labo-*

ratis et onerati estis, et ego reficiam vos, Matth. xi. Et cum scriptum sit: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Rom. x. Nos vero in solum Deum credimus, solum certe invocamus: et quidem per Christum. *Unus enim Deus*, ait apostolus, 1 Tim. ii. *et unus Mediator Dei et hominum Christus Jesus.* Item, 1 Joan. ii. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*, &c.

Proinde sanctos cœlites sive divos, nec adoramus, neque colimus, nec invocamus, neque illos coram Patre in cœlis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sufficit enim nobis Deus, et Mediator Christus, neque honorem soli Deo et Filio ejus debitum aliis communicamus: quod ille diserte dixerit: *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ xlii. Et quod Petrus dixit, Act. iv. *Non aliud hominibus nomen datum, in quo oporteat salvos fieri, nisi nomen Christi.* In quo sane qui per fidem acquiescunt, non quærunt extra Christum quicquam.

Interim divos, nec contemnimus, nec vulgariter de eis sentimus. Agnoscimus enim eos esse viva Christi membra, amicos Dei, qui carnem et mundum gloriose vicerunt. Diligimus ergo illos ut fratres, et honoramus etiam, non tamen culto aliquo, sed honorabili de eis existimatione, denique laudibus justis. Imitamur item eos. Nam imitatores fidei virtutumque ipsorum, consortes item æternæ salutis, illis æternum apud Deum cohabitare, et cum eis in Christo exultare, desideriis votisque ardentissimis exoptamus. Atque hac in parte approbamus illam S. Augustini de vera religione sententiam: "Non "sit nobis religio cultus hominum mortuorum. "Quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales "quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, "quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse con-"servos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, "non adorandi propter religionem," &c.

Multo vero minus credimus reliquias divorum

adorandas esse aut colendas. Veteres isti sancti satis honorasse videbantur mortuos suos, si honeste mandassent terræ reliquias, postquam astra petiisset spiritus: ac omnium nobilissimas reliquias majorum æstimabant esse virtutes, doctrinam et fidem: quas ut commendabant cum laude mortuorum, ita eas exprimere annitebantur dum vivebant in terris. Illi ipsi veteres non jurarunt nisi per nomen solius Dei Jehovah, sicuti lege divina est præceptum: Deut. x. Exod. xxiii. qua sicut vetitum est jurare per nomina alienorum deorum, sic nos juramenta per divos requisita non præstamus. Rejicimus ergo in his omnibus doctrinam divis cœlitibus plus nimium tribuentem.

De Providentia Dei.

VI.

DEI hujus sapientis æterni et omnipotentis providentia, credimus cuncta in cœlo, et in terra, et in creaturis omnibus conservari et gubernari. David enim testificatur et ait, Psalm. cxiii. *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et se demittit, ut inspiciat quæ sunt in cœlo et in terra?* Idem rursus, Psalm. cxxxix. *Omnes vias meas*, inquit, *prævidisti. Quia non est verbum in lingua mea, quod non universum noveris Domine*, &c. Testificatur et Paulus et ait, Actorum xvii. *Per ipsum vivimus, movemur, et sumus.* Et, *Ex illo, et per illum, et in illum omnia*, Roman. xi. Verissime ergo et secundum Scripturam pronunciavit Augustinus in lib. de Agone Christ. cap. viii. " Dominus " dixit: *Nonne duo passeres asse vœneunt, et unus " eorum non cadit in terram sine voluntate Patris " vestri?* Ita vero loquens, ostendere voluit quicquid " vilissimum homines putant, Omnipotentia Domini " gubernari. Sic enim et volatilia cœli ab eo pasci,

"et lilia agri ab eo vestiri, veritas loquitur, quæ "capillos etiam nostros numeratos esse dicit," &c. Matth. vi.

Damnamus ergo Epicureos, providentiam Dei abnegantes, omnesque illos, qui blaspheme dicunt, Deum versari circa cardines cœli, et nos atque nostra nec videre nec curare. Damnavit hos etiam David propheta regius, qui dixit, Psalm. xciv. *Quousque, Domine, quousque impii exultabunt? Dicunt, Dominus non videt, neque intelligit Deus Jacob. Intelligite stupidi in populo, et stulti quando demum sapietis? Is qui aurem condidit, an non audiret? et qui oculum finxit, quomodo non videret?* Interim vero media per quæ operatur divina providentia, non aspernamur, ut inutilia, sed his hactenus nos accommodandos esse docemus, quatenus in verbo Dei nobis commendantur. Unde illorum voces temerarias improbamus, qui dicunt: Si providentia Dei omnia geruntur, inutiles certe sunt conatus nostri et studia nostra: Satis fuerit, si omnia divinæ permittamus providentiæ gubernanda, nec erit quod porro simus soliciti de re ulla, aut quicquam faciamus. Tametsi enim Paulus agnosceret se in Dei providentia navigare, qui ipsi dixerat, Act. xxiii. *Oportet te et Romæ testificari:* qui insuper promiserat dixeratque, Act. xxvii. *Jactura nulla erit ullius animæ, nec cadet pilus de capite vestro,* nihilominus meditantibus fugam nautis, dicit idem ille Paulus centurioni et militibus: *Nisi hi in navi manserint, vos servari non poteritis.* Deus enim, qui cuilibet rei suum destinavit finem, is et principium et media, per quæ ad finem usque pervenitur, ordinavit. Ethnici fortunæ res attribuunt cæcæ, et incerto casui. S. Jacobus iv. non vult ut dicamus: *Hodie et cras in illam urbem proficiscemur et negotiabimur:* sed addit: *Pro eo quod dicere debueritis, si Dominus voluerit et vixerimus, hoc vel illud faciemus.* Et Augustinus: "Omnia quæ vanis videntur in rerum na-"tura temere fieri, non faciunt nisi verbum ejus:

"quia non fiunt nisi jussu ejus." Enarrat. in Psalm. cxlviii. Ita videbatur forte fortuna fieri, quod Saul quærens patris asinas, incidit in prophetam Samuelem: sed antea dixerat Dominus ad prophetam: *Cras mittam ad te virum de tribu Benjamin*, &c. 1 Sam. ix.

De Creatione rerum omnium, de Angelis, Diabolo, et Homine.

VII.

DEUS hic bonus et omnipotens creavit omnia cum visibilia, tum invisibilia, per verbum suum coæternum, eademque quoque conservat per Spiritum suum coæternum, testificante Davide atque dicente, Psalm. xxxiii. *Verbo Dei cœli facti sunt, et in spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Omnia autem quæ condidit Deus erant, ut Scriptura ait, valde bona, et ad utilitatem usumque hominis condita. Cuncta vero illa dicimus ab uno profecta esse principio. Damnamus ergo Manichæos et Marcionitas, qui impie fingebant duas substantias atque naturas boni et mali, duo item principia, et duos sibi adversos Deos, bonum et malum.

Inter omnes creaturas præstant angeli atque homines. De angelis pronunciat divina Scriptura: *Qui creat angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*, Psal. civ. Item, *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui hæredes sunt salutis?* Heb. i. Dominus vero Jesus ipse testificatur de Diabolo. *Ille*, inquit, Joan. viii. *homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, atque ejus rei pater.* Docemus ergo angelos alios quidem perstitisse in obedientia, ac ad fidele Dei et hominum ministerium esse deputatos: alios

vero sua sponte lapsos, et in exitium esse præcipitatos, factosque esse omnis boni fideliumque hostes, &c.

Jam vero de homine dicit Scriptura, quod ab initio conditus sit bonus, ad imaginem et similitudinem Dei: quod Deus collocaverit eum in paradisum, subjeceritque ei omnia, Gen. ii. Id quod David magnifice celebrat in Psalm. viii. Addidit insuper ei conjugem, ac benedixit eis. Dicimus autem constare hominem duabus ac diversis quidem substantiis in una persona, anima immortali, utpote quæ separata a corpore, nec dormit, nec interit, et corpore mortali, quod tamen in ultimo judicio a mortuis resuscitabitur, ut totus homo inde, vel in vita, vel in morte, æternum maneat. Damnamus omnes, qui irrident, aut subtilibus disputationibus, in dubium vocant immortalitatem animarum, aut animam dicunt dormire, aut partem esse Dei. Breviter, damnamus omnes omnium opiniones, quotquot diversa sentiunt de creatione, de angelis et dæmonibus, et homine, ab iis quæ nobis tradita sunt per Scripturas sanctas, in apostolica Christi Ecclesia.

De Lapsu Hominis, et Peccato, et Causa Peccati.

VIII.

FUIT homo ab initio a Deo conditus ad imaginem Dei, in justitia et sanctitate veritatis, bonus et rectus, sed instinctu serpentis, et sua culpa, a bonitate et rectitudine deficiens, peccato, morti, variisque calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est a lapsu, tales sunt omnes, qui ex ipso prognati sunt, peccato, inquam, morti, variisque obnoxii calamitatibus. Peccatum autem intelligimus esse nativam illam hominis corruptionem, ex primis illis nostris parentibus in nos omnes derivatam vel propagatam,

qua concupiscentiis pravis immersi, et a bono aversi, ad omne vero malum propensi, pleni omni nequitia, diffidentia, contemptu et odio Dei, nihil boni ex nobis ipsis facere, imo ne cogitare quidem possumus. Quinimo accedentibus jam etiam annis, cogitationibus, dictis et factis pravis, contra legem Dei admissis, corruptos fructus, mala arbore dignos, proferimus; quo nomine, merito nostro, iræ Dei obnoxii, pœnis subjicimur justis: adeoque a Deo abjecti essemus omnes, nisi reduxisset nos Christus liberator.

Per mortem itaque intelligimus non tantum corpoream mortem, quæ omnibus nobis semel, propter peccata, est obeunda, sed etiam supplicia sempiterna peccatis et corruptioni nostræ debita. Nam apostolus, Ephes. ii. *Eramus mortui*, inquit, *delictis ac peccatis, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. Sed Deus, qui dives est misericordia, cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cum Christo.* Item, Rom. v. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt.*

Agnoscimus ergo in omnibus hominibus esse originale peccatum; agnoscimus omnia alia peccata, quæ ex hoc oriuntur, et dici, et vere esse peccata, qualicunque nomine nuncupentur, sive mortalia, sive venialia, sive illud quoque, quod vocatur peccatum in Spiritum Sanctum, quod nunquam remittitur, Marc. iii. 1 Joan. v. Fatemur etiam peccata non esse æqualia, licet ex eodem corruptionis et incredulitatis fonte exoriantur, sed alia aliis esse graviora. Sicut Dominus dixit, Matth. x. xi. Sodomæ tolerabilius futurum, quam urbi rejicienti verbum Evangelii. Damnamus ergo omnes qui his contraria docuerunt, imprimis vero Pelagium et omnes Pelagianos, una cum Jovinianistis, peccata cum Stoicis paria facientibus. Sentimus per omnia in hac causa cum S. Augustino, qui sua ex Scripturis sanctis protulit atque defendit. Damnamus præterea Florinum

et Blastum, contra quos et Irenæus scripsit, et omnes qui Deum faciunt authorem peccati. Cum diserte scriptum sit, Psalm. v. *Tu non es Deus, qui velit iniquitatem. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et iterum, Joan. viii. *Cum loquitur Diabolus mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus rei.* Sed et in nobis ipsis satis est vitii corruptionisque, ut nihil necesse sit Deum infundere nobis novam aut auctiorem pravitatem. Proinde, quando dicitur in Scripturis Deus indurare, excæcare, et tradere in reprobum sensum, intelligendum id est, quod justo judicio Deus id faciat, tanquam judex et ultor justus. Denique, quotiescunque Deus aliquid mali in Scriptura facere dicitur atque videtur, non ideo dicitur, quod homo malum non faciat, sed quod Deus fieri sinat et non prohibeat, justo suo judicio, qui prohibere potuisset si voluisset: vel quod malo hominum bene utatur, ut peccatis fratrum Josephi: vel quod ipse peccata gubernet ne latius, quam par est, erumpant atque grassentur. S. Augustinus in Enchiridio suo, "Miro modo," inquit, "et ineffabili " non fit præter voluntatem ejus, quod etiam fit " contra voluntatem ejus. Quia non fieret, si fieri " non sineret. Nec utique nolens sinit sed volens. " Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam " de malo facere posset bene." Hæc ille, reliquas quæstiones, An Deus voluerit labi Adamum, aut impulerit ad lapsum? aut quare lapsum non impediverit? et similes quæstiones deputamus inter curiosas, scientes Dominum prohibuisse, ne homo ederet de fructu prohibito, et transgressionem punivisse: sed et mala non esse quæ fiunt respectu providentiæ Dei, voluntatis ac potestatis Dei, sed respectu Satanæ et voluntatis nostræ, voluntati Dei repugnantis.

De libero Arbitrio, adeoque Viribus Hominis.

IX.

DOCEMUS in hac causa, quæ semper in Ecclesia multas peperit conflictationes, conditionem vel statum hominis triplicem esse considerandum. Principio qualis fuerit homo ante lapsum, rectus nimirum et liber, qui et in bono manere et ad malum potuit declinare: declinaverit autem ad malum, implicaveritque peccato et morti, et se et omne genus mortalium, sicuti dictum est antea.

Deinde considerandum est qualis fuerit homo post lapsum. Non sublatus est quidem homini intellectus, non erepta ei voluntas, et prorsus in lapidem vel truncum est commutatus: cæterum illa ita sunt immutata et imminuta in homine, ut non possint amplius quod potuerunt ante lapsum. Intellectus enim obscuratus est: voluntas vero ex libera, facta est voluntas serva. Nam servit peccato, non nolens, sed volens. Etenim voluntas, non noluntas dicitur. Ergo quoad malum sive peccatum, homo non coactus vel a Deo vel a Diabolo, sed sua sponte, malum facit, et hac parte liberrimi est arbitrii. Quod vero non raro cernimus pessima hominis facinora et consilia impediri a Deo, ne finem suum consequantur, non tollit homini libertatem in malo, sed Deus potentia sua prævenit, quod homo alias libere instituit. Sicut fratres Josephi Josephum libere instituunt tollere: sed non possunt, quod Dei consilio aliud visum esset.

Quantum vero ad bonum et ad virtutes, intellectus hominis, non recte judicat de divinis ex semetipso. Requirit enim Scriptura evangelica et apostolica regenerationem abs quolibet nostrum, qui salvari velimus. Unde nativitas prior ex Adamo ad salutem nihil nobis confert. Paulus 1 Cor. ii. *Animalis homo*, ait, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, &c. Idem negat alicubi nos idoneos esse, ex nobis ipsis,

cogitare aliquid boni, 2 Cor. iii. Constat vero mentem vel intellectum, ducem esse voluntatis, cum autem cæcus sit dux, claret quousque et voluntas pertingat. Proinde nullum est ad bonum homini arbitrium liberum, nondum renato, vires nullæ ad perficiendum bonum. Dominus in Evangelio dicit, *Amen, amen, dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, Joan. viii. Et Paulus apostolus, Rom. viii. *Affectus carnis*, inquit, *inimicitia est adversus Deum. Nam legi Dei non subditur, imo ne potest quidem.* Porro terrenarum rerum intelligentia in lapso homine, non est nulla. Reliquit enim Deus ex misericordia ingenium, multum tamen distans, ab eo, quod inerat ante lapsum. Jubet Deus excolere ingenium, et addit dona simul et profectum. Et manifestum est, quam nihil proficiamus in artibus omnibus sine benedictione Dei. Scriptura certe omnes artes ad Deum refert. Nam et ethnici retulerunt artium origines ad inventores deos.

Postremo videndum, an regenerati sint liberi arbitrii, et quatenus. In regeneratione, intellectus illuminatur per Spiritum Sanctum, ut et mysteria et voluntatem Dei intelligat. Et voluntas ipsa, non tantum mutatur per Spiritum, sed etiam instruitur facultatibus, ut sponte velit et possit bonum. Nisi hoc dederimus, negabimus Christianam libertatem, et inducemus legalem servitutem. Sed et propheta facit Deum loquentem: *Dabo legem meam in mentes illorum, et in cordibus eorum inscribam eas.* Dominus quoque dicit in Evangelio: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi estis.* Paulus quoque ad Phil. *Vobis donatum est*, inquit, *pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et iterum, *Persuasum habeo, quod is qui cœpit in vobis bonum opus perficiet usque ad diem Domini Jesu.* Item, *Deus est qui agit in vobis, et ut velitis, et ut efficiatis.*

Ubi interim duo observanda esse docemus. Primum, regeneratos in boni electione et operatione,

non tantum agere passive, sed active. Aguntur enim a Deo, ut agant ipsi, quod agunt. Recte enim Augustinus adducit illud, quod Deus dicitur noster adjutor. Nequit autem adjuvari, nisi is, qui aliquid agit. Manichæi spoliabant hominem omni actione, et veluti saxum et truncum faciebant. Secundum, in regeneratis remanere infirmitatem. Cum enim inhabitet in nobis peccatum, et caro in renatis obluctetur spiritui in finem usque vitæ nostræ, non expedite omnino perficiunt regenerati quod instituerant. Confirmantur hæc ab apostolo ad Rom. vii. et Gal. v. Proinde infirmum est nostrum illud liberum arbitrium, propter reliquias remanentis in nobis, ad finem usque vitæ nostræ, veteris Adami, agnatæque corruptionis humanæ. Interim cum carnis vires et reliquiæ veteris hominis non ita sint efficaces, ut extinguant penitus Spiritus operationem, idcirco fideles liberi dicuntur, ita tamen, ut agnoscant infirmitatem, et nihil glorientur de libero arbitrio. Semper enim animis fidelium obversari debet, quod toties inculcat beatus August. ex apostolo, *Quid habes, quod non accepisti? et si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* His accedit quod non statim evenit quod institueramus. Eventus enim rerum positi sunt in manu Dei. Unde Paulus orat Dominum, ut prosperet iter suum. Unde vel hac causa infirmum est liberum arbitrium.

Cæterum nemo negat in externis, et regenitos et non regenitos habere liberum arbitrium. Habet enim homo hanc constitutionem cum animantibus aliis (quibus non est inferior) communem, ut alia velit, alia nolit. Ita loqui potest aut tacere, domum egredi, vel domi manere, &c. Quamvis semper et hic potentia Dei observanda sit: quæ effecit, ut Balaam eo non posset pertingere, quo volebat, neque Zacharias rediens ex templo, loqui posset, prout volebat.

Damnamus in hac causa Manichæos, qui negant homini bono, ex libero arbitrio fuisse initium mali.

Damnamus etiam Pelagianos, qui dicunt hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Redarguuntur utrique a Scriptura sancta, quæ illis dicit: *Fecit Deus hominem rectum:* his vero dicit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi estis.*

De Prædestinatione Dei, et Electione Sanctorum.

X.

DEUS ab æterno prædestinavit vel elegit libere et mera sua gratia, nullo hominum respectu, sanctos, quos vult salvos facere in Christo, juxta illud apostoli: *Deus elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi.* Et iterum, *Qui salvos fecit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quæ data quidem est nobis, per Christum Jesum, ante tempora æterna, sed palam facta est nunc per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi.*

Ergo non sine medio, licet non propter ullum meritum nostrum, sed in Christo, et propter Christum, nos elegit Deus, ut qui jam sunt in Christo insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi vero, qui sunt extra Christum: secundum illud apostoli: *Vos ipsos tentate, num sitis in fide. An non cognoscitis vosmetipsos, quod Jesus Christus in vobis est? nisi sicubi reprobi estis.* Denique electi sunt sancti in Christo, per Deum, ad finem certum, quem et ipsum exponit apostolus et ait: *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per charitatem. Qui prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum, in sese, ut laudetur gloria gratiæ suæ.* Et quamvis Deus norit, qui sint sui, et alicubi mentio fiat paucitatis electorum, bene sperandum est tamen de omnibus, neque temere repro-

bis quisquam est annumerandus. Paulus certe ad Philippens. *Gratias ago*, inquit, *pro omnibus vobis*, (loquitur autem de tota Ecclesia Philippensi,) *quod veneritis in communionem Evangelii, persuasum habens, quod is, qui cœpit opus bonum in vobis, perficiet, sicut justum est, ut hoc sentiam de vobis omnibus.* Et cum Luc. xiii. rogaretur Dominus: *An pauci sint qui salvantur?* non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures fore servandos, aut perdendos, sed hortatur potius, ut quisque contendat ingredi per portam arctam. Quasi dixerit, Vestrum non est de his curiosius inquirere, sed magis anniti, ut per rectam viam cœlum ingrediamini.

Proinde, non probamus impias quorundam voces, qui dicunt, Pauci sunt electi, et cum mihi non constet an sim in illo paucorum numero, genium meum non fraudabo. Alii dicunt: Si prædestinatus vel electus sum a Deo, nihil impediet me a salute certo jam definita, quicquid tandem designavero. Si vero sum de reproborum numero, nulla me vel fides vel pœnitentia juvabit; cum definitio Deo mutari non possit. Itaque inutiles sunt doctrinæ et admonitiones omnes. Nam contra hos pugnat illud apostoli: *Oportet servum Domini propensum esse ad docendum, erudientem eos qui obsistunt, si quando det Deus illis pœnitentiam, ad agnoscendum veritatem, ut resipiscantur a laqueo Diaboli, capti ab eo ad ejus voluntatem.* Sed et Augustinus de Bono Perseverantiæ cap. 14. et consequentibus, ostendit utrumque esse prædicandum, et liberæ electionis prædestinationisque gratiam, et admonitiones et doctrinas salutares. Improbamus itaque illos, qui quærunt extra Christum, An sint ab æterno electi? Et quid ante omnem æternitatem de ipsis statuerit Deus? Audienda est enim prædicatio Evangelii, eique credendum est: et pro indubitato habendum, si credis ac sis in Christo, electum te esse. Pater enim prædestinationis suæ æternam sententiam, sicut modo ex apostolo 2 Timoth. i. exposui, in Christo no-

bis aperuit. Docendum ergo et considerandum ante omnia, quantus amor Patris erga nos in Christo nobis sit revelatus: audiendum quid nobis quotidie in Evangelio ipse Dominus prædicet, quomodo vocet et dicat, Matt. xi. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego vos reficiam. Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum dederit pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* Joan. iii. Item, *Non est voluntas Patris, ut quisquam de his pusillis pereat,* Matt. xviii. Christus itaque sit speculum, in quo prædestinationem nostram contemplemur. Satis perspicuum et firmum habebimus testimonium, nos in libro vitæ inscriptos esse, si communicaverimus cum Christo, et is in vera fide noster sit, nos ejus simus. Consoletur nos in tentatione prædestinationis, qua vix alia est periculosior, quod promissiones Dei sunt universales fidelibus, quod ipse ait: *Petite et accipietis,* Lucæ xi. *Omnis qui petit accipit;* Quod denique cum universa Dei Ecclesia oramus, *Pater noster qui es in cœlis:* et quod baptismo sumus insiti corpori Christi, et pascimur in Ecclesia ejus carne et sanguine frequenter ad vitam æternam. His confirmati cum timore et tremore, juxta præceptum Pauli, nostram salutem operari jubemur.

De Jesu Christo vero Deo et Homine, unico mundi Salvatore.

XI.

CREDIMUS præterea et docemus Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab æterno prædestinatum vel præordinatum esse, a Patre, Salvatorem mundi: credimusque hunc esse genitum, non tantum, cum ex Virgine Maria carnem assumpsit nec tantum ante jacta fundamenta mundi, sed ante omnem æternitatem, et quidem a Patre, ineffabiliter.

Nam Isaias dixit; cap. liii. *Generationem ejus quis enarrabit?* et Micheas, cap. v. *Et egressus ejus a diebus æternitatis.* Nam et Joannes in Evangelio dixit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* &c. Proinde Filius est Patri juxta divinitatem coæqualis et consubstantialis, Deus verus, non nuncupatione, aut adoptione, aut ulla dignatione, sed substantia atque natura, sicut Joan. apostolus iterum dixit, 1 Joan. v. *Hic est verus Deus, et vita æterna.* Et Paulus quoque Heb. i. *Filium,* ait, *constituit hæredem omnium, per quem et secula fecit: idem est splendor gloriæ et character substantiæ ejus, portans omnia verbo potentiæ suæ.* Nam in Evangelio ipse quoque Dominus dixit: *Pater, glorifica tu me apud temetipsum gloria quam habui priusquam hic mundus esset apud te,* Joan. xvii. Nam et alibi in Evangelio scribitur, *Judæi quærebant occidere Jesum, quod Patrem suum dixisset Deum, æqualem seipsum faciens Deo,* Joan. v. Abominamur ergo Arrii et omnium Arrianorum impiam contra Filium Dei doctrinam, imprimis vero Michaelis Serveti Hispani et Servetanorum omnium blasphemias, quas contra Dei Filium Satan per illos veluti ex inferis hausit, et in orbem audacissime et impiissime dispergit.

Eundem quoque æterni Dei æternum Filium credimus et docemus hominis factum esse Filium, ex semine Abrahæ atque Davidis, non ex viri coitu, quod Hebion dixit, sed conceptum purissime ex Spiritu Sancto, et natum ex Maria semper Virgine, sicut diligenter nobis historia explicat Evangelica, Matt. i. Et Paulus ait; *Nullibi angelos assumpsit, sed semen Abrahæ.* Joannes item apostolus: *Qui non credit Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* Caro ergo Christi nec phantastica fuit, nec cœlitus allata, sicuti Valentinus et Marcion somniabant. Præterea anima fuit Domino nostro Jesu Christo non absque sensu et ratione, ut Apollinaris sentiebat, neque caro absque anima, ut Eunomius

docebat, sed anima cum ratione sua, et caro cum sensibus suis, per quos sensus, veros dolores tempore passionis suæ sustinuit: sicuti et ipse testatus est, et dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem. Et nunc anima mea turbata est*, &c. Matt. xxvi. Joan. xii.

Agnoscimus ergo in uno atque eodem Domino nostro Jesu Christo, duas naturas vel substantias, divinam et humanam: et has ita dicimus conjunctas vel unitas esse, ut absorptæ, aut confusæ, aut immixtæ non sint: sed salvis potius et permanentibus naturarum proprietatibus, in una persona, unitæ vel conjunctæ: ita ut unum Christum dominum, non duos veneremur: unum inquam verum Deum et hominem, juxta divinam naturam Patri, juxta humanam vero nobis hominibus consubstantialem, et per omnia similem, peccato excepto, Hebr. iv. Etenim, ut Nestorianum dogma ex uno Christo duos faciens, et unionem personæ dissolvens, abominamur: ita Eutychetis et monothelitarum vel monophysicorum vesaniam, expungentem naturæ humanæ proprietatem, execramur penitus. Ergo minime docemus naturam in Christo divinam passam esse, aut Christum secundum humanam naturam adhuc esse in hoc mundo, adeoque esse ubique. Neque enim vel sentimus, vel docemus veritatem corporis Christi a clarificatione desiisse, aut deificatam, adeoque sic deificatam esse, ut suas proprietates, quoad corpus et animam, deposuerit, ac prorsus in naturam divinam abierit, unaque duntaxat substantia esse cœperit. Et proinde Schuenkfeldii similiumque leptologorum inargutas argutias, intricatas, obscurasque, et parum sibi constantes hac de re dissertationes, haudquaquam probamus aut recipimus, neque Schuenkfeldiani sumus. Præterea credimus Dominum nostrum Jesum Christum vere passum et mortuum esse, pro nobis, sicut Petrus ait, carne, 1 Pet. iv. Abominamur Jacobitarum et omnium Turcarum, passionem Domini execrantium, impiissimam vesa-

niam. Interim non negamus et Dominum gloriæ, juxta verba Pauli, crucifixum esse pro nobis, 1 Cor. ii. Nam communicationem idiomatum, ex Scripturis petitam, et ab universa vetustate in explicandis componendisque Scripturarum locis in speciem pugnantibus usurpatam, religiose et reverenter recipimus et usurpamus.

Credimus et docemus eundem Dominum nostrum Jesum Christum vera sua carne, in qua crucifixus et mortuus fuerat, a mortuis resurrexisse, et non aliam pro sepulta excitasse, aut spiritum pro carne suscepisse, sed veritatem corporis retinuisse, Luc. xxiv. Ergo dum discipuli ejus arbitrarentur se Domini spiritum videre, exhibet eis manus atque pedes, stigmatibus utique clavorum et vulnerum notatos, et addit: *Aspicite manus meas et pedes meos: quia ego ipse sum. Contrectate me et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere.*

In eadem illa carne sua credimus ascendisse Dominum nostrum Jesum Christum, supra omnes cœlos aspectabiles in ipsum cœlum supremum, sedem videlicet Dei et beatorum, ad dexteram Dei Patris, quæ, etsi et gloriæ majestatisque consortium æquale significet, accipitur tamen et pro loco certo, de quo in Evangelio loquens Dominus, dicit Joan. xiv. *Se abiturum et suis paraturum locum.* Sed et apostolus Petrus, Actor. iii. *Oportet Christum*, inquit, *cœlum accipere, usque ad tempus restitutionis omnium.* Ex cœlis autem idem ille redibit in judicium, tum, quando summa erit in mundo consceleratio et Antichristus corrupta religione vera, superstitione impietateque omnia opplevit, et sanguine atque flamma Ecclesiam crudeliter vastavit, Daniel xi. Redibit autem Christus asserturus suos, et aboliturus adventu suo Antichristum, judicaturusque vivos et mortuos. Resurgent enim mortui, et qui illa die (quæ omnibus incognita est creaturis) superstites futuri sunt, mutabuntur in momento oculi, fidelesque omnes una obviam Christo rapientur in aera, ut inde cum ipso

ingrediantur in sedes beatas sine fine victuri. Increduli vero vel impii descendent cum dæmonibus ad Tartara, in sempiternum arsuri, atque ex tormentis nunquam liberandi. Actor. xvii. 1 Thessal. iv. Marc. xiii. 1 Corinth. xv. Matth. xxv. 2 Tim. ii. Damnamus ergo omnes negantes veram carnis resurrectionem: aut qui cum Johanne Hierosolymitano, contra quem scripsit Hieronymus, non recte sentiunt de clarificatis corporibus. Damnamus eos qui senserunt et dæmonas et impios omnes aliquando servandos, et pœnarum finem futurum. Simpliciter enim pronunciavit Dominus, Marc. ix. *Ignis eorum nunquam extinguitur, et vermis eorum non moritur.* Damnamus præterea Judaica somnia, quod ante judicii diem aureum in terris sit futurum seculum, et pii regna mundi occupaturi, oppressis suis hostibus impiis. Nam Evangelica veritas Matth. xxiv. et xxv. Luc. item xviii. et apostolica doctrina 2 Thessal. ii. et in 2 ad Timoth. iii. et iv. capite, longe aliud perhibere inveniuntur.

Porro passione et morte sua omnibusque adeo quæ a suo in carne adventu nostra causa fecit et pertulit, reconciliavit omnibus fidelibus Dominus noster Patrem cœlestem, expiavit peccatum, exarmavit mortem, condemnationemque et inferos confregit, ac resurrectione sua ex mortuis, vitam immortalitatemque reduxit, ac restituit. Ipse enim est justitia nostra vita, et resurrectio, denique plenitudo et absolutio fidelium omnium, salusque et sufficientia abundantissima, Rom. iv. x. 1 Cor. vii. Joan. vi. xi. Apostolus enim, *Sic placuit Patri*, inquit, *omnem in ipso habitare plenitudinem, et in ipso estis completi*, Coloss. i. et ii.

Docemus enim ac credimus hunc Jesum Christum, Dominum nostrum, unicum et æternum, generis humani, adeoque totius mundi esse Servatorem, in quo per fidem servati sint, quotquot ante legem, sub lege, et sub Evangelio salvati sunt, et quotquot adhuc in finem usque seculi salvabuntur. Nam ipse

Dominus in Evangelio dicit, Joan. x. *Qui non intrat per ostium in stabulum ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Ego sum ostium ovium.* Item alibi in eodem Evangelio, Joan. viii. *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Sed et Petrus apostolus, Act. iv. x. xv. *Non est in quoquam alio,* inquit, *nisi in Christo salus. Neque aliud nomen est, sub cœlo, datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri.* Credimus ergo per gratiam Domini Jesu Christi nos servatum iri, sicuti et Patres nostros. Nam et Paulus ait, 1 Cor. x. *Omnes Patres nostros eandem escam spiritualem edisse, et omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibisse autem de spirituali ipsos consequente Petra, Petram vero Christum fuisse.* Ideoque legimus et Joannem dixisse, Christum esse *Agnum illum, qui occisus sit ab origine mundi:* et Baptistam testatum, Christum esse *Agnum illum Dei, qui tollat peccatum mundi,* Apoc. xiii. Joan. i. Unde pleno ore profitemur et prædicamus, Jesum Christum unicum esse mundi Redemptorem et Salvatorem, Regem et Pontificem maximum, Messiam verum et expectatum illum inquam Sanctum benedictum, quem omnes legis typi et vaticinia prophetarum præfigurarint atque promiserint, Deus autem præstiterit ac miserit illum nobis, ut alius porro non sit ullus nobis expectandus. Nec restat jam aliud, quam ut omnes omnem gloriam Christo tribuamus, in ipsum credamus, et in ipso solo acquiescamus, omnibus aliis vitæ præsidiis spretis atque abjectis. Nam gratia Dei exciderunt, et Christum inanem sibi reddunt, quotquot salutem in alia re ulla, quam in uno Christo quærunt, Galat. v.

Et ut paucis multa hujus causæ dicamus, quæcunque de incarnationis Domini nostri Jesu Christi mysterio definita sunt ex Scripturis sanctis, et comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum et præstantissimarum Synodorum, celebratarum, Niceæ, Constantinopoli, Ephesi, et Chalcedone, una cum beati Athanasii Symbolo, et omnibus his simili-

bus symbolis, credimus corde sincero, et ore libero ingenue profitemur, condemnantes omnia his contraria. Atque ad hunc modum retinemus inviolatam sive integram fidem Christianam, orthodoxam atque catholicam: scientes symbolis prædictis nihil contineri, quod non sit conforme verbo Dei, et prorsus faciat ad sinceram fidei explicationem.

De Lege Dei.

XII.

DOCEMUS lege Dei exponi nobis voluntatem Dei, quid a nobis fieri velit aut nolit, quid bonum et justum, quidve malum sit et injustum. Bonam igitur et sanctam confitemur esse legem. Et hanc quidem alias digito Dei inscriptam esse in corda hominum, vocarique legem naturæ; alias autem digito insculptam esse, in tabulas Mosis geminas, et libris Mosis copiosius expositam. Distinguimus illam, perspicuitatis gratia, in moralem, quæ comprehenditur Decalogo vel geminis tabulis, et per Mosis libros expositis; in cæremonialem item, quæ de cæremoniis cultuque Dei constituit; et in judicialem, quæ versatur circa politica atque œconomica.

Credimus hac Dei lege omnem Dei voluntatem, et omnia præcepta necessaria ad omnem vitæ partem, plenissime tradi. Alioqui enim non vetuisset Dominus, huic legi nihil, vel addi, vel adimi: non præcepisset recta ad hanc incedi, neque in dextram vel sinistram deflexo itinere declinare.

Docemus legem hanc non datam esse hominibus, ut ejus justificentur observatione: sed ut ex ejus indicio, infirmitatem potius, peccatum, atque condemnationem agnoscamus, et de viribus nostris desperantes convertamur ad Christum in fide. Aperte enim apostolus, *Lex iram*, ait, *operatur*. *Et per*

legem agnitio peccati. Et *Si data fuisset lex, quæ posset justificare, vel vivificare, vere ex lege esset justitia: sed conclusit Scriptura* (Legis nimirum) *omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu daretur credentibus. Itaque lex pædagogus noster ad Christum fuit, ut ex fide justificaremur.* Neque vero potuit aut potest ulla caro legi Dei satisfacere, et hanc adimplere, ob imbecillitatem in carne nostra, ad extremum usque spiritum, in nobis hærentem aut remanentem. Rursus enim apostolus, Rom. v. *Quod lex præstare non poterat*, inquit, *quia imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit*, Rom. viii. Idcirco Christus est perfectio legis et adimpletio nostra, qui ut execrationem legis sustulit, dum factus est pro nobis maledictio, vel execratio, Galat. iii. ita communicat nobis per fidem, adimpletionem suam, nobisque ejus imputatur justitia et obedientia.

Hactenus itaque abrogata est lex Dei, quatenus nos amplius non damnat, nec iram in nobis operatur. Sumus enim sub gratia, et non sub lege. Præterea implevit Christus omnes legis figuras. Unde umbræ cesserunt, corpore adveniente, ut jam in Christo et veritatem habeamus et omnem plenitudinem. Attamen legem non ideo fastidientes rejicimus. Meminimus enim verborum Domini, dicentis, Matt. v. *Non veni legem et prophetas solvere, sed implere.* Scimus lege nobis tradi formulas virtutum atque vitiorum. Scimus scripturam legis, si exponatur per Evangelium, Ecclesiæ esse utilem, et idcirco ejus lectionem non exterminandam esse ex Ecclesia. Licet enim velo obtectus fuerit Mosis vultus, apostolus tamen perhibet, velum per Christum tolli atque aboleri. Damnamus omnia, quæ hæretici veteres et neoterici contra legem Dei docuerunt.

De Evangelio Jesu Christi, de Promissionibus item, Spiritu, et Litera.

XIII.

EVANGELIUM quidem opponitur legi. Nam lex iram operatur, et maledictionem annunciat. Evangelium vero gratiam et benedictionem prædicat. Sed et Joannes dicit, cap. i. *Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum exorta est.* Nihilominus tamen certissimum est eos, qui ante legem et sub lege fuerunt, non omnino destitutos fuisse Evangelio. Habuerunt enim promissiones evangelicas insignes, quales hæ sunt: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non auferetur sceptrum de Juda, nisi prius venerit Silo. Prophetam excitabit Dominus de medio fratrum,* &c. Genes. iii. xxii. xlix. Deuteronom. xviii. Actorum iii.

Et quidem agnoscimus Patribus duo fuisse promissionum genera, sicuti et nobis, revelata. Aliæ enim erant rerum præsentium, vel terrenarum, quales sunt promissiones de terra Chanaan, de victoriis; et quales hodie adhuc sunt de pane quotidiano. Aliæ vero erant tunc, et sunt etiam nunc, rerum cœlestium et æternarum, gratiæ videlicet divinæ, remissionis peccatorum, et vitæ æternæ, per fidem in Jesum Christum. Habuerunt autem veteres non tantum externas vel terrenas, sed spirituales etiam cœlestesque promissiones, in Christo. Nam *de salute,* ait Petrus, 1 Pet. i. *exquisiverunt et scrutati sunt prophetæ, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt,* &c. Unde et Paulus apostolus dixit, Rom. i. Evangelium Dei ante promissum esse per prophetas Dei, in Scripturis sanctis. Inde nimirum claret, veteres non prorsus destitutos fuisse omni Evangelio.

Et quamvis ad hunc modum Patres nostri in Scripturis prophetarum habuerint Evangelium, per quod et salutem in Christo per fidem consecuti sunt

Evangelium tamen proprie illud dicitur lætum et felix nuncium, quo nobis primum per Joannem Baptistam, deinde per ipsum Christum Dominum, postea per apostolos ejus apostolorumque successores prædicatum est mundo, Deum jam præstitisse, quod ab exordio mundi promisit, ac misisse, imo donavisse nobis Filium unicum, et in hoc reconciliationem cum Patre, remissionem peccatorum, omnem plenitudinem, et vitam æternam. Historia ergo descripta a quatuor Evangelistis, explicans, quomodo hæc sint facta vel adimpleta a Christo, quæ docuerit et fecerit Christus, et quod in ipso credentes omnem habent plenitudinem, recte nuncupatur Evangelium. Prædicatio item et Scriptura apostolica, qua nobis exponunt apostoli, quomodo nobis a Patre datus sit Filius, et in hoc vitæ salutisque omnia, recte dicitur doctrina Evangelica, sic ut ne hodie quidem, si sincera sit, appellationem tam præclaram amittat.

Illa ipsa Evangelii prædicatio nuncupatur item ab apostolo spiritus, et ministerium spiritus, 2 Cor. iii. eo quod efficax et viva fiat per fidem in auribus imo cordibus credentium per Spiritum Sanctum illuminantem. Nam litera, quæ opponitur spiritui, significat quidem omnem rem externam, sed maxime doctrinam legis sine spiritu et fide in animis, non viva fide credentium, operantem iram, et excitantem peccatum. Quo nomine et ministerium mortis ab apostolo nuncupatur. Huc enim illud apostoli pertinet, *Litera occidit, Spiritus vivificat.* Et Pseudoapostoli prædicabant Evangelium lege admixta corruptum, quasi Christus sine lege non possit servare. Quales fuisse dicuntur Hebionæi ab Hebione hæretico descendentes, et Nazaræi, qui et Minæi antiquitus vocabantur. Quos omnes nos damnamus, pure prædicantes Evangelium, docentesque per Spiritum solum, et non per legem justificari credentes. De qua re mox sequetur sub titulo Justificationis copiosior expositio.

Et quamvis Evangelii doctrina collata cum Pharisæorum doctrina legis, visa sit, cum primum prædicaretur per Christum, nova esse doctrina, quod et Jeremias de Novo Testamento vaticinatus sit, revera tamen illa, non modo vetus erat, et est adhuc (nam nova dicitur et hodie a papistis, collata cum doctrina jam papistarum recepta) vetus doctrina, sed omnium in mundo antiquissima. Deus enim ab æterno prædestinavit mundum servare per Christum, et hanc suam prædestinationem et consilium sempiternum aperuit mundo per Evangelium, 2 Tim. i. Unde claret religionem doctrinamque evangelicam, inter omnes, quotquot fuerunt unquam, sunt atque erunt, omnium esse antiquissimam. Unde dicimus omnes eos errare turpiter, et indigna æterno Dei consilio loqui, qui evangelicam doctrinam et religionem, nuncupant nuper exortam, et vix xxx. annorum fidem. In quos competit illud Isaiæ Prophetæ cap. v. *Væ his qui dicunt malum esse bonum, et bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras, amarum dulce, et dulce amarum.*

De Pœnitentia et Conversione Hominis.

XIV.

HABET Evangelium conjunctam sibi doctrinam de pœnitentia. Ita enim dixit in Evangelio Dominus, Lucæ xxiv. *Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Per pœnitentiam autem intelligimus mentis in homine peccatore resipiscentiam, verbo Evangelii et Spiritu Sancto excitatam, fideque vera acceptam, qua protinus homo peccator, agnatam sibi corruptionem peccataque omnia sua, per verbum Dei accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque coram

Deo, non tantum deplorat et fatetur ingenue cum pudore, sed etiam cum indignatione execratur, cogitans jam sedulo de emendatione, et perpetuo innocentiæ virtutumque studio, in quo sese omnibus diebus vitæ reliquis, sancte exerceat. Et hæc quidem est vera pœnitentia, sincera nimirum ad Deum et omne bonum conversio, sedula vero a Diabolo et ab omni malo aversio. Diserte vero dicimus hanc pœnitentiam merum esse Dei donum, et non virium nostrarum opus. Jubet enim apostolus 2 Tim. ii. fidelem ministrum diligenter *erudire obsistentes veritati, si quando Deus his det pœnitentiam ad agnoscendum veritatem.* Jam vero peccatrix illa evangelica, quæ lachrymis rigat pedes Domini, ac Petrus amare flens deploransque Domini sui abnegationem, manifeste ostendunt, qualis esse debeat pœnitentis animus, serio deplorans commissa peccata. Sed et filius ille concoctor, et publicanus ille in Evangelio cum Pharisæo collatus, præeunt nobis formulis accommodatissimis peccata nostra Deo confitendi. Ille dicebat, *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis:* hic vero non audens elevare oculos in cœlum, pectus suum tundendo, clamabat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec dubitamus illos in gratiam a Deo esse receptos. Etenim Joannes apostolus, 1 Joan. i. *Si confiteamur peccata nostra*, inquit, *fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus non peccavimus, mendacem facimus eum, et sermo ejus non est in nobis.*

Credimus autem hanc confessionem ingenuam, quæ soli Deo fit, vel privatim inter Deum et peccatorem, vel palam in templo, ubi generalis illa peccatorum confessio recitatur, sufficere, nec necessarium esse ad remissionem peccatorum consequendam, ut quis peccata sua confiteatur sacerdoti, susurrando in aures ipsius, ut vicissim cum impositione manuum

ejus audiat ab ipso absolutionem : quod ejus rei nec præceptum ullum, nec exemplum extet in Scripturis sanctis. David protestatur et ait : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor contra me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.* Sed et Dominus orare nos docens, simul et confiteri peccata, dixit : *Sic orabitis; Pater noster qui es in cœlis, remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Necesse est ergo, ut Deo Patri nostro confiteamur peccata nostra, et cum proximo nostro, si ipsum offendimus, redeamus in gratiam. De quo confessionis genere loquens Jacobus apostolus : *Confitemini,* inquit, *alterutrum peccata vestra.* Si quis vero peccatorum mole et tentationibus perplexis oppressus, velit consilium, institutionem, et consolationem privatim, vel a ministro Ecclesiæ, aut alio aliquo fratre in lege Dei docto, petere, non improbamus. Quemadmodum et generalem et publicam illam in templo ac cœtibus sacris recitari solitam (cujus et superius meminimus) peccatorum confessionem, utpote Scripturis congruam, maxime approbamus.

De clavibus regni Dei, traditis a Domino apostolis, multi admiranda garriunt, et ex his cudunt enses, lanceas, sceptra et coronas, plenamque in maxima regna, denique in animas et corpora, potestatem : nos simpliciter judicantes secundum verbum Domini, dicimus omnes ministros legitime vocatos habere et exercere claves vel, usum clavium, cum Evangelium annunciant, id est, populum suæ fidei creditum docent, hortantur, consolantur, et increpant, inque disciplina retinent. Ita enim regnum cœlorum aperiunt obsequentibus, et inobsequentibus claudunt. Has claves promisit apostolis Dominus, Matt. xvi. et præstitit Joan. xx. Marci xvi. et Luc. xxiv. dum ablegat discipulos, et jubet eos universo mundo prædicare Evangelium, et condonare peccata. Apostolus 2 ad Corinth. v. dicit, *Dominum ministris de-*

disse reconciliationis ministerium: et quale hoc sit mox explicat, et ait, *Sermonem vel doctrinam reconciliationis.* Et adhuc clarius sua illa exponens, addit, *Ministros Christi nomine Christi fungi legatione, tanquam ipso Deo per ministros adhortante populos, ut reconcilientur Deo,* nimirum per fidelem obedientiam. Exercent ergo claves, cum suadent fidem et pœnitentiam; sic illi reconciliant Deo; sic remittunt peccata; sic aperiunt regnum cœlorum, et credentes introducunt: multum distantes ab istis, de quibus dixit in evangelio Dominus: *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introivistis, et eos qui introibant vetuistis.* Rite itaque et efficaciter ministri absolvunt, dum evangelium Christi, et in hoc remissionem peccatorum, quæ singulis promittitur fidelibus, sicuti et singuli sunt baptizati, prædicant, et ad singulos peculiariter pertinere testantur. Nec putamus absolutionem hanc efficaciorem fieri, per hoc, quod in aurem alicui aut super caput alicujus singulariter immurmuratur. Censemus tamen sedulo annunciandam esse hominibus remissionem peccatorum, in sanguine Christi, admonendosque singulos, quod ad ipsos pertineat remissio peccatorum.

Cæterum quam vigilantes sedulosque oporteat esse pœnitentes in studio vitæ novæ, et in conficiendo vetere et excitando novo homine, docent nos exempla evangelica. Dominus enim ad paralyticum, quem sanaverat, dicit, Joan. v. *Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat.* Ad adulteratam liberatam idem dixit Joan. viii. *Vade, et ne posthac peccaveris.* Quibus sane verbis non significavit fieri posse, ut homo aliquando non peccet, dum adhuc in hac carne vivit, sed vigilantiam accuratumque studium commendat, ut modis inquam omnibus annitamur, et precibus a Deo petamus, ne relabamur in peccata, ex quibus veluti resurreximus, et ne vincamur a carne, mundo, et Diabolo. Zachæus publicanus in gratiam receptu a

Domino, clamat in evangelio, Luc. xix. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Ad eundem ergo modum prædicamus restitutionem et misericordiam, adeoque eleemosynam, vere pœnitentibus esse necessariam: et in universum apostoli verbis hortamur omnes ac dicimus, *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis ei per cupiditates ejus: neque accommodetis membra vestra arma injustitiæ peccato, sed accommodetis vosmetipsos Deo, velut ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo,* Rom. vi.

Proinde damnamus omnes impias quorundam evangelica prædicatione abutentium voces, et dicentium, Facilis est ad Deum reditus: Christus expiavit omnia peccata: Facilis est peccatorum condonatio; quid ergo peccare nocebit? Nec magnopere curanda est pœnitentia, &c. Docemus interim semper, et omnibus peccatoribus aditum patere ad Deum, et hunc omnia omnibus fidelibus condonare peccata, excepto uno illo peccato in Spiritum Sanctum. Ideoque damnamus et veteres et novos Novatianos, atque Catharos. Damnamus imprimis lucrosam papæ de pœnitentia doctrinam; et contra simoniam ejus, simoniacasque ejus indulgentias, illud usurpamus Simonis Petri judicium, *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti parari pecuniis. Non est tibi pars neque sors in ratione hac. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Improbamus item illos, qui suis satisfactionibus existimant se pro commissis satisfacere peccatis. Nam docemus Christum unum, morte vel passione sua, esse omnium peccatorum satisfactionem, propitiationem, vel expiationem: interim tamen, quod et ante diximus, mortificationem carnis urgere non desinimus: addimus tamen hanc non obtrudendam esse Deo superbe pro peccatorum satisfactione, sed præstandam humiliter, pro ingenio filiorum Dei, ut obedientiam novam, gratitudinis

ergo, pro consequuta per mortem et satisfactionem Filii Dei liberatione, et plenaria satisfactione.

De vera Fidelium Justificatione.

XV.

JUSTIFICARE significat Apostolo in disputatione de Justificatione, *peccata remittere, a culpa et pœna absolvere, in gratiam recipere,* et *justum pronunciare.* Etenim ad Romanos dicit Apostolus, Rom. viii. *Deus est qui justificat, quis ille qui condemnet?* opponuntur *justificare* et *condemnare.* Et in Actis Apostol. dicit Apostolus, Actor. xiii. *Per Christum annunciatur nobis remissio peccatorum: et ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis justificari, per hunc, omnis qui credit, justificatur.* Nam in Lege quoque et Prophetis legimus, Deut. xxv. *Si lis fuerit orta inter aliquos, et venerint ad judicium, judicent eos judices, justificentque justum, et impient vel condemnent impium.* Et Isaiæ v. *Væ illis qui justificant impium pro muneribus.* Certissimum est autem omnes nos esse natura peccatores et impios, ac coram tribunali Dei convictos impietatis et reos mortis: justificari autem, id est, absolvi a peccatis et morte, a Judice Deo, solius Christi gratia, et nullo nostro merito aut respectu. Quid enim apertius, quam quod Paulus dixit? Rom. iii. *Omnes peccaverunt, et destituuntur gloria Dei. Justificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.*

Etenim Christus peccata mundi in se recepit et sustulit, divinæque justitiæ satisfecit. Deus ergo propter solum Christum passum et resuscitatum propitius est peccatis nostris, nec illa nobis imputat, imputat autem justitiam Christi pro nostra, 2 Cor. v. Rom. iv. ita ut jam simus non solum mundati a

peccatis et purgati, vel sancti, sed etiam donati justitia Christi, adeoque absoluti a peccatis, morte vel condemnatione, justi denique ac hæredes vitæ æternæ. Proprie ergo loquendo, Deus solus nos justificat, et duntaxat propter Christum justificat, non imputans nobis peccata, sed imputans ejus nobis justitiam.

Quoniam vero nos justificationem hanc recipimus, non per ulla opera, sed per fidem in Dei misericordiam et Christum: ideo docemus et credimus cum apostolo, hominem peccatorem justificari sola fide in Christum, non lege, aut ullis operibus. Dicit enim apostolus, Rom. iii. *Arbitramur fide justificari hominem absque operibus legis.* Item, Rom. iv. *Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad justitiam,* Gen. xv. *At ei qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Et iterum, Ephes. ii. *Gratia estis servati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum. Non ex operibus, ne quis glorietur,* &c. Ergo quia fides Christum justitiam nostram recipit, et gratiæ Dei in Christo omnia tribuit, ideo fidei tribuitur justificatio, maxime propter Christum, et non ideo, quia nostrum opus est. Donum enim Dei est. Cæterum nos Christum fide recipere multis ostendit Dominus apud Joan. in cap. vi. ubi pro *credere* ponit *manducare*, et pro *manducare*, *credere*. Nam sicut manducando cibum recipimus, ita credendo participamus Christo. Itaque justificationis beneficium non partimur, partim gratiæ Dei vel Christo, partim nobis aut dilectioni operibusve vel merito nostro, sed in solidum gratiæ Dei in Christo per fidem tribuimus. Sed et non possent Deo placere dilectio et opera nostra, si fierent ab injustis: proinde oportet nos prius justos esse, quam diligamus aut faciamus opera justa. Justi vere efficimur, quemadmodum diximus, per fidem in Christum, mera gra-

tia Dei, qui peccata nobis non imputat, sed justitiam Christi, adeoque fidem in Christum ad justitiam nobis imputat. Apostolus præterea apertissime dilectionem derivat ex fide, dicens, 1 Tim. i. *Finis præcepti est charitas, ex puro corde, conscientia bona, et fide non ficta.*

Quapropter loquimur in hac causa, non de ficta fide, de inani et otiosa, aut mortua, sed de fide viva, vivificanteque, quæ propter Christum, qui vita est et vivificat, quem comprehendit, viva est et dicitur, ac se vivam esse vivis declarat operibus. Nihil itaque contra hanc nostram doctrinam pugnat Jacobus ille, qui de fide loquitur inani et mortua, quam quidam jactabant, Christum autem intra se viventem per fidem non habebant. Idem ille dixit, opera justificare, non contradicens Apostolo, (rejiciendus alioqui,) sed ostendens Abrahamum vivam justificantemque fidem suam declaravisse per opera. Id quod omnes pii faciunt, qui tamen soli Christo, nullis suis operibus fidunt. Iterum enim Apostolus dixit, Galat. ii. *Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus. Vitam autem quam nunc vivo in carne, per fidem vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Nam si per legem est justitia, igitur Christus frustra mortuus est.*

De Fide, et Bonis Operibus, eorumque Mercede, et Merito Hominis.

XVI.

FIDES enim Christiana, non est opinio ac humana persuasio, sed firmissima fiducia et evidens ac constans animi assensus, denique certissima comprehensio veritatis Dei, propositæ in Scripturis, et Symbolo Apostolico, atque adeo Dei ipsius summi boni, et præcipue promissionis divinæ, et Christi, qui om-

nium promissionum est colophon. Hæc autem fides merum est Dei donum, quod solus Deus ex gratia sua, electis suis, secundum mensuram, et quando, cui, et quantum ipse vult, donat, et quidem per Spiritum Sanctum, mediante prædicatione evangelii, et oratione fideli. Hæc etiam sua habet incrementa: quæ nisi et ipsa darentur a Deo, non dixissent apostoli, *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. xvii.

Et hæc quidem omnia, quæ hactenus de fide diximus, ante nos ita docuerunt apostoli. Paulus enim, Heb. xi. *Est autem fides*, inquit, *eorum quæ sperantur ὑπόστασις vel subsistentia firma, et earum rerum quæ non videntur ἔλεγχος*, id est, evidens et certa rei comprehensio. Et idem iterum, 2 Corinth. i. *Quotquot sunt promissiones Dei*, inquit, *per Christum sunt etiam et per ipsum, Amen.* Ad Philippenses i. idem ait *donatum esse ipsis, ut credant in Christum.* Item, Rom. xii. *Deus unicuique partitus est mensuram fidei.* Rursus 2 Thess. iii. Rom. x. *Non omnium est fides*, ait, *neque obediunt omnes evangelio.* Sed et Lucas testatur et ait, Act. xiii. *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam.* Unde idem iterum fidem nuncupat, fidem electorum Dei, Tit. i. Et iterum, Rom. x. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Alibi sæpe jubet orare pro fide.

Idem ille apostolus fidem vocat efficacem, et sese exerentem per dilectionem, Galat. v. Illa conscientiam quoque pacificat, et liberum ad Deum aditum aperit, ut cum fiducia ad ipsum accedamus, et obtineamus ab eo utilia et necessaria. Eadem retinet nos in officio, quod Deo debemus et proximo, et in adversis patientiam firmat, et confessionem veram format atque facit, et, ut uno verbo omnia dicam, omnis generis bonos fructus, et bona opera progignit.

Docemus enim vere bona opera enasci ex viva fide, per Spiritum Sanctum, et a fidelibus fieri secundum voluntatem vel regulam verbi Dei. Nam Petrus apostolus, 2 Pet. i. *Omni adhibito studio*, inquit, *subministrate in fide vestra virtutem, in virtute vero*

scientiam, in scientia vero temperantiam, &c. Diximus autem antea legem Dei, quæ voluntas Dei est, formulam nobis præscribere bonorum operum. Et Apostolus ait, 1 Thessal. iv. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis ab immunditia, et ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum.* Etenim non probantur Deo opera, et nostro arbitrio delecti cultus, quos Paulus nuncupat ἐθελοθρησκείας, Coloss. ii. De quibus et Dominus in evangelio, Matth. xv. *Frustra me colunt*, ait, *docentes doctrinas, præcepta hominum.* Improbamus ergo hujusmodi opera: approbamus et urgemus illa, quæ sunt ex voluntate et mandato Dei. Illi ipsa fieri debent, non ut his promereamur vitam æternam, *donum Dei enim est*, ut Apostolus ait, *vita æterna*, neque ad ostentationem, quam rejecit Dominus Matth. vi. neque ad quæstum, quem et ipsum rejecit, Matth. xxiii. sed ad gloriam Dei, ad ornandam vocationem nostram, gratitudinemque Deo præstandam, et ad utilitatem proximi. Rursus enim Dominus noster in evangelio dicit, Matth. v. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem qui in cœlis est.* Sed et apostolus Paulus, Ephes. iv. *Ambulate digne vocatione vestra.* Item Coloss. iii. *Quicquid egeritis*, inquit, *aut sermone, aut facto, omnia in nomine Jesu facite, gratias agentes Deo et Patri per illum.* Idem, 1 Cor. x. *Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius.* Et Tit. iii. *Discant et nostri bona opera tueri ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi.*

Quamvis ergo doceamus cum apostolo hominem gratis justificari per fidem in Christum, et non per ulla opera bona, non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Cum sciamus hominem nec conditum nec regenitum esse per fidem, ut otietur, sed potius, ut indesinenter quæ bona et utilia sunt faciat. Etenim in evangelio dicit Dominus, Matth. vii. *Bona arbor bonum fructum adfert.* Et iterum Johan. xv. *Qui in me manet, plurimum fruc-*

tum adfert. Denique Apostolus, *Dei sumus creatura,* ait, *conditi in Christo Jesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus.* Et iterum, Ephes. ii. Tit. ii. *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.* Damnamus itaque omnes qui bona opera contemnunt, non curanda et inutilia esse blaterant. Interim, quod et antea dictum est, non sentimus per opera bona nos servari, illaque ad salutem ita esse necessaria, ut absque illis nemo unquam sit servatus. Gratia enim soliusque Christi beneficio servamur. Opera necessario ex fide progignuntur: ac improprie his salus attribuitur; quæ propriissime ascribitur gratiæ. Notissima enim est illa Apostoli sententia, Rom. xi. *Si per gratiam, jam non ex operibus: quandoquidem gratia, jam non ex gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: quandoquidem jam opus, non est opus.*

Placent vero approbanturque a Deo opera, quæ a nobis fiunt, per fidem. Quia illi placent Deo, propter fidem in Christum, qui faciunt opera bona, quæ insuper per Spiritum Sanctum ex gratia Dei sunt facta. S. Petrus enim, Act. x. *In quavis gente,* inquit, *qui timet ipsum et operatur justitiam, is acceptus est illi.* Et Paulus, Coloss. i. *Non desinimus orare pro vobis, ut ambuletis digne Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes.* Itaque veras, non falsas aut philosophicas virtutes, vere bona opera, et genuina Christiani hominis officia, sedulo docemus, et quanta possumus diligentia vehementiaque omnibus inculcamus, vituperantes omnium illorum et desidiam, et hypocrisim, qui ore evangelium laudant et profitentur, vita autem turpi dedecorant, proponentes hac in causa, horribiles Dei minas, amplas denique promissiones Dei, et liberalia præmia, exhortando, consolando, et objurgando.

Etenim docemus Deum bona operantibus am-

plam dare mercedem, juxta illam prophetæ sententiam, Jerem. xxxi. Isaiæ iv. *Cohibe vocem tuam a fletu: quoniam erit merces operi tuo.* In evangelio quoque dixit Dominus, Matt. v. x. *Gaudete et exultate, quia merces vestra multa est in cœlis. Et qui dederit uni ex minimis meis poculum aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Referimus tamen mercedem hanc, quam Dominus dat, non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem, vel liberalitatem, et veritatem Dei promittentis atque dantis, qui cum nihil debeat cuiquam, promisit tamen se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum: qui interim dat eis etiam, ut ipsum colant. Sunt multa præterea indigna Deo, et imperfecta plurima inveniuntur in operibus etiam sanctorum: quia vero Deus recipit in gratiam, et complectitur propter Christum operantes, mercedem eis promissam persolvit. Alioqui enim justitiæ nostræ comparantur panno menstruatæ, Isaiæ lxiv. Sed et Dominus dicit in evangelio, Lucæ xvii. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.*

Tametsi ergo doceamus mercedem dari a Deo nostris benefactis, simul tamen docemus, cum Augustino, coronare Deum in nobis, non merita nostra, sed dona sua. Et proinde quicquid accipimus mercedis, dicimus gratiam quoque esse, et magis quidem gratiam quam mercedem: quod quæ bona facimus, per Deum magis, quam per nos ipsos facimus: et quod Paulus dicat, I Cor. iv. *Quid habes quod non accepisti? Si vero accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et quod hinc collegit beatus martyr Cyprianus: "In nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit." Damnamus ergo illos, qui merita hominum sic defendunt, ut evacuent gratiam Dei.

De catholica et sancta Dei Ecclesia, et unico Capite Ecclesiæ.

XVII.

QUANDO autem Deus ab initio salvos voluit fieri homines, et ad agnitionem veritatis venire, oportet omnino semper fuisse, nunc esse, et ad finem usque seculi futuram esse ecclesiam, id est, e mundo evocatum vel collectum cœtum fidelium, sanctorum inquam omnium communionem, eorum videlicet, qui Deum verum, in Christo Servatore, per verbum et Spiritum Sanctum, vere cognoscunt, et rite colunt, denique omnibus bonis per Christum gratuito oblatis fide participant. Sunt isti omnes unius civitatis cives, viventes sub eodem Domino, sub iisdem legibus, in eadem omnium bonorum participatione. Sic enim hos *concives sanctorum et domesticos Dei* appellavit Apostolus: sanctos appellans *fideles in terris*, sanguine Filii Dei sanctificatos, Ephes. ii. 1 Cor. vi. De quibus omnino intelligendus est, Symboli articulus, Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Et cum semper unus modo sit Deus, unus Mediator Dei et hominum Jesus Messias, unus item gregis universi Pastor, unum hujus corporis caput, unus denique Spiritus, una salus, una fides, unum testamentum vel fœdus, necessario consequitur unam duntaxat esse ecclesiam: quam propterea catholicam nuncupamus, quod sit universalis, et diffundatur per omnes mundi partes, et ad omnia se tempora extendat, nullis vel locis inclusa vel temporibus. Damnamus ergo Donatistas, qui ecclesiam in nescio quos Africæ coartabant angulos. Nec Romanensem approbamus clerum, qui solam prope Romanam ecclesiam venditant pro catholica.

Diducitur quidem ecclesia in partes vel species varias, non quod divisa aut divulsa sit in semetipsam, sed magis propter membrorum in ipsa diversi-

tatem distincta. Aliam enim faciunt ecclesiam militantem, aliam vero triumphantem. Militat illa adhuc in terris, et certat cum carne, cum mundo, et principe mundi hujus Diabolo, cum peccato atque morte. Hæc vero rude jam donata, in cœlo triumphat de istis devictis omnibus, et exultat coram Domino: nihilominus habent illæ inter sese communionem, vel conjunctionem.

Et militans in terris ecclesia semper plurimas habuit particulares ecclesias, quæ tamen omnes ad veritatem catholicæ ecclesiæ referuntur. Hæc aliter fuit instituta ante legem inter patriarchas, aliter sub Mose per legem, aliter a Christo per evangelium. Vulgo numerantur fere duo populi, Israelitarum videlicet et gentium, vel eorum qui ex Judæis et gentibus collecti sunt in ecclesiam, Testamenta item duo, Vetus et Novum. Omnium tamen horum populorum una fuit et est societas, una salus in uno Messia, in quo ceu membra unius corporis sub unum caput connectuntur omnes, in eadem fide, etiam de eodem cibo et potu spirituali participantes. Agnoscimus hic tamen diversa fuisse tempora, diversa symbola, promissi et exhibiti Messiæ, sublatisque cæremonialibus, lucem nobis illustriorem lucere, et dona auctiora donari, et libertatem esse pleniorem.

Hæc ecclesia Dei sancta, vocatur domus Dei viventis, extructa ex lapidibus vivis et spiritualibus, et imposita super petram immotam, super fundamentum, quo aliud collocari non potest: et ideo nuncupatur etiam *columna et basis veritatis*, 1 Tim. iii. Non errat illa, quamdiu innititur petræ Christo et fundamento prophetarum et apostolorum. Nec mirum si erret, quoties deserit illum, qui solus est veritas. Vocatur ecclesia etiam virgo ac sponsa Christi, et quidem unica et dilecta. Apostolus enim, 2 Cor. xi. *Adjunxi vos*, inquit, *uni viro, ut virginem castam exhiberetis Christo.* Vocatur ecclesia grex ovium sub uno Pastore Christo, idque apud Ezech. in capit. xxxiv. et apud Joannem in cap. x. Vo-

catur item corpus Christi, quia fideles sunt viva Christi membra sub capite Christo.

Caput est quod in corpore eminentiam habet, et unde corpus vitam haurit, cujus spiritu regitur in omnibus, unde et incrementa et ut crescat habet. Unicum item est corporis caput, et cum corpore habet congruentiam. Ergo ecclesia non potest ullum aliud habere caput quam Christum. Nam ut ecclesia corpus est spirituale, ita caput habeat sibi congruens spirituale utique oportet. Nec alio potest regi spiritu, quam Christi. Paulus quoque, Coloss. i. *Ipse est caput*, inquit, *corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primas tenens.* Et idem iterum, Ephes. v. *Christus est*, inquit, *caput ecclesiæ, qui idem salutem dat corpori.* Et rursus, Ephes. i. *Qui est caput ecclesiæ*, ait, *quæ corpus illius, complementum ejus qui omnia in omnibus adimplet.* Item, Ephes. iv. *Adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus: in quo totum corpus si compingatur, incrementum capit.* Non probamus ergo doctrinam cleri Romani facientis suum illum Rom. pont. catholicæ in terris ecclesiæ militantis pastorem universalem, et caput summum, adeoque verum Christi vicarium, qui habeat in ecclesia plenitudinem, ut vocant, potestatis, et dominium supremum. Docemus enim Christum Dominum esse, et manere unicum Pastorem universalem, summum item Pontificem coram Deo Patre, ac in ecclesia ipsum omnia pontificis vel pastoris obire munia, ad finem usque seculi, ideoque nullo indigere vicario, qui absentis est. Christus vero præsens est ecclesiæ, et caput vivificum. Hic apostolis suis apostolorumque successoribus primatum et dominium in ecclesia severissime prohibuit. Quicunque ergo huic illustri veritati contradicentes reluctantur, et in ecclesiam Christi diversam inducunt gubernationem, quis non videat eos illis potius esse accensendos, de quibus apostoli Christi vaticinantur, Petrus 2 Pet. ii. et Pau-

lus Act. xx. 2 Cor. xi. et 2 Thess. ii. et aliis quoque in locis.

Sublato autem capite Romano, nullam inducimus in ecclesiam Christi ἀταξίαν, vel perturbationem: cum doceamus gubernationem ecclesiæ ab apostolis traditam nobis sufficere ad retinendam in justo ordine ecclesiam, quæ ab initio, dum hujusmodi capite Romano quale hodie dicitur ecclesiam conservare in ordine, caruit, atactica vel inordinata non fuit. Servat quidem caput Romanum tyrannidem suam, et corruptelam inductam in ecclesiam: sed impedit interim, oppugnat, et quantis potest viribus exscindit justam ecclesiæ reformationem.

Objicitur nobis varia esse in ecclesiis nostris certamina atque dissidia, posteaquam se a Romana separarunt ecclesia, proinde non esse eas ecclesias veras. Quasi vero nullæ unquam fuerint in ecclesia Romana sectæ, nulla unquam dissidia atque certamina, et quidem de religione, non tam in scholis, quam in cathedris sacris, in medio populi instituta. Agnoscimus sane dixisse Apostolum, 1 Cor. xiv. *Deus non est Deus dissensionis, sed pacis.* Et, *Cum sit in vobis æmulatio et contentio, an non carnales estis?* negari tamen non potest, Deum fuisse in ecclesia apostolica, et apostolicam ecclesiam fuisse ecclesiam veram, in qua tamen fuerunt concertationes et dissidia. Reprehendit enim Petrum apostolum apostolus Paulus, ab hoc dissidet Barnabas, Galat. ii. Act xv. Certamen grave exoritur in ecclesia Antiochena, inter eos qui unum Christum prædicabant: sicut commemorat Lucas in Actis Apostolicis cap. xv. Gravia semper fuerunt in ecclesia certamina, et dissenserunt inter se, de rebus non levibus, doctores ecclesiæ præclarissimi, ut ex his contentionibus interim ecclesia non id esse desineret, quod erat. Ita enim placet Deo, dissidiis ecclesiasticis uti, ad gloriam nominis sui, ad illustrandam denique veritatem, et ut qui probati sunt, manifesti fiant. Cæterum ut non agnoscimus aliud caput ec-

clesiæ quam Christum, ita non agnoscimus quamlibet ecclesiam, quæ se venditat pro vera, veram esse ecclesiam, sed illam docemus veram esse ecclesiam, in qua signa vel notæ inveniuntur ecclesiæ veræ, imprimis vero verbi Dei legitima vel sincera prædicatio, prout nobis est tradita in libris Prophetarum et Apostolorum, qui omnes ad Christum deducunt: qui in evangelio dixit, Joan. x. *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.* Et qui tales sunt in ecclesia, hi unam habent fidem, unum spiritum, et idcirco unum solum Deum adorant, solum hunc in spiritu et veritate colunt, hunc ex toto corde et omnibus viribus solum diligunt, solum per Christum Mediatorem et Intercessorem unicum invocant, extra Christum, fidemque in ipsum, nullam quærunt justitiam et vitam: quia Christum solum caput et fundamentum ecclesiæ agnoscunt, ac super hoc impositi quotidie se pœnitentia reparant, patientia impositam ipsis crucem ferunt, sed et charitate non ficta, cum omnibus Christi membris connexi, hac se declarant discipulos esse Christi perseverando in vinculo pacis atque unitatis sanctæ: Simul et participant sacramentis a Christo institutis, et ab apostolis traditis: neque his aliter utuntur, quam uti acceperunt a Domino. Notum est enim omnibus illud Apostoli, 1 Corinth. xi. *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* Proinde damnamus illas ecclesias, ut alienas a vera Christi ecclesia, quæ tales non sunt, quales esse debere audivimus, utcunque interim jactent successionem episcoporum, unitatem, et antiquitatem. Quinimo præcipiunt nobis apostoli, ut fugiamus idololatriam et Babylonem, et ne participemus cum hac, nisi et plagarum Dei participes esse velimus, 1 Corinth. x. 1 Joan. v. Apoc. xviii. 2 Cor. vi.

Communionem vero cum ecclesia Christi vera,

tanti facimus, ut negemus eos coram Deo vivere posse, qui cum vera Dei ecclesia non communicant, sed ab ea se separant. Nam ut extra arcam Noe, non erat ulla salus, pereunte mundo in diluvio, ita credimus extra Christum, qui se electis in ecclesia fruendum præbet, nullam esse salutem certam: et proinde docemus vivere volentes non oportere separari a vera Christi ecclesia.

Signis tamen commemoratis, non ita arcte includimus ecclesiam, ut omnes illos extra ecclesiam esse doceamus, qui vel sacramentis non participant, non quidem volentes, neque per contemptum, sed necessitate potius inevitabili coacti, nolentes ab iis abstineant, aut iis careant: vel in quibus aliquando deficit fides, non tamen penitus extinguitur aut prorsus desinit: vel in quibus infirmitatis vitia atque errores inveniuntur. Scimus enim Deum aliquot habuisse in mundo amicos, extra Israelis rempublicam. Scimus quid populo Dei evenerit in captivitate Babylonica, in qua sacrificiis suis caruerunt annis septuaginta. Scimus quid evenerit S. Petro negatori, et quid quotidie evenire soleat electis Dei fidelibus errantibus et infirmis. Scimus præterea, quales apostolorum temporibus fuerint Galatarum et Corinthiorum ecclesiæ, in quibus multa et gravia accusat Apostolus scelera, et tamen nuncupat easdem sanctas Christi ecclesias. Quinimo fit aliquando, ut Deus justo judicio veritatem verbi sui, fidemque catholicam, et cultum Dei legitimum sic obscurari et convelli sinat, ut prope videatur extincta, et nulla amplius superesse ecclesia: sicuti factum videmus Heliæ, et aliis temporibus, 3 Reg. xix. Apoc. vii. 2 Tim. ii. Interim habet Deus in hoc mundo, et in hisce tenebris suos illos veros adoratores, nec paucos, sed septem millia ac plures. Nam et Apostolus clamat, *Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Novit Dominus qui sint sui*, &c. Unde et ecclesia invisibilis appellari potest, non quod homines sint invisibiles, ex quibus eccle-

sia colligitur, sed quod oculis nostris absconsa, Deo autem soli nota, judicium humanum sæpe subterfugiat.

Rursus non omnes qui numerantur in ecclesia sancti, et viva atque vera sunt ecclesiæ membra. Sunt enim hypocritæ multi, qui foris verbum Dei audiunt, et sacramenta palam percipiunt, Deum quoque per Christum invocare solum, Christum confiteri justitiam suam unicam, Deum item colere, et charitatis officia exercere, patientiaque in calamitatibus ad tempus perdurare videntur: sed intus vera Spiritus illuminatione, et fide animique sinceritate, et finali perseverentia destituuntur. Qui etiam quales sint, tandem deteguntur fere. Joannes enim apostolus, 1 Joan. ii. *Exierunt ex nobis*, inquit, *sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Et tamen dum hi simulant pietatem, licet ex ecclesia non sint, numerantur tamen in ecclesia: sicuti proditores in republica, priusquam detegantur, numerantur et ipsi inter cives, et quemadmodum lolium vel zizania et palea inveniuntur in tritico: aut sicut strumæ et tumores inveniuntur in integro corpore, cum revera morbi et deformitates sint verius corporis quam membra vera. Proinde ecclesia Dei recte comparatur sagenæ, quæ omnis generis pisces attrahit, et agro, in quo inveniuntur et zizania et triticum, Matth. xiii. Ubi maxime cavere oportet, ne ante tempus judicemus, et excludere abjicereque, aut exscindere conemur eos, quos Dominus excludi abjicique non vult, aut quos sine jactura ecclesiæ separare non possumus. Rursus vigilandum est, ne stertentibus piis, impii proficiendo damnum dent ecclesiæ.

Observandum præterea diligenter docemus, in quo potissimum sita veritas et unitas ecclesiæ, ne temere schismata excitemus, et in ecclesia foveamus. Sita est illa non in cæremoniis et ritibus externis, sed magis in veritate et unitate fidei catholicæ. Fides catholica, non est nobis tradita huma-

nis legibus, sed Scriptura divina, cujus compendium est Symbolum Apostolicum. Unde legimus apud veteres rituum fuisse diversitatem variam, sed eam liberam, qua nemo unquam existimavit dissolvi unitatem ecclesiasticam. In dogmatibus itaque, et in vera concordique prædicatione evangelii Christi, et in ritibus a Domino diserte traditis, dicimus veram ecclesiæ constare concordiam: ubi illam maxime apostoli sententiam urgemus, Philip. iii. *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus. Quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Attamen in eo ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, et itidem simus affecti.*

De Ministris Ecclesiæ, ipsorumque Institutione, et Officiis.

XVIII.

DEUS ad colligendam vel constituendam sibi ecclesiam, eandemque gubernandam et conservandam, semper usus est ministris, iisque utitur adhuc, et utetur porro, quoad ecclesia in terris fuerit. Ergo ministrorum origo, institutio et functio vetustissima et ipsius Dei, non nova aut hominum est ordinatio. Posset sane Deus sua potentia immediate sibi adjungere ex hominibus ecclesiam, sed maluit agere cum hominibus per ministerium hominum. Proinde spectandi sunt ministri, non ut ministri duntaxat per se, sed sicut ministri Dei, utpote per quos Deus salutem hominum operatur. Unde cavendum monemus, ne ea quæ sunt conversionis nostræ et institutionis, ita occultæ virtuti Spiritus Sancti attribuamus, ut ministerium ecclesiasticum evacuemus. Nam convenit nos semper esse memores verborum apostoli, Rom. x. *Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absque prædicante? Ergo fides est ex auditu, auditus autem*

per verbum Dei. Et quod Dominus dixit in evangelio, Joan. xiii. *Amen, amen, dico vobis, qui recipit quemcunque misero, me recipit; qui autem me recipit, recipit eum qui me misit.* Et quod vir Macedo per visionem Paulo in Asia agenti apparens, submonuit et dixit, Act. xvi. *Profectus in Macedoniam, succurre nobis.* Alibi enim idem Apostolus dixit, 1 Cor. iii. *Dei sumus cooperarii, Dei agricolatio et ædificatio estis.* Rursus tamen et hoc cavendum est, ne ministris et ministerio nimium tribuamus, memores etiam hic verborum Domini, dicentis in evangelio, Joan. vi. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et verborum Apostoli, *Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, et ut cuique Dominus dedit? Ego plantavi, Apollos rigavit: sed Deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus,* 1 Cor. iii. Credamus ergo Deum verbo suo nos docere foris per ministros suos, intus autem commovere electorum suorum corda ad fidem per Spiritum Sanctum: ideoque omnem gloriam totius hujus beneficii referendam esse ad Deum. Sed ea de re dictum est et 1. cap. hujus expositionis.

Et quidem ab initio mundi usus est Deus omnium præstantissimis in mundo (simplicibus quidem pluribus in mundana sapientia vel philosophia, sed excellentissimis in vera theologia) hominibus, patriarchis videlicet, cum quibus non raro collocutus est per angelos. Fuerunt enim patriarchæ sui seculi prophetæ sive doctores, quos Deus hoc nomine aliquot voluit secula vivere, ut essent veluti patres et lumina orbis. Secutus est illos Moses cum prophetis per universum mundum celeberrimis. Quid quod post hos misit Pater cœlestis Filium suum unigenitum, Doctorem mundi absolutissimum, in quo est abscondita divina illa sapientia, et in nos derivata, per sacratissimam simplicissimamque, et omnium perfectissimam doctrinam. Allegit enim ille

sibi discipulos, quos fecit apostolos. Hi vero exeuntes in mundum universum, collegerunt ubique ecclesias per prædicationem evangelii, deinde vero per omnes mundi ecclesias ordinarunt pastores, atque doctores, ex præcepto Christi, per quorum successores hucusque ecclesiam docuit ac gubernavit. Itaque, ut Deus veteri populo dedit patriarchas una cum Mose et prophetis: ita Novi Testamenti populo misit suum unigenitum Filium una cum apostolis, et doctoribus ecclesiæ.

Porro ministri novi populi variis nuncupantur appellationibus. Dicuntur enim, 1 Cor. xii. Ephes. iv. *apostoli*, *prophetæ*, *evangelistæ*, *episcopi*, *presbyteri*, *pastores*, atque *doctores*. Apostoli nullo certo consistebant loco, sed per orbem varias colligebant ecclesias. Quæ ubi jam constitutæ erant, desierunt esse apostoli, ac subierunt quique in sua ecclesia in locum istorum pastores. Prophetæ quondam præscii futurorum vates erant: sed et Scripturas interpretabantur. Quales etiam hodie adhuc inveniuntur. Evangelistæ appellabantur scriptores evangelicæ historiæ, sed et præcones evangelii Christi: quomodo et Paulus Timotheum jubet implere opus evangelistæ. Episcopi vero sunt inspectores, vigilesque ecclesiæ, qui victum et necessaria ecclesiæ dispensant. Presbyteri sunt seniores, et quasi senatores, patresque ecclesiæ, gubernantes ipsam consilio salubri. Pastores ovile Domini et custodiunt, et ei de rebus prospiciunt necessariis. Doctores erudiunt, et veram fidem pietatemque docent. Licebit ergo nunc ecclesiarum ministros nuncupare episcopos, presbyteros, pastores, atque doctores.

Sequentibus porro temporibus, multo plures in ecclesiam Dei inductæ sunt nuncupationes ministrorum in ecclesia. Alii enim ordinati sunt patriarchæ, alii archiepiscopi, alii suffraganei, item metropolitani, archipresbyteri, diaconi quoque, subdiaconi, acoluthi, exorcistæ, cantores, janitores, et nescio qui alii, ut cardinales, præpositi, et priores,

Patres minores et majores, ordines majores et minores. At de his omnibus nihil sumus nos soliciti, quales olim fuerint, aut nunc sint. Sufficit nobis apostolica de ministris doctrina.

Ita cum sciamus certo monachos, et monachorum ordines vel sectas, neque a Christo, neque ab apostolis esse institutas, docemus nihil eas ecclesiæ Dei utiles esse, imo perniciosas. Tametsi enim quondam (cum essent solitarii, et manibus sibi victum quærerent, nec ullis essent oneri, sed pastoribus ecclesiarum ubique parerent, ut laici) fuerint tolerabiles, tamen nunc, quales sint videt, et sentit universus orbis. Prætexunt nescio quæ vota, et vivunt votis suis vitam prorsus contrariam : ut prorsus optimi eorum inter eos numerari mereantur, de quibus dixit apostolus, 2 Thess. iii. *Audimus quosdam versantes inter vos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes.* Tales ergo nos in nostris ecclesiis nec habemus, nec in ecclesiis Christi habendos esse docemus.

Nemo aut honorem ministerii ecclesiastici usurpare, aut sibi, id est, ad se largitionibus, aut ullis artibus, arbitrio proprio, rapere debet. Vocentur et eligantur electione ecclesiastica et legitima, ministri ecclesiæ: id est, eligantur religiose ab ecclesia, vel ad hoc deputatis ab ecclesia, ordine justo, et absque turba, seditionibus, et contentione. Eligantur autem non quilibet, sed homines idonei, eruditione justa et sacra, eloquentia pia, prudentiaque simplici, denique moderatione et honestate vitæ insignes, juxta canonem apostolicum, qui ab apostolo contexitur in 1 ad Tim. iii. cap. et ad Tit. i. cap. *Et qui electi sunt, ordinentur a senioribus cum orationibus publicis, et impositione manuum.* Damnamus hic omnes qui sua sponte currunt, cum non sint electi, missi, vel ordinati. Damnamus ministros ineptos, et non instructos donis pastori necessariis. Interim agnoscimus quorundam in veteri ecclesia pastorum simplicitatem innocuam, plus aliquando profuisse

ecclesiæ, quam quorundam eruditionem variam, exquisitam, delicatamque, sed paulo fastuosiorem. Unde ne hodie quidem rejicimus simplicitatem quorundam probam, nec tamen omnino imperitam. Nuncupant sane apostoli Christi omnes in Christum credentes sacerdotes, sed non ratione ministerii, sed quod per Christum, omnes fideles facti reges et sacerdotes, offerre possumus spirituales Deo hostias. Diversissima ergo inter se sunt sacerdotium et ministerium. Illud enim commune est Christianis omnibus, ut modo diximus, hoc non item. Nec e medio sustulimus ecclesiæ ministerium, quando repudiavimus ex ecclesia Christi sacerdotium papisticum.

Equidem in Novo Testamento, Christi non est amplius tale sacerdotium, quale fuit in populo veteri, quod unctionem habuit externam, vestes sacras, et cæremonias plurimas: quæ typi fuerunt Christi; qui illa omnia veniens et adimplens, abrogavit, Hebr. v. *Manet autem ipse solus Sacerdos in æternum:* cui ne quid derogemus, nemini inter ministros sacerdotis vocabulum communicamus. Ipse enim Dominus noster non ordinavit ullos in ecclesia Novi Testamenti sacerdotes, qui, accepta potestate a suffraganeo, offerant quotidie hostiam, ipsam inquam carnem et ipsum sanguinem Domini pro vivis et mortuis, sed qui doceant et sacramenta administrent. Paulus enim simpliciter et breviter, quid sentiamus de Novi Testamenti, vel de ecclesiæ Christianæ ministris, et quid eis tribuamus, exponens, 1 Cor. iv. *Sic nos æstimet homo,* inquit, *ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Proinde vult apostolus, ut de ministris sentiamus, tanquam de ministris; ὑπηρέτας vero nuncupavit apostolus *subremigatores,* qui ad nauclerum unice respiciunt, vel homines non sibi nec suo arbitrio, sed aliis viventes, dominis inquam suis, a quorum mandatis omnino dependent. Nam minister ecclesiæ totus et in omnibus suis officiis, non suo arbitrio indulgere, sed illud duntaxat exequi

jubetur, quod in mandatis habet a suo Domino. Et in præsenti quis sit Dominus exprimitur, Christus, cui in omnibus ministerii negotiis sunt mancipati ministri. Adjicit præterea quo ministerium plenius explanet, ministros ecclesiæ, œconomos esse vel dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria vero Dei multis in locis, imprimis ad Ephes. iii. appellavit Paulus evangelium Christi. Mysteria nuncupavit etiam vetustas Christi sacramenta. Proinde in hoc sunt vocati ministri ecclesiæ ut evangelium Christi annuncient fidelibus, et sacramenta administrent. Alibi enim legimus in evangelio Lucæ xii. de fideli servo et prudente, quod eum Dominus constituit super familiam suam, ut tempore opportuno det ei cibum suum. Rursus proficiscitur alibi in evangelio peregre homo, relinquens domum, et in hac dat servis suis potestatem vel substantiam suam, et suum cuique opus.

Nunc ergo commode dicemus etiam quædam de potestate et officio ministrorum ecclesiæ. De potestate hac operosius quidam disputarunt, subdideruntque suæ potestati omnia in terris summa, idque contra mandatum Domini, qui suis dominium prohibuit, humilitatem autem maximopere commendavit, Luc. xxii. Matth. xviii. xx. Revera alia quidem potestas est mera et absoluta, quæ et juris vocatur. Ea potestate Christo Domino universorum subjecta sunt omnia: sicuti ipse testatus est et dixit, *Data est mihi potestas in cœlo et in terra.* Et iterum, *Ego sum primus et novissimus, ecce sum vivens in secula seculorum, et habeo claves inferni et mortis.* Item, *Ipse habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit,* Matth. xxviii. Apoc. i. iii. *Hanc potestatem sibi servat Dominus, nec in alium quenquam transfert, ut ipse deinceps otiosus assistat, operantibus ministris spectator.* Isaias enim ix. xxii. *Clavem domus David,* inquit, *ponam super humerum ejus.* Et iterum, *Cujus imperium erit super humerum ejus.* Nam gubernationem non in-

jicit aliis in suos humeros, sed servat et utitur adhuc potestate sua, gubernans omnia. Alia porro potestas est officii vel ministerialis, limitata ab eo, qui plena utitur potestate. Ea ministerio, quam imperio similior est. Concedit enim Dominus aliquis œconomo suo potestatem in domum suam, quo nomine et claves dat, quibus intromittat in domum, vel ex domo excludat, quos Dominus vel intromitti vult vel excludi. Juxta hanc potestatem, facit minister ex officio, quod a Domino jussus est facere; et Dominus ratum habet, quod facit, ipsumque ministri sui factum perinde ut suum vult æstimari atque agnosci. Quo nimirum pertinent illæ evangelicæ sententiæ, *Dabo tibi claves regni cœlorum, et, quicquid alligaveris aut solveris in terra, alligatum aut solutum erit in cœlis.* Item, *Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis, et quorumcunque retinueritis peccata, retenta erunt.* Nisi vero minister res omnes ita expediverit, sicut jussus est a Domino suo, sed limites fidei transilierit, sane irritum habetur a Domino quod fecit. Proinde potestas ecclesiastica ministrorum ecclesiæ, est functio illa, qua ministri ecclesiam Dei gubernant quidem, verum omnia in ecclesia sic faciunt, quemadmodum verbo suo præscripsit Dominus: quæ cum facta sunt, fideles tanquam ab ipso Domino facta reputant. Et de clavibus, antea quoque dictum est nonnihil.

Data est autem omnibus in ecclesia ministris una et æqualis potestas sive functio. Certe ab initio, episcopi vel presbyteri ecclesiam communi opera gubernaverunt; nullus alteri se prætulit, aut sibi ampliorem potestatem dominiumve in coepiscopos usurpavit. Memores enim verborum Domini, *Qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus,* continuerunt se in humilitate, et mutuis officiis juverunt se invicem in gubernanda et conservanda ecclesia. Interea propter ordinem servandum, unus aut certus aliquis ministrorum, cœtum convocavit,

et in cœtu res consultandas proposuit, sententias item aliorum collegit, denique ne qua oriretur confusio, pro virili cavit. Sic legitur fecisse in Actis Apostolorum S. Petrus, qui tamen ideo nec aliis fuit præpositus, nec potestate majore cæteris præditus. Rectissime enim Cyprianus martyr, de Simplicitate clericorum; "Hoc erant utique," inquit, "et cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio "præditi et honoris et potestatis; sed exordium ab "unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur." Refert item S. Hieronymus non disparia, in Comment. ad Epist. ad Titum Pauli, et dicit; "Antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, "communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur, postquam vero unusquisque eos, quos "baptizaverat, suos putabat, non Christi, decretum "est, ut unus de presbyteris electus superponeretur "cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, "et schismatum semina tollerentur." Hoc tamen decretum Hieronymus non pro divino venditat. Mox enim subjicit, "Sicut presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse "subjectos: ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere ecclesiam regere." Hæc ille. Ideoque nemo jure prohibuerit ad veterem ecclesiæ Dei constitutionem redire, et illam præ humana consuetudine recipere.

Officia ministrorum sunt varia, quæ tamen plerique ad duo restringuunt, in quibus omnia alia comprehenduntur, ad doctrinam Christi evangelicam, et ad legitimam sacramentorum administrationem. Ministrorum enim est congregare cœtum sacrum, in hoc exponere verbum Dei, et universam doctrinam accommodare ad rationem usumque ecclesiæ, ut ea quæ docentur, prosint auditoribus, et ædificent fideles. Ministrorum, inquam, est, docere imperitos, hortari item, et urgere ad progrediendum in via Domini cessantes, aut etiam tardius procedentes,

consolari item et confirmare pusillanimes, munireque contra Satanæ tentationes varias, corripere peccantes, revocare in viam errantes, lapsos erigere, contradicentes revincere, lupos denique ab ovili dominico abigere, scelera item et sceleratos prudenter et graviter increpare, neque connivere aut tacere ad conscelerationem: sed et sacramenta administrare, usumque eorum justum commendare, et omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam præparare, in unitate quoque sancta fideles conservare, et schismata prohibere, denique catechisare rudes, pauperum necessitatem commendare ecclesiæ, ægrotantes et variis implexos tentationibus visitare, instruere, et in via vitæ retinere: præterea orationes publicas, vel supplicationes necessitatis tempore, una cum jejunio, id est, abstinentia sancta, procurare, et omnia quæ pertinent ad ecclesiarum tranquillitatem, pacem, et salutem, quam diligentissime curare. Ut autem hæc omnia rectius faciliusque possit minister præstare, requiritur ab eo imprimis, ut sit Dei timens, oret sedulo, lectioni sacræ intendat, et in omnibus et semper vigilet, et puritate vitæ omnibus præluceat. Cumque omnino oporteat esse in ecclesia disciplinam, et apud veteres quondam usitata fuerit excommunicatio, fuerintque judicia ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes et pios exercebatur hæc disciplina, ministrorum quoque fuerit ad ædificationem disciplinam moderari hanc, pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Ubi semper tenenda est regula, omnia fieri debere ad ædificationem, decenter, honeste, sine tyrannide et seditione. Apostolus enim testatur, 2 Cor. x. *sibi a Deo traditam esse in ecclesia potestatem ad ædificationem et non destructionem.* Nam ipsemet Dominus vetuit lolium in agro dominico eradicari, quando periculum sit, ne et triticum evellatur, Matt. xiii.

Cæterum execramur in præsenti Donatistarum errorem, qui doctrinam et administrationem sacra-

mentorum, vel efficacem vel inefficacem, ex mala vel bona ministrorum vita æstimant. Scimus enim vocem Christi audiendam esse vel ex malorum ministrorum ore. Quando ipse Dominus dixit, Matt. xxiii. *Quæ dicunt facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Scimus sacramenta, ex institutione, et per verbum Christi sanctificari, et efficacia esse piis, tametsi offerantur ab indignis ministris. De qua re ex Scripturis, multa contra Donatistas disputavit beatus Dei servus Augustinus. Atqui debet interim justa esse inter ministros disciplina. Inquirendum enim diligenter in doctrinam et vitam ministrorum, in synodis. Corripiendi sunt peccantes a senioribus, et in viam reducendi, si sunt sanabiles, aut deponendi, et velut lupi abigendi sunt per veros pastores a grege Dominico, si sunt incurabiles. Si enim sint pseudo-doctores, minime ferendi sunt. Neque vero et Œcumenica improbamus concilia, si ad exemplum celebrentur apostolicum, ad ecclesiæ salutem, non perniciem.

Ministri quoque fideles omnes, ut boni operarii, mercede sua digni sunt, nec peccant, quando stipendium omniaque interim necessaria pro se et sua familia accipiunt. Nam Apostolus ostendit hæc jure dari ab ecclesia, et accipi a ministris, in 1 ad Corinth. ix. et in 1 ad Tim. v. et alibi quoque. Confutati sunt autem apostolica doctrina et anabaptistæ, qui ministros ex ministerio suo viventes damnant, et convitiis proscindunt.

De Sacramentis Ecclesiæ Christi.

XIX.

PRÆDICATIONI verbi sui adjunxit Deus mox ab initio, in ecclesia sua, sacramenta vel signa sacramentalia. Ita enim clare testatur universa Scriptura sacra. Sunt autem sacramenta, symbola mys-

tica, vel ritus sancti, aut sacræ actiones a Deo ipso institutæ, constantes verbo suo signis et rebus significatis, quibus in ecclesia summa sua beneficia, homini exhibita, retinet in memoria, et subinde renovat, quibus item promissiones suas obsignat, et quæ ipse nobis interius præstat, exterius repræsentat, ac veluti oculis contemplanda subjicit, adeoque fidem nostram, Spiritu Dei in cordibus nostris operante, roborat et auget: quibus denique nos ab omnibus aliis populis et religionibus separat, sibique soli consecrat et obligat, et quid a nobis requirat, significat.

Et sunt quidem alia veteris, alia novi populi sacramenta. Veteris populi sacramenta fuerunt, Circumcisio, et Agnus Paschalis qui immolabatur: quo nomine ad sacrificia refertur, quæ fuerunt celebrata ab origine mundi. Novi populi sacramenta sunt, Baptismus et Cœna Dominica. Sunt qui sacramenta novi populi septem numerent. Ex quibus nos pœnitentiam, ordinationem ministrorum, non papisticam quidem illam, sed apostolicam, et matrimonium, agnoscimus instituta esse Dei utilia, sed non sacramenta. Confirmatio et extrema unctio inventa sunt hominum, quibus nullo cum damno carere potest ecclesia. Neque illa nos in nostris ecclesiis habemus. Nam habent illa quædam, quæ minime probare possumus. Nundinationem omnem, quam exercent Romanenses in dispensatione sacramentorum, omnino execramur. Author autem sacramentorum omnium non est homo ullus, sed Deus solus. Homines sacramenta instituere non possunt. Nam pertinent illa ad cultum Dei. At hominum non est instituere et formare Dei cultum: sed traditum a Deo recipere et custodire. Præterea habent symbola promissiones adjunctas, quæ requirunt fidem. Fides autem solo Dei verbo innititur. Et verbum Dei habetur instar tabularum vel literarum, sacramenta vero instar sigillorum: quæ literis Deus appendit solus. Et ut Deus sacramentorum author

est, ita perpetuo operatur in ecclesia, in qua rite peraguntur sacramenta: adeo ut fideles cum a ministris sacramenta percipiunt, agnoscant operari Deum in suo instituto, ideoque sacramenta perinde ac ex ipsius Dei manu percipere, et ipsis ministri vitium (si quod insigne ipsis insit) non obesse, quando agnoscant sacramentorum integritatem dependere ab institutione Domini. Unde etiam discriminant aperte in administratione sacramentorum, inter Dominum ipsum, et Domini ministrum, confitentes sacramentorum res dari ab ipso Domino, symbola autem a Domini ministris.

Cæterum, præcipuum illud, quod in omnibus sacramentis proponitur a Deo, et attenditur a piis omnibus omnium temporum (quod alii nuncupant substantiam et materiam sacramentorum) Christus est Servator, hostia illa unica, Agnus item ille Dei mactatus ab origine mundi, Petra quoque illa, de qua omnes majores nostri biberunt, per quem electi omnes circumciduntur sine manibus per Spiritum Sanctum, abluunturque a peccatis suis omnibus, et aluntur vero corpore et sanguine Christi ad vitam æternam.

Et quantum quidem attinet ad illud, quod in sacramentis est præcipuum, et res ipsa, paria sunt utriusque populi sacramenta. Nam Christus unicus Mediator, et Servator fidelium, utrobique est illud præcipuum, et ipsa res sacramentorum. Unus et idem Deus, utrobique horum est author. Utrique populo data sunt illa, ut signa adeoque obsignationes gratiæ et promissionum Dei, quæ in memoriam reducant, reparentque maxima Dei beneficia, quibus item fideles ab omnibus aliis orbis religionibus sejungerentur, denique quæ spiritualiter per fidem perciperentur, et percipientes obstringerent ecclesiæ, et ipsos sui admonerent officii. In his inquam et similibus, non disparia sunt utriusque populi sacramenta, quæ tamen in signis sunt diversa.

Et quidem constituimus etiam in his ampliorem

differentiam. Nostra enim firmiora et magis durabilia sunt, utpote quæ in finem usque seculi nunquam mutabuntur. Sed et rem et promissionem completam vel perfectam in Christo testantur, quam complendam illa significabant. Simpliciora item sunt nostra et minus operosa, minus item sumptuosa et cæremoniis involuta. Pertinent præterea ad ampliorem populum, per totum terrarum orbem dispersum: cumque etiam illustriora sint, et majorem (per Spiritum Sanctum) excitent fidem, insequitur etiam uberior Spiritus copia.

Certe cum Christus verus Messias nobis sit exhibitus, et abundantia gratiæ effusa in populum Novi Testamenti, abrogata sunt utique, ac desierunt veteris populi sacramenta, et subrogata sunt Novi Testamenti symbola, in locum Circumcisionis, Baptismus, et in locum Agni Paschalis sacrificiorumque, Cœna Dominica.

Sicut autem quondam sacramenta constabant verbo, signo, et re significata, ita nunc quoque iisdem veluti partibus absolvuntur. Nam verbo Dei fiunt, quæ antea non fuerunt, sacramenta. Consecrantur enim verbo, et sanctificata esse ostenduntur ab eo qui instituit. Et *sanctificare* vel *consecrare*, est rem aliquam Deo sacrisque usibus dedicare, hoc est, a communi vel prophano usu segregare, et sacro usui destinare. Sunt enim in sacramentis signa petita ex usu vulgari, res externæ et visibiles. In baptismo enim signum est elementum aquæ, ablutioque illa visibilis quæ fit per ministrum. Res autem significata, est regeneratio vel ablutio a peccatis. In Cœna vero Domini, signum est panis et vinum, sumptus ex communi usu cibi et potus. Res autem significata, est ipsum traditum Domini corpus, et sanguis ejus effusus pro nobis, vel communio corporis et sanguinis Domini. Proinde, aqua, panis et vinum sua natura, et extra institutionem divinam, ac usum sanctum, duntaxat id sunt, quod esse dicuntur, et experimur. Cæterum, si accedat Domini

verbum, cum invocatione divini nominis, et renovatione primæ institutionis et sanctificationis, signa ista consecrantur, et sanctificata a Christo esse ostenduntur. Manet enim semper efficax in ecclesia Dei prima Christi institutio, et consecratio sacramentorum, adeo ut qui non aliter celebrent sacramenta, quam ipse Dominus ab initio instituit, fruantur etiam nunc prima illa consecratione omnium præstantissima. Et ideo recitantur in celebratione sacramentorum ipsa verba Christi. Et quoniam verbo Dei discimus, quod signa hæc in alium finem sint instituta a Domino, quam usurpentur vulgo, ideo docemus signa nunc in usu sacro, usurpare rerum signatarum vocabula, nec appellari amplius aquam tantum, panem et vinum, sed etiam regenerationem vel lavacrum renovationis, item corpus et sanguinem Domini, vel symbola aut sacramenta corporis et sanguinis Domini. Non quod symbola mutentur in res significatas, et desinant esse id quod sunt sua natura; alioqui enim sacramenta non essent, quæ re significata duntaxat constarent, signa non essent: sed ideo usurpant signa rerum nomina, quod rerum sacrarum sunt symbola mystica, et signa et res significatæ inter se sacramentaliter conjungantur, conjungantur inquam, vel uniantur per significationem mysticam, et voluntatem vel consilium ejus, qui sacramenta instituit. Non enim aqua, panis et vinum, sunt signa vulgaria, sed sacra. Et qui instituit aquam Baptismi, non ea voluntate consilioque instituit, ut fideles aqua duntaxat baptismi perfundantur: et qui jussit in Cœna panem edere, et vinum bibere, non hoc voluit, ut fideles panem et vinum tantum percipiant, sine mysterio, sicut domi suæ panem manducant, sed ut rebus quoque significatis spiritualiter communicent, et vere per fidem abluantur a peccatis, et Christo participent.

Idcirco minime probamus eos, qui sanctificationem sacramentorum attribuunt nescio quibus characteribus, et recitationi, vel virtuti verborum pro-

nunciatorum a consecrato, et qui habeat intentionem consecrandi, aut rebus aliis adventitiis, quæ neque Christi, neque apostolorum, vel verbo, vel exemplo nobis traduntur. Neque probamus eorum quoque doctrinam, qui de sacramentis perinde loquuntur, ut signis communibus, non sanctificatis aut efficacibus. Neque eos probamus, qui propter invisibilia, aspernantur in sacramentis visibilia, adeoque signa sibi credunt fore supervacanea, quod rebus se jam frui arbitrantur, quales Messaliani fuisse dicuntur. Neque vero approbamus istorum quoque doctrinam, qui docent gratiam, et res significatas, signis ita alligari et includi, ut quicunque signis exterius participent, etiam interius gratiæ rebusque significatis, participes sint, quales quales sint.

Interim sicut a dignitate, vel indignitate ministrorum, non æstimamus integritatem sacramentorum, ita neque a conditione sumentium. Agnoscimus enim sacramentorum integritatem, ex fide vel veritate meraque bonitate Dei dependere. Sicut enim verbum Dei manet verum verbum Dei, quo non tantum verba nuda recitantur, dum prædicatur, sed simul a Deo offeruntur res verbis significatæ, vel annunciatæ, tametsi impii vel increduli verba audiant, et intelligant, rebus tamen significatis non perfruantur; eo quod vera fide non recipiant: Ita sacramenta verbo, signis, et rebus significatis, constantia, manent vera et integra sacramenta, non tantum significantia res sacras, sed Deo offerente etiam res significatas, tametsi increduli res oblatas non percipiant. Fit hoc non dantis aut offerentis Dei vitio, sed hominum sine fide illegitimeque accipientium culpa: quorum incredulitas fidem Dei irritam non facit, Rom. iii.

Porro cum mox ab initio, quando expositum est quid sint sacramenta, pariter et obiter explicatum sit ad quid sint instituta, non est quod semel dicta cum molestia repetantur. Consequenter ergo sigillatim dicemus de novi populi sacramentis.

De sancto Baptismo.

XX.

BAPTISMUS a Deo institutus et consecratus est, primusque baptizavit Joannes, qui Christum aqua in Jordane tinxit. Inde defluxit ad apostolos, qui et ipsi aqua baptizarunt. Jussit hos manifeste Dominus *evangelium prædicare, et baptizare, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, Matt. xxviii. Et Petrus ad Judæos, interrogantes quid facere deberent, dixit in Actis, Actor. ii. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, ad remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.* Unde a nonnullis Baptismus nuncupatus est signum initiale populi Dei, utpote quo initiantur Deo electi Dei.

Unus est duntaxat Baptismus in ecclesia Dei, et satis est semel baptizari, vel initiari Deo. Durat autem semel susceptus baptismus per omnem vitam, et est perpetua obsignatio adoptionis nostræ. Etenim baptizari in nomine Christi, est inscribi, initiari, et recipi in fœdus, atque familiam, adeoque in hæreditatem filiorum Dei, imo jam nunc nuncupari nomine Dei, id est, appellari filium Dei, purgari item a sordibus peccatorum, et donari varia Dei gratia, ad vitam novam et innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet, et reparat ingens Dei beneficium, generi mortalium præstitum. Nascimur enim omnes in peccatorum sordibus, et sumus filii iræ. Deus autem, qui dives est misericordia, purgat nos a peccatis gratuito, per sanguinem Filii sui, et in hoc adoptat nos in filios, adeoque fœdere sancto nos sibi connectit, et variis donis ditat, ut possimus novam vivere vitam. Obsignantur hæc omnia baptismo. Nam intus regeneramur, purificamur, et renovamur a Deo per Spiritum Sanctum: foris autem accipimus obsignationem maximorum donorum, in aqua, qua etiam maxima illa

beneficia repræsentantur, et veluti oculis nostris conspicienda proponuntur. Ideoque baptizamur, id est, abluimur, aut aspergimur aqua visibili. Aqua enim sordes mundat, deficientia et æstuantia recreat, et refrigerat corpora. Gratia vero Dei hæc animabus præstat, et quidem invisibiliter vel spiritualiter.

Separat item nos Deus baptismi symbolo ab omnibus alienis religionibus et populis, et sibi consecrat ceu peculium: nos itaque dum baptizamur, confitemur fidem nostram, et obstringimur Deo ad obedientiam et mortificationem carnis vitæque novitatem, adeoque inscribimur in sanctam Christi militiam, ut toto vitæ cursu pugnemus contra mundum et Satanam, atque carnem propriam. Baptizamur præterea in unum ecclesiæ corpus, ut cum omnibus membris ecclesiæ, pulchre in una et eadem religione, mutuisque officiis, consentiamus.

Credimus perfectissimam esse baptizandi formam, qua Christus ipse baptizatus est, et qua baptizarunt apostoli. Ergo quæ humana inventione postera adjecta et usurpata sunt in ecclesia, non arbitramur necessaria esse ad perfectionem baptismi: cujus generis est exorcismus, usus item ardentis luminis, olei, salis, sputi, et similium rerum, ut quod baptismus singulis annis, pluribus cæremoniis bis consecratur. Nos enim credimus unum ecclesiæ baptismum, in prima Dei institutione sanctificatum esse, et consecrari per verbum, efficacemque esse nunc etiam, propter primam Dei benedictionem.

Docemus baptismum in ecclesia non administrari debere a mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removit mulierculas ab officiis ecclesiasticis. Baptismus autem pertinet ad officia ecclesiastica. Damnamus Anabaptistas, qui negant baptizandos esse infantulos recens natos a fidelibus. Nam juxta doctrinam evangelicam, horum est regnum Dei, et sunt in fœdere Dei, cur itaque non daretur eis signum fœderis Dei? Cur non per sanctum baptisma initiarentur, qui sunt peculium et in ec-

clesia Dei? Damnamus Anabaptistas, et in aliis ipsorum dogmatibus, quæ contra verbum Dei peculiaria habent. Non sumus ergo Anabaptistæ, neque cum eis in ulla re ipsorum communicamus.

De sacra Cœna Domini.

XXI.

CŒNA Domini, quæ, et Mensa Domini, et Eucharistia, id est, gratiarum actio, nuncupatur, ideo Cœna nuncupatur vulgo, quod a Christo in ultima illa cœna sua instituta sit, eamque adhuc repræsentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur et potentur fideles. Author enim Cœnæ Dominicæ non est angelus aut homo ullus, sed ipse Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, qui primus eam ecclesiæ suæ consecravit. Durat autem ea consecratio vel benedictio adhuc apud omnes eos, qui non aliam cœnam, sed illam ipsam celebrant, quam Dominus instituit: ad quam verba Cœnæ Domini recitant, et in omnibus ad unum Christum vera fide respiciunt, ex cujus veluti manibus accipiunt, quod per ministerium ministrorum ecclesiæ accipiunt. Retinere vult Dominus ritu hoc sacro, in recenti memoria, maximum generi mortalium præstitum beneficium, nempe, quod tradito corpore et effuso suo sanguine, omnia nobis peccata nostra condonavit, ac a morte æterna et potestate Diaboli nos redemit, jam pascit nos sua carne et potat suo sanguine, quæ, vera fide spiritualiter percepta, alunt nos ad vitam æternam. Et hoc tantum beneficium renovatur toties, quoties Cœna Domini celebratur. Dixit enim Dominus, *Hoc facite in mei commemorationem.* Obsignatur item hac Cœna sacra, quod revera corpus Domini pro nobis traditum, et sanguis ejus in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides

nostra vacillet. Et quidem visibiliter hoc foris sacramento per ministrum repræsentatur, et veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima invisibiliter, per ipsum Spiritum Sanctum præstatur. Foris offertur a ministro panis, et audiuntur voces Domini: *Accipite, edite, hoc est corpus meum; accipite et dividite inter vos; Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus.* Ergo accipiunt fideles quod datur a ministro Domini, et edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim opera Christi per Spiritum Sanctum, percipiunt etiam carnem et sanguinem Domini, et pascuntur his in vitam æternam. Etenim caro et sanguis Christi verus cibus et potus est ad vitam æternam: et Christus ipse, quatenus pro nobis traditus et Salvator noster est, illud præcipuum Cœnæ est, nec patimur quicquam aliud in locum ejus substitui.

Ut autem rectius et perspicacius intelligatur, quomodo caro et sanguis Christi sint cibus et potus fidelium, percipianturque a fidelibus ad vitam æternam, paucula hæc adjiciemus. Manducatio non est unius generis. Est enim manducatio corporalis, qua cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, et in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaitæ sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso, Joan. cap. vi. Nam ut caro Christi corporaliter manducari non potest citra flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris; id quod omnes fateri coguntur. Improbamus itaque canonem in Decretis Pontificum, Ego Berengarius, de Consecr. Distinct. 2. Neque enim credidit vetustas pia, neque nos credimus, corpus Christi manducari ore corporis corporaliter, vel essentialiter.

Est et spiritualis manducatio corporis Christi non ea quidem, qua existimemus cibum ipsum mutari in spiritum, sed qua, manente in sua essentia et proprietate corpore et sanguine Domini, ea nobis com-

municantur spiritualiter, utique non corporali modo, sed spirituali, per Spiritum Sanctum, qui videlicet ea, quæ per carnem et sanguinem Domini pro nobis in mortem tradita, parata sunt, ipsam inquam remissionem peccatorum, liberationem, et vitam æternam, applicat et confert nobis, ita ut Christus in nobis vivat, et nos in ipso vivamus, efficitque ut ipsum, quo talis sit cibus et potus spiritualis noster, id est, vita nostra, vera fide percipiamus. Sicut enim cibus et potus corporalis corpora nostra non tantum reficiunt ac roborant, sed et in vita conservant: ita et caro Christi tradita pro nobis, et sanguis ejus effusus pro nobis, non tantum reficiunt et roborant animas nostras, sed etiam in vita conservant, non quatenus quidem corporaliter eduntur et bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis a Spiritu Dei communicantur, dicente Domino, *Et panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Item, *Caro* (nimirum corporaliter manducata) *non prodest quicquam; spiritus est, qui vivificat. Et verba quæ loquor vobis spiritus et vita sunt.* Et sicut oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, ut operetur in nobis, suamque in nobis efficaciam exerat, cum extra nos positus nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, ut noster fiat, vivatque in nobis, et nos in ipso. Dicit enim, *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.* Item, *Qui ederit me, vivet et ipse propter me; ac manet in me, et ego in ipso.* Ex quibus omnibus claret, nos, per spiritualem cibum, minime intelligere imaginarium nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen percipiatur a fidelibus non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Salvatoris Christi Domini, apud Joan. in cap. vi. Et hic esus carnis, et potus sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem hic esus et potus spiritualis

etiam extra Domini Cœnam, et quoties, aut ubicunque homo in Christum crediderit. Quo fortassis illud Augustini pertinet: "Quid paras dentem et "ventrem? crede, et manducasti."

Præter superiorem manducationem spiritualem, est et sacramentalis manducatio corporis Domini, qua fidelis non tantum spiritualiter et interne participat vero corpore et sanguine Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam Domini, accipit visibile corporis et sanguinis Domini sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, vivificum alimentum percepit, et ipso fruitur adhuc, sed ideo, dum nunc sacramentum quoque accipit, nonnihil accipit. Nam in continuatione communicationis corporis et sanguinis Domini pergit, adeoque magis magisque incenditur, et crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur. Dum enim vivimus, fides continuas habet accessiones. Et qui foris vera fide sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed re ipsa quoque, ut diximus, fruitur. Præterea idem ille institutioni et mandato Domini obedit, lætoque animo gratias pro redemptione sua totiusque generis humani agit, ac fidelem mortis Dominicæ memoriam peragit, atque coram ecclesia, cujus corporis membrum sit, attestatur. Obsignatur item percipientibus sacramentum, quod corpus Domini non tantum in genere pro hominibus sit traditum, et sanguis ejus effusus, sed peculiariter pro quovis fideli communicanti, cujus cibus et potus sit ad vitam æternam.

Cæterum qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini mensam accedit, sacramento duntaxat communicat, et rem sacramenti, unde est vita et salus, non percipit. Et tales indigne edunt de mensa Domini. *Qui autem indigne edunt de pane Domini, et de poculo ejus bibunt, rei fiunt corporis et sanguinis Domini, et ad judicium sibi edunt et bibunt.* Nam cum vera fide non accedant, mortem Christi

contumelia afficiunt, et ideo damnationem sibi ipsis edunt et bibunt.

Ergo corpus Domini et sanguinem ejus cum pane et vino non ita conjungimus, ut panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali, aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi: ut etiam sub speciebus panis adorari debeat, aut quicunque signum percipiat, idem et rem percipiat ipsam. Corpus Christi in cœlis est, ad dextram Patris. Sursum ergo elevanda sunt corda, et non defigenda in panem, nec adorandus Dominus in pane. Et tamen non est absens ecclesiæ suæ celebranti Cœnam Dominus. Sol absens a nobis in cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis: quanto magis Sol justitiæ Christus, corpore in cœlis absens nobis, præsens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per vivificam operationem, et ut ipse se nobis præsentem futurum exposuit, in ultima Cœna. Joan. xiv. xv. xvi. Unde consequens est nos, non habere Cœnam sine Christo, interim tamen habere Cœnam incruentam et mysticam, sicuti universa nuncupavit vetustas.

Admonemur præterea celebratione Cœnæ Dominicæ, ut memores simus, cujus corporis membra facti simus, et idcirco concordes simus cum omnibus fratribus, ut sancte vivamus, et non polluamus nos flagitiis, et peregrinis religionibus, sed in vera fide in finem usque vitæ perseverantes, studeamus excellere sanctimonia vitæ. Decet ergo, ut accessuri ad Cœnam, prius nosipsos juxta præceptum Apostoli probemus, imprimis quali simus fide præditi, an credamus Christum venisse, servandis peccatoribus, et ad pœnitentiam vocandis, et an quisque credat, se in horum esse numero, qui per Christum liberati servantur, et an mutare vitam pravam instituerit, ac vivere sancte, perseverareque, auxiliante Domino, in vera religione, et in concordia cum fratribus, dignasque Deo pro liberatione agere gra-

tias, &c. Ritum, modum, vel formam Cœnæ, illam existimamus esse simplicissimam et præstantissimam, quæ proxime accedit ad primam Domini institutionem, et apostolicam doctrinam: quæ videlicet constat annunciatione verbi Dei, precibus piis, ipsa actione Dominica, et repetitione ejus, manducatione corporis, et potu sanguinis Domini, memoria item mortis Dominicæ salubri, et gratiarum actione fideli, nec non sancta consociatione in corporis ecclesiastici unionem. Improbamus itaque illos, qui alteram speciem, poculum inquam Domini, fidelibus subtraxerunt. Graviter enim hi peccant contra institutionem Domini, dicentis, *Bibite ex hoc omnes:* id quod ad panem, non ita expresse dixit.

Missa qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis, modo non disputamus, hoc autem libere dicimus, missam, quæ hodie in usu est per universam Romanam ecclesiam, plurimas et justissimas quidem ob causas, in ecclesiis nostris esse abrogatam, quas sigillatim ob brevitatem nunc non commemoramus. Certe approbare non potuimus, quod ex actione salubri, spectaculum inane est factum, quod item facta est meritoria vel celebrata pro pretio, quodque in ea sacerdos dicitur conficere ipsum Domini corpus, et hoc offerre realiter, pro remissione peccatorum vivorum et mortuorum, adde et in honorem et celebrationem, vel memoriam sanctorum in cœlis, &c.

De Cœtibus Sacris et Ecclesiasticis.

XXII.

TAMETSI omnibus sacras literas privatim legere domi, et instruendo ædificare mutuum in vera religione liceat, ut tamen legitime annuncietur verbum Dei populo, et preces ac supplicationes fiant publice, sacramenta item celebrentur legitime, et col-

lecta ecclesiæ fiat in pauperes et omnes ecclesiæ necessarios sumptus faciendos, aut usus sustentandos, necessarii sunt omnino cœtus sacri vel ecclesiastici fidelium conventus. Constat enim in ecclesia apostolica, et primitiva hujusmodi cœtus esse ab omnibus piis frequentatos. Quotquot hos aspernantur, et ab his sese segregant, religionem veram contemnunt, urgendique sunt a pastoribus et piis magistratibus, ne contumacius se segregare, et cœtus sacros aversari pergant. Sint vero cœtus ecclesiastici non occulti et obscuri, sed publici atque frequentes, nisi persequutio hostium Christi et ecclesiæ non sinat esse publicos. Scimus enim quales fuerint quondam primitivæ ecclesiæ cœtus in abditis locis, sub tyrannide Romanorum principum. Sint autem loca, in quibus coeunt fideles, honesta, et ecclesiæ Dei per omnia commoda. Deligantur ergo ædes amplæ, aut templa. Repurgentur tamen ab iis rebus omnibus, quæ ecclesiam non decent. Instruantur autem omnia pro decoro, necessitate, et honestate pia, ne quid desit, quod requiritur ad ritus et usus ecclesiæ necessarios. Sicut autem credimus Deum non habitare in templis manu factis, ita propter verbum Dei et usus sacros, scimus loca Deo cultuique ejus dedicata, non esse prophana sed sacra, et qui in his versantur, reverenter et modeste conversari debere, utpote qui sint in loco sacro, coram Dei conspectu et sanctorum angelorum ejus. Longe itaque a templis et oratoriis Christianorum repellendus est omnis vestium luxus, omnis superbia, et omnia quæ humilitatem, disciplinam, et modestiam dedecent Christianam. Ac verus templorum ornatus non constat ebore, auro, et gemmis, sed frugalitate, pietate, virtutibusque eorum qui versantur in templo. Omnia autem decenter et ordine fiant in ecclesia, omnia denique fiant ad ædificationem. Taceant ergo omnes peregrinæ linguæ in cœtibus sacris. Omnia proponantur lingua vulgari, et quæ eo in loco ab hominibus in cœtu intelligatur.

De Precibus Ecclesiæ, Cantu, et Horis canonicis.

XXIII.

LICET sane privatim precari quavis lingua, quam quis intelligat, sed publicæ preces in sacris cœtibus vulgari lingua, vel omnibus cognita fieri debent. Oratio fidelium omnis, per solum Christi interventum, soli Deo fundatur, ex fide et charitate. Divos cœlites invocare, aut his uti pro intercessoribus, prohibet sacerdotium Christi Domini, et vera religio. Orandum est autem pro magistratu, pro regibus aut omnibus in eminentia constitutis, pro ministris ecclesiæ et omnibus necessitatibus ecclesiarum. In calamitatibus vero, et potissimum ecclesiæ, absque intermissione, et privatim et publice precandum est. Sponte item precandum est, non coarcte, neque pro ullo pretio. Neque decet orationem superstitiose astrictam esse loco, quasi alibi non liceat, nisi in templo precari. Neque oportet preces publicas, quoad formam et tempus, in omnibus ecclesiis esse pares. Libertate enim sua utantur ecclesiæ quælibet. Socrates in Historia, "In omnibus ubique regionibus," inquit, "non poteris invenire duas ecclesias, quæ orando plene consentiant. Hujusmodi discrepantiæ authores eos esse puto, qui singulis temporibus ecclesiis præfuerunt. Si tamen sunt congruentes, maximopere commendandum id, et aliis imitandum videtur."

Sed et modum esse decet, ut in re quavis, ita et in precibus publicis, ne nimis sint prolixæ et molestæ. Cedant ergo potiores partes in cœtibus sacris doctrinæ evangelicæ, caveaturque, ne nimis prolixis precibus fatigetur in cœtu populus, ut cum audienda est prædicatio evangelii, vel egredi ex cœtu, vel hunc in universum solvi cupiant defatigati. Talibus in concione nimis videtur prolixum esse, quod alias succinctum est satis. Nam et concionatores modum tenere decet. Sic et cantus in cœtu sacro

est moderandus, ubi is est in usu. Cantus, quem Gregorianum nuncupant, plurima habet absurda: unde rejectus est merito a nostris et pluribus ecclesiis. Si ecclesiæ sunt, quæ orationem fidelem legitimamque habent, cantum autem nullum habent, condemnari non debent. Non enim canendi commoditatem omnes habent ecclesiæ. Ac certum est ex testimoniis vetustatis, ut cantus usum fuisse vetustissimum in orientalibus ecclesiis, ita sero tandem receptum esse ab occidentalibus.

Horas canonicas, id est, preces ad certas in die horas compositas, et a papistis cantatas aut recitatas, nescivit vetustas: quod ex ipsis horarum lectionibus et argumentis pluribus demonstrari potest. Sed et absurda non pauca habent, ut nihil dicam aliud, proinde omittuntur recte ab ecclesiis substituentibus in locum ipsarum res salutares ecclesiæ Dei universæ.

De Feriis, Jejuniis, Ciborumque Delectu.

XXIV.

QUANQUAM religio tempori non alligetur, non potest tamen absque justa temporis distinctione vel ordinatione plantari et exerceri. Deligit ergo quævis ecclesia sibi tempus certum ad preces publicas, et evangelii prædicationem, nec non sacramentorum celebrationem. Non licet autem cuivis pro suo arbitrio ecclesiæ ordinationem hanc convellere. Ac nisi otium justum concedatur religionis externæ exercitio, abstrahuntur certe ab eo negotiis suis homines. Unde videmus in ecclesiis vetustis, non tantum certas fuisse horas in septimana constitutas cœtibus, sed ipsam diem Dominicam ab ipsis apostolorum temporibus iisdem sacroque otio fuisse consecratam: quod etiam nunc recte propter cultum et charitatem

ab ecclesiis nostris custoditur. Observationi Judaicæ et superstitionibus nihil hic permittimus. Neque enim alteram diem altera sanctiorem esse credimus, neque otium Deo per se probari existimamus, sed et Dominicam non sabbatum, libera observatione celebramus.

Præterea si ecclesiæ, pro Christiana libertate, memoriam Dominicæ nativitatis, circumcisionis, passionis et resurrectionis, ascensionis item in cœlum, et missionis Sancti Spiritus in discipulos, religiose celebrent, maximopere approbamus. Festa vero, hominibus aut divis instituta, non probamus. Et sane pertinent feriæ ad tabulam legis primam, et sunt solius Dei: denique habent feriæ divis institutæ, et a nobis abrogatæ, absurda, inutilia, minimeque toleranda plurima. Interim fatemur non inutiliter sanctorum memoriam, suo loco et tempore, in sacris concionibus populo commendari, et omnibus sancta exempla sanctorum imitanda proponi.

Quanto vero gravius accusat Christi ecclesia crapulam, ebrietatem, et omnem libidinem ac intemperantiam, tanto vehementius commendat nobis jejunium Christianum. Est enim jejunium aliud nihil, quam abstinentia et temperantia piorum, disciplina item, custodia, et castigatio carnis nostræ, pro necessitate præsenti suscepta, qua humiliamur coram Deo, et carni sua fomenta detrahimus, quo facilius libentiusque spiritui pareat. Proinde non jejunant, qui istorum nullam rationem habent, sed jejunare se credunt si semel in die farciant ventrem, et certo vel præscripto tempore a certis abstineant cibis, existimantes hoc opere operato se Deo placere, et bonum opus facere. Jejunium est adminiculum orationis sanctorum ac virtutum omnium. Non placuit Deo (ut videre est in prophetarum libris) jejunium, quo a cibo, non a sceleribus jejunabant Judæi.

Est autem publicum jejunium, et privatum. Celebrarunt olim jejunia publica calamitosis temporibus rebusque ecclesiæ afflictis. Abstinebant in uni-

versum a cibo ad vesperam usque. Totum autem hoc tempus impendebant precibus sacris cultuique Dei et pœnitentiæ. Parum hæc abfuerunt a luctu: et frequens fit horum mentio in prophetis, præcipue apud Joelem in capite secundo. Celebrari debet hujusmodi jejunium etiam hodie in rebus ecclesiæ difficilibus. Privata jejunia suscipiuntur abs quovis nostrum, prout quisque senserit detrahi spiritui. Hactenus enim fomenta carni detrahit.

Omnia jejunia proficisci debent ex libero, spontaneoque spiritu et vere humiliato, nec composita esse ad plausum vel gratiam hominum consequendam, multo minus eo, ut per ipsa velit homo justitiam demereri. Jejunet autem in hunc finem quilibet, ut fomenta carni detrahat, et ferventius Deo inserviat.

Quadragesimale jejunium vetustatis habet testimonia, sed nulla ex literis apostolicis: ergo non debet, nec potest imponi fidelibus. Certum est, quondam varias fuisse jejuniorum formas vel consuetudines. Unde Irenæus scriptor vetustissimus, "Quidam," inquit, "putant uno tantum die obser-"vari debere jejunium, alii duobus, alii vero pluri-"bus, nonnulli etiam quadraginta diebus. Quæ va-"rietas observantiæ non nostris nunc demum tem-"poribus cœpit, sed multo ante nos, ex illis, ut opi-"nor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum "est, tenentes, in alium morem, vel per negligen-"tiam, vel per imperitiam postmodum decidere." Sed et Socrates historicus, "Quia lectio nulla," inquit, "de hoc invenitur antiqua, puto apostolos, hoc "singulorum reliquisse sententiæ, ut unusquisque "operetur, non timore et necessitate, quod bonum "est."

Jam vero quod ad delectum ciborum attinet, in jejuniis arbitramur omne id detrahendum esse carni, unde redditur ferocior, et quo delectatur impensius, unde existunt fomenta carni, sive pisces sint, sive carnes, sive aromata, delitiæve aut præstantia vina.

Alioqui scimus, creaturas Dei omnes conditas esse in usus et servitia hominum, Genes. ii. Omnia quæ condidit Deus, bona sunt, et citra delectum, cum timore Dei et justa moderatione usurpanda. Apostolus enim, ad Tit. i. *Omnia*, inquit, *mundis munda sunt*. Item, 1 Corinth. x. *Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam*. Idem apostolus nominat doctrinam eorum, qui jubent abstinere a cibis, *doctrinam dæmoniorum*, 1 Timoth. iv. *Cibos enim creasse Deum ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem, quod quicquid creavit Deus, bonum sit, et nihil rejiciendum, si sumatur cum gratiarum actione*, &c. Idem ad Colossenses ii. reprobat eos, qui nimia abstinentia sibi comparare volunt existimationem sanctitatis. Nos itaque in universum reprobamus Tatianos et Encratitas, omnes denique Eustachii discipulos, contra quos congregata est Gangrensis synodus.

De Catechesi, et Ægrotantium Consolatione vel Visitatione.

XXV.

DOMINUS veteri suo populo injunxit, maximam curam ut impenderent ab infantia recte instituendæ juventuti, adeoque mandavit diserte in lege sua, erudirent, et sacramentorum mysteria interpretarentur. Cum autem ex evangelicis et apostolicis literis constet, Deum non minorem rationem habere novi sui populi pubis, cum palam testetur et dicat, Marci x. *Sinite pueros venire ad me, talium enim est regnum cœlorum*, consultissime faciunt ecclesiarum pastores, qui juventutem mature et diligenter catechisant, prima fidei fundamenta jacientes, ac rudimenta religionis nostræ fideliter docentes, explicando Decalo-

gum mandatorum Dei, symbolum item Apostolorum, orationem quoque Dominicam, et sacramentorum rationem, cum aliis ejus generis primis principiis, et religionis nostræ capitibus præcipuis. Fidem vero et diligentiam hic suam in adducendis ad Catechismum liberis præstet Ecclesia, cupiens et gaudens liberos suos recte institui.

Cum vero nunquam gravioribus tentationibus expositi sint homines, quam dum infirmitatibus exercentur aut ægrotant, morbis cum animi tum corporis fracti, nunquam sane convenit pastores ecclesiarum saluti suæ gregis invigilare accuratius, quam in hujusmodi morbis et infirmitatibus. Visitent ergo mature ægrotantes, vocentur item mature ab ægrotantibus, siquidem res ipsa postulaverit, consolentur autem illos, et in vera fide confirment, muniant denique contra perniciosas Satanæ suggestiones: instituant item preces apud ægrotantem domesticas, ac, si necesse sit, precentur pro ægrotantis salute etiam in cœtu publico, curentque, quo feliciter ex hoc seculo migret. Papisticam visitationem cum sua illa unctione extrema, diximus superius nos non approbare, quod absurda habeat, et a Scriptura canonica non approbetur.

De Sepultura Fidelium, Curaque pro Mortuis gerenda, de Purgatorio et Apparitione Spirituum.

XXVI.

FIDELIUM corpora, ut Spiritus Sancti templa, et quæ in ultimo die recte creduntur resurrectura, jubet Scriptura honeste absque superstitione humo mandare, sed et honestam eorum, qui sancte in Domino obdormiverunt, mentionem facere, relictisque eorum, ut viduis et pupillis, omnia pietatis officia præstare: aliam non docemus pro mortuis curam ge-

rere. Improbamus ergo maxime Cynicos, corpora mortuorum negligentes, aut quam negligentissime contemptissimeque in terram abjicientes, nunquam vel verbum bonum de defunctis facientes, aut relictos ipsorum ne tantillum quidem curantes. Improbamus rursus nimis et præpostere officiosos in defunctos, qui, instar ethnicorum, suos deplangunt mortuos, (luctum moderatum, quem Apostolus 1 Thess. iv. concessit, non vituperamus, inhumanum esse judicantes prorsus nihil dolere,) et pro mortuis sacrificant, et preculas certas non sine pretio demurmurant, hujusmodi suis officiis liberaturi suos illos ex tormentis, quibus a morte immersos, et inde rursus liberari posse hujusmodi næniis arbitrantur. Credimus enim fideles recta a morte corporea migrare ad Christum, ideoque viventium suffragiis aut precibus pro defunctis, denique illis suis officiis, nihil indigere. Credimus item infideles recta præcipitari in Tartara, ex quibus nullus impiis aperitur ullis viventium officiis exitus.

Quod autem quidam tradunt de igne purgatorio, fidei Christianæ, "Credo remissionem peccatorum, "et vitam æternam," purgationique plenæ per Christum, et Christi Domini hisce sententiis adversatur, Joan v. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transivit a morte in vitam.* Item, Joan. xiii. *Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, et vos mundi estis.*

Jam quod traditur de spiritibus vel animabus mortuorum apparentibus aliquando viventibus, et petentibus ab eis officia, quibus liberentur, deputamus apparitiones eas inter ludibria, artes, et deceptiones Diaboli, qui ut potest se transfigurare in angelum lucis, ita satagit fidem veram, vel evertere, vel in dubium revocare. Dominus in Veteri Testamento vetuit veritatem sciscitari a mortuis, et ullum cum spiritibus habere commercium. Deuter. xviii. Epu-

loni vero pœnis mancipato, sicut narrat veritas evangelica, negatur ad fratres suos reditus: pronunciante interim divino oraculo atque dicente, *Habent Mosen et prophetas, audiant illos. Si Mosen et prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexit, credent.* Luc. xvi.

De Ritibus, et Cæremoniis, et Mediis.

XXVII.

VETERI populo traditæ sunt quondam cæremoniæ, ut pædagogia quædam, iis qui sub lege, veluti sub pædagogo et tutore quodam custodiebantur, sed adveniente Christo liberatore, legeque sublata, fideles sub lege amplius non sumus, disparueruntque cæremoniæ: quas in ecclesia Christi adeo retinere aut reparare noluerunt apostoli, ut aperte sint testati se nullum onus velle imponere ecclesiæ. Proinde Judaismum videremur reducere aut restituere, si in ecclesia Christi, ad morem veteris ecclesiæ, cæremonias ritusve multiplicaremus. Ideoque minime approbamus eorum sententiam, quibus visum est ecclesiam Christi cohiberi oportere, ceu pædagogia quadam, multis variisque ritibus. Nam si populo Christiano apostoli cæremonias vel ritus divinitus traditos imponere noluerunt, quis oro sanæ mentis, obtrudet illi adinventiones adinventas humanitus? Quanto magis accedit cumulo rituum in ecclesia, tanto magis detrahitur non tantum libertati Christianæ, sed et Christo et ejus fidei: dum vulgus ea quærit in ritibus, quæ quæreret in solo Dei Filio Jesu Christo per fidem. Sufficiunt itaque piis pauci, moderati, simplices, nec alieni a verbo Dei ritus.

Quod si in ecclesiis dispares inveniuntur ritus, nemo ecclesias existimet ex eo esse dissidentes. Socrates, "Impossibile fuerit," inquit, "omnes eccle-

" siarum, quæ per civitates et regiones sunt, ritus " conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, " etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. " Etenim qui ejusdem sunt fidei, de ritibus inter se " dissentiunt." Hæc ille. Et nos hodie ritus diversos in celebratione cœnæ Domini et in aliis nonnullis rebus habentes in nostris ecclesiis, in doctrina tamen et fide non dissidemus, neque unitas, societasque ecclesiarum nostrarum ea re discinditur. Semper vero ecclesiæ in hujusmodi ritibus, sicut mediis, usæ sunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus.

At cavendum interim monemus, ne inter media deputentur, ut quidam solent missam et usum imaginum in templo pro mediis reputare, quæ revera non sunt media. " Indifferens" (dixit ad Augustin. Hieronymus) " illud est, quod nec bonum nec ma- " lum est, ut sive feceris, sive non feceris, nec justi- " tiam habeas nec injustitiam." Proinde cum adiaphora rapiuntur ad fidei confessionem, libera esse desinunt: sicuti Paulus ostendit, licitum esse carnibus vesci, si quis non submoneat idolis esse litatas, alioqui fore illicitas, quod qui his vescitur, jam vescendo, idololatriam approbare videatur.

De Bonis Ecclesiæ.

XXVIII.

OPES habet ecclesia Christi ex munificentia principum ac liberalitate fidelium, qui facultates suas ecclesiæ donarunt. Opus enim habet ecclesia facultatibus, et habuit ab antiquo facultates ad res ecclesiæ necessarias sustinendas. Ac verus usus opum ecclesiæ quondam fuit, et nunc est, conservare doctrinam in scholis, et cœtibus sacris, cum universo cultu, ritibus, et ædificio sacro, conservare denique doctores,

discipulos atque ministros, cum rebus aliis necessariis, et imprimis pauperibus juvandis atque alendis. Deligantur autem viri timentes Deum, prudentes, et in œconomia insignes, qui legitime bona dispensent ecclesiastica.

Si vero opes ecclesiæ per injuriam temporis, et quorundam audaciam, inscitiam, aut avaritiam, translatæ sunt in abusum, reducantur a viris piis et prudentibus ad sanctum usum. Neque enim connivendum est ad abusum maxime sacrilegum. Docemus itaque reformandas esse scholas et collegia corrupta, in doctrina, in cultu, et in moribus, ordinandamque esse pie, bona fide, atque prudenter, pauperum subventionem.

De Cœlibatu, Conjugio, et Œconomia.

XXIX.

QUI cœlitus donum habent cœlibatus, ita ut ex corde, vel toto animo, puri sint ac continentes, nec urantur graviter, serviant in ea vocatione Domino, donec senserint se divino munere præditos, et ne efferant se cæteris, sed serviant Domino assidue, in simplicitate et humilitate. Aptiores autem hi sunt curandis rebus divinis, quam qui privatis familiæ negotiis distrahuntur. Quod si adempto rursus dono ustionem senserint durabilem, meminerint verbi apostolici, *Melius est nubere quam uri*, 1 Cor. vii.

Conjugium enim (incontinentiæ medicina et continentia ipsa est) institutum est ab ipso Domino Deo, qui ei liberalissime benedixit, ac virum ac fœminam inseparabiliter sibi mutuum adhærere, et una in summa dilectione concordiaque vivere voluit. Matth. xiii. Unde scimus apostolum dixisse, *Honorabile est connubium inter omnes, et cubile impollutum*. Hebr. xiii. Et iterum 1 Corinth. vii. *Si virgo nupserit, non peccavit*. Damnamus ergo polygamiam, et eos qui secundas damnant nuptias.

Docemus contrahenda esse conjugia legitime in timore Domini, et non contra leges prohibentes aliquot in conjugio gradus, ne incestæ fiant nuptiæ. Contrahantur cum consensu parentum, aut qui sunt loco parentum, ac in illum maxime finem, ad quem Dominus conjugia instituit. Colantur denique sancte, cum maxima conjugum fide, pietate et delectione, necnon puritate. Caveantur itaque rixæ, dissidia, libidines, et adulteria. Constituantur legitima in ecclesia judicia, et judices sancti, qui tueantur conjugia, et omnem impudicitiam impudentiamque coerceant, et apud quos controversiæ matrimoniales transigantur.

Educentur quoque liberi a parentibus, in timore Domini: provideant item parentes liberis, memores apostolicæ sententiæ, 1 Tim. v. *Qui suis non prospicit, fidem abnegavit, et infideli est deterior.* Imprimis autem doceant suos, quibus sese alant, artes honestas, abstrahant ab otio, et veram in his omnibus fiduciam in Deum inserant, ne diffidentia aut securitate nimia aut avaritia fœda diffluant, nec ad ullum fructum perveniant.

Estque certissimum opera illa, quæ in vera fide fiunt a parentibus, per conjugii officia et œconomiam, esse coram Deo sancta et vere bona opera, et placere hæc Deo, non minus quam preces, jejunia, atque eleemosynas. Sic enim docuit et apostolus in epistolis suis, præcipue vero ad Timotheum et Titum. Numeramus autem cum eodem apostolo inter dogmata Satanica illorum doctrinam, qui matrimonium prohibent, aut palam vituperant, vel oblique perstringunt, quasi non sanctum vel mundum sit. Execramur autem cœlibatum immundum, libidines et fornicationes tectas et apertas hypocritarum simulantium continentiam, cum omnium sint incontinentissimi. Hos omnes judicabit Deus. Divitias, et divites, si pii sint, et recte utantur divitiis, non reprobamus. Reprobamus autem sectam apostolicorum, &c.

De Magistratu.

XXX.

MAGISTRATUS omnis generis ab ipso Deo est institutus ad generis humani pacem ac tranquillitatem, ita, ut primum in mundo locum obtineat. Si hic sit adversarius ecclesiæ, et impedire et obturbare potest plurimum. Si autem sit amicus adeoque membrum ecclesiæ, utilissimum excellentissimumque membrum est ecclesiæ, quod ei permultum prodesse, eam denique peroptime juvare potest.

Ejus officium præcipuum est, pacem et tranquillitatem publicam procurare et conservare. Quod sane nunquam fecerit felicius, quam cum fuerit vere timens Dei ac religiosus, qui videlicet ad exemplum sanctissimorum regum principumque populi Domini, veritatis prædicationem, et fidem sinceram promoverit, mendacia et superstitionem omnem cum omni impietate et idololatria exciderit, ecclesiamque Dei defenderit. Equidem docemus religionis curam, imprimis pertinere ad magistratum sanctum.

Teneat ergo ipse in manibus verbum Dei, et ne huic contrarium doceatur procuret, bonis item legibus ad verbum Dei compositis moderetur populum sibi a Deo creditum, eundemque in disciplina, officio, obedientiaque contineat. Judicia exerceat juste judicando, ne respiciat personam, aut munera accipiat, viduas, pupillos, et afflictos asserat, injustos, impostores et violentos coerceat atque adeo et exscindat. *Neque enim frustra accepit a Deo gladium.* Stringat ergo hunc Dei gladium in omnes maleficos, seditiosos, latrones vel homicidas, oppressores, blasphemos, perjuros, et in omnes eos, quos Deus punire ac etiam cædere jussit. Coerceat et hæreticos (qui vere hæretici sunt) incorrigibiles, Dei majestatem blasphemare, et ecclesiam Dei conturbare, adeoque perdere non desinentes. Quod si necesse sit etiam bello populi conservare salutem, bellum, in

nomine Domini, suscipiat, modo primus pacem modis omnibus quæsierit, nec aliter nisi bello suos servare possit. Et dum hæc ex fide facit magistratus, illis ipsis operibus ut vere bonis Deo inservit, ac benedictionem a Domino accipit. Damnamus anabaptistas, qui ut Christianum negant fungi posse officio magistratus, ita etiam negant quenquam a magistratu juste occidi, aut magistratum bellum gerere posse, aut juramenta magistratui præstanda esse, &c.

Sicut enim Deus salutem populi sui operari vult per magistratum, quem mundo veluti patrem dedit: ita subditi omnes hoc Dei beneficium in magistratu agnoscere jubentur. Honorent ergo et revereantur magistratum, tanquam Dei ministrum: ament eum, faveant ei, et orent pro illo tanquam pro patre: obediant item omnibus ejus justis et æquis mandatis: denique pendant vectigalia atque tributa, et quæ alia hujus generis debita sunt, fideliter atque libenter: et si salus publica, patriæve, et justitia requirat, et magistratus ex necessitate bellum suscipiat, deponant etiam vitam et fundant sanguinem pro salute publica magistratusque, et quidem in Dei nomine libenter, fortiter et alacriter. Qui enim magistratui se opponit, iram Dei gravem in se provocat.

Damnamus itaque omnes magistratus contemptores, rebelles, reipub. hostes, et seditiosos nebulones, denique omnes quotquot officia debita præstare, vel palam vel arte renuunt.

Oramus Deum Patrem nostrum in cœlis clementissimum, ut principibus populi, nobis quoque et universo populo suo, benedicat, per Jesum Christum Dominum et Servatorem nostrum unicum: cui laus et gloria ac gratiarum actio in secula seculorum, Amen.

ECCLESIARUM PER HELVETIAM

CONFESSIO FIDEI

SUMMARIA ET GENERALIS,

COMPOSITA BASILEÆ ANNO DOMINI MDXXXVI.

Latine excusa 1581.

I. SCRIPTURA canonica, verbum Dei, Spiritu S. tradita, et per prophetas apostolosque mundo proposita, omnium perfectissima et antiquissima philosophia, pietatem omnem, omnem vitæ rationem sola perfecte continet.

II. Hujus interpretatio ex ipsa sola petenda est, ut ipsa interpres sit sui, charitatis, fideique regula moderante.

III. A quo interpretationis genere, quatenus sancti patres non discessere, eos non solum ut interpretes scripturæ recipimus, sed ut organa Dei dilecta veneramur.

IV. Per cætera de traditionibus hominum, quantumvis speciosis et receptis, quæcunque nos abducunt vel impediunt, ut de inutilibus et noxiis, sic illud Domini respondemus: *Frustra me colunt, docentes doctrinas hominum.*

V. Status hujus scripturæ canonicæ totius is est, Bene Deum hominum generi velle, et eam benevolentiam per Christum Dominum declarasse, Filium suum, quæ fide sola recipiatur. Hæc autem charitate efficax sit et innocenti vita exprimatur.

VI. De Deo sic sentimus, Unum substantia, trinum personis, omnipotentem esse, qui ut condiderit

per Verbum, id est, Filium suum, omnia ex nihilo, sic Spiritu, providentiaque sua juste, vereque et sapientissime gubernet, servet, foveat omnia.

VII. Homo perfectissima Dei in terris imago, primasque creaturarum visibilium habens, ex anima et corpore constans, quorum hoc mortale, illud immortale est, cum esset sancte a Deo conditus, sua culpa in vitium prolapsus, in eandem secum ruinam genus humanum totum traxit, ac eidem calamitati obnoxium reddidit.

VIII. Atque hæc lues, quam originalem vocant, genus totum sic pervasit, ut nulla ope, iræ filius, inimicusque Dei, nisi divina per Christum, curari potuerit. Nam si quid bonæ frugis hic superstes est, vitiis nostris assidue debilitatum in pejus vergit. Superat enim mali vis, et nec rationem persequi, nec mentis divinitatem excolere sinit.

IX. Unde sic homini liberum arbitrium tribuimus, ut, qui scientes et volentes agere nos bona et mala experimur, mala quidem agere sponte nostra queamus, bona vero amplecti et persequi, nisi gratia Christi illustrati, excitati atque impulsi, non queamus. Deus enim is est, qui operatur in nobis, *Velle et perficere pro sua bona voluntate.* Et ex Deo salus, e nobis est perditio.

X. Hujus generis hominis hac culpa damnationi addicti, et indignationem justam incurrentis, nunquam tamen curam gerere Deus Pater desiit: id quod ex primis promissionibus, legeque tota, (quæ ut sancta et bona est, docens nos Dei voluntatem, justitiam, et veritatem, ita operatur iram, peccataque in nobis excitat, non extinguit, non suo quidem, sed nostro vitio,) et a Christo in hoc destinato, præstitoque perspicuum est.

XI. Hic Christus, verus Dei Filius, verusque Deus et homo verus, cum juxta præfinitum tempus hominem totum anima et corpore constantem assumpsisset, in una individuaque persona duas, sed impermixtas naturas, ut vitæ mortuos nos restitueret,

et Dei cohæredes faceret, frater noster est factus.

Is sacrosanctam divinitatis unione carnem, nostræ, peccato solum excepto, quoniam illibatam nostram esse oportebat, per omnia similem ex intacta Virgine Maria, Spiritu cooperante, sumens, in mortem tradidit ad universi peccati expiationem.

Idem, ut esset plena nobis perfectaque immortalitatis spes, atque fiducia, suam ipse carnem de morte suscitatam in cœlum ad omnipotentis Patris dexteram collocavit.

Hic morte, peccato, inferisque omnibus triumphatis victor, duxque et caput nostrum, ac pontifex vere summus, causam nostram perpetuo tuetur, agitque, dum ad imaginem, ad quam conditi eramus reformet, et ad participationem vitæ æternæ inducat.

Hunc venturum ad seculorum omnium finem verum, rectumque judicem, ac sententiam in omnem carnem, ad id judicium prius suscitatam, laturum, ac pios supra æthera evecturum, impios corpore et animo ad æternam damnationem damnaturum, expectamus.

Qui ut solus est mediator, intercessor, hostia, idemque et pontifex dominusque et rex noster, ita hunc solum agnoscimus, ac toto corde credimus conciliationem, redemptionem, sanctificationem, expiationem, sapientiam, protectionem, assertionem nostram, solum, omne hinc simpliciter vitæ, salutisque nostræ medium, præter hunc solum Christum, rejicientes.

XII. Itaque in omni evangelica doctrina primum ac præcipuum hoc ingeri debet, sola nos Dei misericordia et gratia, Christique merito servari, quod ut intelligant homines, quam opus habeant, peccata eis per legem et Christi mortem remitti semper sunt indicanda.

XIII. Ista vero tam divina beneficia ac veram Spiritus Dei sanctificationem, fide, mero Dei dono, haud ullis aut viribus, aut meritis nostris consequi-

mur. Quæ fides, certa et indubitata omnium sperandarum de Dei benevolentia rerum substantia, et apprehensio, ex sese charitatem, ac mox præclaros omnium virtutum fructus pullulat, non quicquam tamen suis officiis, licet piorum, sed ipsi simpliciter partam salutem gratiæ Dei attribuimus. Atque sic quidem solus verus est Dei cultus, fides inquam, nulla operum fiducia, operum fœcundissima.

XIV. Ex talibus autem lapidibus super vivam hanc petram hoc pacto inædificatis, ecclesiam construi, sanctamque sanctorum omnium collectionem, sponsam Christi, quam suo sanguine ablutam Patri aliquando sistet immaculatam, tenemus. Quæ quidem cum solius Dei oculis sit nota, externis tamen quibusdam ritibus ab ipso Christo institutis et verbi Dei, velut publica, legitimaque disciplina non solum cernitur, cognosciturque, sed ita construitur, ut in hanc sine his nemo nisi singulari Dei privilegio censeatur.

XV. Atque hanc ob causam ministros ecclesiæ, cooperarios esse Dei fatemur, per quos ille et cognitionem sui et peccatorum remissionem administret, homines ad se convertat, erigat, consoletur, terreat, etiam et judicet, ita tamen ut virtutem et efficaciam in his omnem Domino, ministerium ministris tamen ascribamus. Nam hanc efficaciam nulli omnino creaturæ alligari, sed libera Dei dignatione dispensari, quomodo et quibus ipse velit, certum est. *Nihil enim est, qui rigat, neque qui plantat, sed qui dat incrementum, Deus.*

XVI. Ipsa autem verbi et pascendi gregis Dominici authoritas, quæ proprie clavium potestas est, cunctis, summis æque et imis præscribens, sacrosancta inviolabilisque esse et vel divino, vel certo et consulto ecclesiæ suffragio, vel eorum sententia, quibus hoc officii delegavit ecclesia, electis tamen et idoneis administrandum committi debet.

XVII. Est enim functio hæc nulli, quem non et

legis divinæ peritia et vitæ innocentia et Christi nominis studio singulari esse compererint et judicarint ministri et ii quibus id negotii per ecclesiam est commissum, concedenda. Quæ cum vera Dei electio sit, ecclesiæ suffragio, et manuum sacerdotis impositione, recte comprobatur.

XVIII. Christus enim verum suæ ecclesiæ caput et pastor solus est, qui præsides, pastores et doctores dat, ut in externa administratione clavium potestate recte et legitime utantur. Unde illos titulo tenus tantum pastores, caputque Romanum minime agnoscimus.

XIX. Summum functionis hujus munus est, pœnitentiam, et peccatorum per Christum remissionem prædicare, pro populo incessanter orare, sanctis studiis, verboque Dei indefesse invigilare, atque verbo Dei, velut gladio Spiritus, et arte omnigena, Satanam internecino odio semper prosequi ac debilitare, Christi cives sanos quidem tueri: vitiosos autem monere, reprehendere, coercere, et grassantes longius conspiratione pia eorum, qui ex ministris, magistratuque delecti sunt, disciplina excludere, vel alia ratione commoda multare, tantisper dum resipiscant, ac salvi fiant. Is enim ad ecclesiam civi Christi morbido regressus est, si conversis animis, studiisque, quo omnis hæc disciplina spectat, errorem agnoscens confiteatur suum, et disciplinam sanam ultro jam requirat, ac studio pietatis novo pios omnes exhilaret.

XX. Signa, quæ in ecclesia Christi sacramenta vocantur, duo sunt: 1. Baptismus. 2. Eucharistia. Hæc arcanarum rerum symbola non nudis signis, sed signis simul et rebus constant. In baptismo enim aqua signum est, at res ipsa regeneratio, adoptioque in populum Dei. In eucharistia panis et vinum signa sunt. Res autem communicatio corporis Christi, parta salus, et peccatorum remissio, quæ quidem percipiuntur fide, quemadmodum signa corpore, et in ipsa re totus fructus sacramentorum est.

Unde asserimus sacramenta non solum tesseras quasdam societatis Christianæ, sed et gratiæ divinæ symbola esse, quibus ministri Domino ad eum finem, quem ipse promittit, offert, et efficit, cooperentur: sic tamen, qualiter de verbi ministerio dictum, ut omnis virtus salvifica uni Domino transcribatur.

XXI. Baptisma quidem, ex institutione Domini, lavacrum regenerationis, quale Dominus electis suis visibili signo per ecclesiæ ministerium, qualiter supra expositum est, exhibeat. Quo quidem sacro lavacro infantes nostros idcirco tingimus, quoniam e nobis, qui populus Domini sumus, genitos populi Dei consortio rejicere nefas est, tantum non divina voce hac designatos, præsertim cum de eorum electione pie est præsumendum.

XXII. Cœnam vero mysticam, in qua Dominus corpus et sanguinem suum, id est, seipsum suis vere ad hoc offerat, ut magis magisque in illis vivat, et illi in ipso: non quod pani et vino corpus Domini et sanguis vel naturaliter uniantur, sed quod panis et vinum ex institutione Domini symbola sint, quibus ab ipso Domino, per ecclesiæ ministerium vera corporis et sanguinis ejus communicatio non in periturum ventris cibum, sed in æternæ vitæ alimoniam exhibeatur. Hoc sacro cibo ideo sæpe utimur, quoniam hujus monitu in crucifixi mortem, sanguinemque fidei oculis intuentes, ac salutem nostram non sine cœlestis vitæ gustu et vero vitæ æternæ sensu meditantes, hoc spirituali, vivifico, intimoque pabulo ineffabili cum suavitate reficimur, ac inenarrabili verbi lætitia propter inventam vitam exultamus, totique ac viribus omnino nostris omnibus in gratiarum actionem tam pro admirando Christi erga nos beneficio effundimur. Itaque immerito fit nostro maximo, quod quidam nos parum tribuere sacris symbolis putant. Sunt enim hæc res sanctæ, venerandæque, utpote a summo sacerdote Christo institutæ et susceptæ, suo, quo diximus, modo res significatas exhibentes, testimonium rei gestæ præbentes,

res tam arduas repræsentantes, et mirabili quadam rerum significatarum analogia clarissimam mysteriis istis lucem afferentes. Ad hæc auxilium, opemque ipsi suppeditant fidei, ac jurisjurandi denique vice initiatum astringunt. Tam sancte de sacris symbolis sentimus. At vero vivificantis et sanctificantis vim et virtutem tribuimus ei perpetuo, qui vita est, cui sit laus in secula seculorum, Amen.

XXIII. Cœtus autem sacros sic peragendos esse censemus, ut ante omnia verbum Dei in publicum loco publico et sacris destinato plebi quotidie proponatur. Scripturæ abdita per idoneos quotidie eruantur, edisseranturque. Sacra eucharistia celebranda piorum subinde fides exerceatur, precationi pro omnibus omnium necessitudinibus assidue instetur: cæteras vero cæremoniarum ambages inutiles ac innumerabiles, vasa, vestes, vela, faces, aras, aurum, argentum, quatenus pervertendæ religioni serviunt, idola præsertim, quæ ad cultum prostant, et offensionem præbent, ac id genus omnia profana a S. nostro cœtu procul arcemus.

XXIV. Arcemus item quotquot ab ecclesiæ S. societate dissidentes aliena, impiaque dogmata vel ingerunt, vel sectantur, quo malo catabaptistæ hodie cum primis laborant, quos si obstinate monitioni ecclesiæ et Christianæ eruditioni non obsecundant, per magistratum coercendos, ne contagione gregem Dei inficiant, judicamus.

XXV. Quæ media vocantur et sunt proprie, iis uti vir pius quanquam libere ubique et semper potest, tamen scienter et ex charitate, nempe ad gloriam Dei, et ad ecclesiæ proximorumque ædificationem omnibus utetur solum.

XXVI. Magistratus omnis a Deo cum sit, officium ejus, nisi tyrannidem exercere libeat, præcipuum est, religionem omni blasphemia reprimenda defendere et procurare, ac qualiter ex verbo Dei propheta docet pro virili exequi: qua quidem in parte locum primum pura atque libera divini verbi

prædicatio, juventutis, civium et scholarum recta et sedula instituta disciplina justa, liberalis ministrorum ecclesiæ pauperumque sollicita cura habet, quo omnes ecclesiasticæ facultates spectant. Deinde secundum leges æquas divinasque judicare populum, judicium et justitiam tueri, colere pacem publicam, remp. fovere, et sontes pro delicti ratione multare opibus, corpore, vita, quæ cum facit debitum Deo cultum præstat. Huic nos etiamsi liberi simus, et corpore et facultatibus omnibus nostris, et animi studio, vera cum fide, sancte subjiciendos esse, fidelitatem ac sacramentum præstare, quantisper hujus imperia cum eo, propter quem hunc reveremur, palam non pugnant, scimus.

XXVII. Conjugium omnibus hominibus aptis et alio non vocatis divinitus institutum, nullius ordinis sanctimoniæ repugnare censemus. Quod ut ecclesia hortatione solenni, precationeque inaugurat ac sancit: ita magistratus interest, ut digne et ineatur et colatur, nec nisi justa de causa solvatur. Proinde cœlibatum istum monasticum, et totum hoc ignavum vitæ genus, superstitiosorum hominum abominabile commentum, procul rejicimus, æque et ecclesiæ et reipublicæ repugnans.

BASILIENSIS VEL MYLHUSIANA

CONFESSIO FIDEI,

ANNO MDXXXII. SCRIPTA GERMANICE,

Latine excusa 1561. 1581.

I. CREDIMUS in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum Sanctum, sanctam divinam Trinitatem: tres Personas, et unum æternum omnipotentem Deum, secundum substantiam et essentiam, et non tres Deos. Probatur hoc ex multis locis totius scripturæ Veteris et Novi Testamenti.

Credimus etiam Deum omnia creasse per Verbum suum æternum: id est, per suum unigenitum Filium: et omnia sustentare efficereque per Spiritum suum, id est, vi propria. Ideoque Deum omnia, sicuti creavit, providere ac gubernare. Genes. i. Joan. i. 1 Paralip. xxix. Act. xvii. Hinc confitemur Deum, antequam mundum creasset, eos omnes elegisse, quos hæreditate æternæ beatitudinis donare vult. Rom. viii. ix. xi. Ephes. i.

II. Confitemur hominem ab initio secundum Dei imaginem, justitiam, et sanctitatem a Deo integre factum. Est autem sua sponte lapsus in peccatum: per quem lapsum totum humanum genus corruptum et damnationi obnoxium factum est. Hinc natura nostra vitiata est, ac in tantam propensionem ad peccatum devenit, ut nisi eadem per Spiritum Sanctum redintegretur, homo per se nihil boni faciat, aut velit. Gen. iii. et v. et vi. et viii. Rom. v. 1 Corinth. xv. Ephes. ii. Joan. iii. Rom. iii. Psal. cxliii.

III. Ac tametsi homo, per eundem lapsum, damnationi obnoxius et Dei inimicus factus sit, Deum tamen curam generis humani nunquam deposuisse. Testantur hoc patriarchæ, promissiones ante et post diluvium: lex item a Deo per Mosen lata: et sancti prophetæ.

IV. Credimus ac confitemur constanter, Christum nobis tempore ad hoc ordinato, secundum promissionem Dei, a Patre datum, ac ita æternum Dei Verbum, carnem factum esse: id est, hunc Filium Dei humanæ naturæ in una persona unitum, nostrum fratrem factum quo nos per eum participes fieremus hæreditatis Dei. Hunc Jesum Christum credimus conceptum a Spiritu Sancto, natum ex pura intemerata Virgine Maria: passum sub Pontio Pilato: crucifixum et mortuum pro peccatis nostris. Atque ita unica sui ipsius oblatione, Deo Patri nostro cœlesti pro nostris et omnium fidelium peccatis satisfecisse, ac nos cum eo reconciliasse: sicque morte sua triumphum egisse, et vicisse mundum, mortem et inferos. Ad hæc secundum carnem sepultum descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse a mortuis. His sufficienter comprobatis, ipsum corpore et anima in cœlos ascendisse, ibique sedere in dextera, id est in gloria, Dei Patris cœlestis. Inde venturum esse ad judicandum vivos et mortuos. Præterea discipulis suis ut promisit, suum Sanctum Spiritum (in quem sicut et in Patrem et in Filium credimus) misisse.

V. Credimus sanctam Christianam ecclesiam, id est, communionem sanctorum, congregationem fidelium in Spiritu, quæ sancta et sponsa Christi est. In qua omnes illi cives sunt qui confitentur JESUM esse CHRISTUM, agnum Dei tollentem peccata mundi: atque eundem fidem per opera charitatis demonstrant.

In ecclesia usurpantur eadem sacramenta, videlicet, baptismus in introitu ad ecclesiam: et cœna

Domini suo tempore insequentis vitæ: ad testificandum fidem et fraternam charitatem: sicut in baptismo promissum est.

Christi ecclesia omnem operam impendit ut vincula pacis et dilectionis in unitate tueatur. Ideoque cum sectis et ordinum regulis ad discrimen dierum, ciborum, vestium et cæremoniarum compositis, nullo modo communicat.

VI. Præterea Deus magistratui suo ministro, gladium et summam externam potestatem bonis ad defensionem, malis ad vindictam et pœnam, delegavit. Quilibet igitur Christianus magistratus (in quorum numero nos esse cupimus) omnes vires eo dirigit, ut, apud suæ fidei commissos, nomen Dei sanctificetur, regnum ipsius propagetur, ipsiusque voluntati cum seria extirpatione scelerum vivatur.

Et ad marginem.

Hoc officium etiam gentili magistratui injunctum fuit, quanto magis Christiano magistratui commendatum esse debet, ut vero Dei vicario? Rom. xiii. 1 Pet. ii.

VII. Confitemur Dominum Jesum sanctam suam cœnam instituisse ad memorandam sanctam suam passionem cum gratiarum actione, ad annunciandam mortem suam, atque ad testificandam Christianam charitatem et unitatem cum vera fide. Et sicut baptismo (in quo nobis ablutio a peccatis, quæ tamen a solo Patre, Filio, et Spiritu Sancto perficitur, per ministrum ecclesiæ offertur) vera aqua manet; ita etiam in cœna Domini (in qua nobis cum pane et vino Domini verum corpus et verus sanguis Christi per ministrum ecclesiæ præfiguratur et offertur) panis et vinum manet. Credimus autem firmiter ipsummet Christum cibum esse credentium animarum ad vitam æternam, et nostras animas per veram fidem in crucifixum Christum, carne et sanguine Christi cibari et potari: ita ut nos, corporis sui tanquam unici nostri capitis membra, in eo, et

ipse in nobis vivat, quibus in novissimo die per eum et in eo in æternum gaudium et beatitudinem resurgemus.

Et in marginali annotatione. Spiritualis namque cibus est, ideoque fideli anima percipitur, id est, animæ saturæ, fortes, potentes, pacificæ, tranquillæ, hilares, et ad omnia agiles redduntur, sicut a corporali cibo corpus. Ita autem homo spirituale membrum, spiritualis corporis Christi, efficitur. Item confitemur Christum in sua sacra cœna omnibus vere credentibus præsentem esse, sacramentaliter nimirum, et per memorationem fidei, quæ hominis mentem ad cœlos attollit, nec Christum, secundum humanitatem, a dextra Dei detrahat. Joan. vi. et xi. Ephes. i. 4, et 5. Col. i.

Non includimus autem naturale, verum, et substantiale corpus Christi ex pura Virgine Maria natum, pro nobis passum, et quod in cœlos ascendit, in Domini panem et potum. Itaque nec adoramus Christum in signis panis et vini, quæ communiter sacramenta corporis et sanguinis Christi vocamus: sed in cœlis ad dexteram Dei Patris, unde venturus est ad judicandum vivos et mortuos. Coloss. iii. Heb. i. et x. Act. iii. 2 Tim. iv.

VIII. Confitemur remissionem peccatorum per fidem in Jesum crucifixum. Et quamvis hæc per opera charitatis se sine intermissione exercet, exerit, atque ita probatur: attamen justitiam et satisfactionem pro peccatis nostris non tribuimus operibus, quæ fidei fructus sunt: sed tantum veræ fiduciæ, et fidei in effusum sanguinem agni Dei. Ingenue enim profitemur nobis in Christo, qui est nostra justitia, sanctitas, redemptio, via, veritas, sapientia, et vita, omnia dono data esse. Fiunt itaque opera fidelium, non ut satisfaciant pro peccatis suis; sed solummodo ut his Deo Domino nostro pro maximis beneficiis, nobis in Christo exhibitis, se aliquo modo gratos esse declarent.

Et in margine. Gratitudo consistit in remuneratione receptorum beneficiorum. Deo autem nihil rependi potest, quia nullius indiget. Respicimus ergo in ea quæ a nobis requirit. Hæc autem sunt fides, et opera charitatis. Fidem postulat sibi ipsi, charitatem proximo. Matt. xxiv. xxv. 1 Tim. iv.

IX. Credimus ultimum judicium fore, in quo caro nostra resurget, et quilibet prout in hac vita egit, a Christo judice recipiet: videlicet vitam æternam, si ex vera fide, sincera dilectione fructus fidei, qui sunt opera justitiæ, edidit: et æternum ignem, si absque fide, sine charitate bonum vel malum patravit.

X. Confitemur quod quemadmodum nemo mandare potest ea quæ Christus non mandavit: ita etiam nemo prohibere possit, quæ ipse non prohibuit. Scriptum est enim, *Ipsum audite.* Matt. xvii. Luc. ix. Deut. xviii. Act. vii.

Itaque cultum et invocationem demortuorum, sanctorum venerationem, et extructionem idolorum, et id genus, improbamus. Ob hanc causam et auricularem confessionem, sanctorum ferias, et quæ ejus generis ab hominibus exorta sunt: sicut contra, ministrorum matrimonium non prohibitum scimus.

Et rursus interdicere nemo potest quæ Deus concessit. Cibis itaque cum gratiarum actione uti, nullo modo interdictum existimamus.

In margine. Deus dixit, Ego Jehova Deus vester, Levit. xxiii. *et per Mosen* Deut. x. *Jehova enim Deus vester est Deus deorum, Deus magnus et terribilis. Quis ergo inter ipsius creaturas concedere posset quæ ipse prohibuit? Et rursus interdicere nemo potest quæ Deus concessit.*

Sanctos alioqui fatemur coram Deo esse, cum Christo regnare in æternum, propterea quod Christum agnoverunt, et tum operibus tum verbis confessi sunt esse suum Salvatorem, redemptionem, et justitiam sine ullo humani meriti additamento. Hinc laudamus et commendamus ipsos, tanquam

eos qui gratiam a Deo consecuti, et jam hæredes regni æterni facti sunt: hoc tamen omne ad gloriam Dei et Christi referentes.

XI. Clare protestamur nos peregrinas et erroneas doctrinas quas turbarum spiritus inter alias damnatas opiniones proferunt dicentes, in nullo casu jurandum esse, etsi gloria Dei et charitas proximi id requirant, &c. Magistratus Christianos esse non posse, cum omnibus aliis doctrinis quæ sanæ et puræ doctrinæ Jesu Christi adversantur e diametro, non solum non recipere, sed ut abominationes et blasphemias rejicere et damnare.

In margine. Suo tempore juramento uti licet. Deus enim jussit hoc in Veteri Testamento: et in Novo Christus non prohibuit, imo Christus et apostoli jurarunt. Item in margine. Magistratus tum bonum magistratum agit, quando vere Christianus est.

Postremo hanc nostram confessionem judicio sacræ biblicæ scripturæ subjicimus: eoque pollicemur, si ex prædictis scripturis in melioribus instituamur, nos omni tempore Deo et sacrosancto ipsius Verbo, maxima cum gratiarum actione obsecuturos esse.

CONFESSIO FIDEI

EXHIBITA

INVICTISS. IMP. CAROLO V.

IN

COMITIIS AUGUSTÆ

ANNO MDXXX.

Excusa Vitembergæ anno 1531.

PSALM. CXIX.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.

CONFESSIO FIDEI

EXHIBITA

INVICTISS. IMP. CAROLO V.

IN

COMITIIS AUGUSTÆ

ANNO MDXXX.

PRÆFATIO AD CÆSAREM CAROLUM V.

INVICTISSIME imperator, Cæsar Auguste, domine clementissime. Cum V. C. M. indixerit conventum imperii Augustæ, ut deliberetur de auxiliis contra Turcam, atrocissimum, hæreditarium atque veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori et conatibus durabili et perpetuo belli apparatu resisti possit. Deinde et de dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis et Christianæ fidei, et ut in hac causa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in caritate, lenitate, et mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur et ponderentur, ut illis, quæ utrinque in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis et correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem et Christianam concordiam componantur et reducantur, ut de cætero a nobis una, sincera et vera religio colatur, et servetur, ut, quemadmodum sub uno Christo sumus et militamus: ita in una etiam ecclesia Christiana, in unitate et concordia vivere possimus.

Cumque nos infra scripti elector et principes, cum aliis, qui nobis conjuncti sunt, perinde ut alii elec-

tores et principes et status ad prædicta comitia evocati simus[a], ut Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, mature venimus Augustam. Et, quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cum igitur V. C. M. electoribus, principibus et aliis statibus imperii, etiam hic Augustæ sub ipsa initia horum comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod singuli status imperii vigore Cæsarei edicti suam opinionem et sententiam in Germanica et Latina lingua proponere debeant atque offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est V. C. M. nos proxima feria sexta articulos nostræ confessionis pro nostra parte oblaturos esse. Ideo ut V. C. M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum concionatorum, et nostram confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis, et puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus, et urbibus tradiderint, ac in ecclesiis tractaverint.

Quod si et cæteri electores, principes ac status imperii, similibus scriptis, Latinis scilicet et Germanicis, juxta prædictam Cæsaream propositionem, suas opiniones in hac causa religionis produxerint, hic nos coram V. C. M. tanquam Domino nostro clementissimo paratos offerimus, nos cum præfatis principibus et amicis nostris, de tolerabilibus modis ac viis amice conferre, ut, quantum honeste fieri potest, conveniamus, et re inter nos partes, citra odiosam contentionem, pacifice agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, et ad unam veram concordem religionem reducatur; sicut omnes sub uno Christo sumus et militamus, et unum Christum confiteri debemus; juxta tenorem edicti V. C. M. et omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentissimis votis a Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros electores, principes et status, ut partem alteram, attinet, hæc tractatio

[a] simus] sic Mel. vulg. sumus.

causæ religionis, eo modo, quo V. C. M. agendam et tractandam sapienter duxit, scilicet, cum tali mutua præsentatione scriptorum ac sedata collatione, inter nos non processerit, nec aliquo fructu facta fuerit, nos quidem testatum clare relinquimus, hic nihil nos, quod ad Christianam concordiam (quæ cum Deo et bona conscientia fieri possit) conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare. Quemadmodum et V. C. M. deinde et cæteri electores, et status imperii, et omnes, quicunque sincero religionis amore ac studio tenentur, quicunque hanc causam æquo animo audituri sunt, ex hac nostra et nostrorum confessione hoc clementer cognoscere et intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. electoribus, principibus et reliquis statibus imperii non una vice, sed sæpe clementer significaverit, et in comitiis Spirensibus, quæ anno Domini etc. XXVI. habita sunt, ex data et præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis et commissionis recitari, et publice prælegi fecerit: vestram M. in hoc negotio religionis ex causis certis, quæ V. M. nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare, nec concludere posse, sed apud pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum in publico proximo conventu, qui Spiræ congregatus fuit. Ubi V. C. M. per dominum Ferdinandum, Boemiæ et Ungariæ regem, amicum et dominum clementem nostrum; deinde per oratorem et commissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V. C. M. intellexisset, et expendisset locum tenentis V. C. M. in imperio, et præsidentis et consiliariorum in regimine, et legatorum ab aliis statibus, qui Ratisbonæ convenerant, deliberationem de concilio congregando. Et quod judicaret etiam V. C. M. utile esse, ut congregaretur concilium, et quia causæ, quæ tum tractabantur inter V. C. M. et Rom. pontificem, vicinæ essent

concordiæ et Christianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Roman. pontifex adduci posset ad habendum generale concilium. Ideo significabat se V. C. M. operam daturam, ut præfatus Pontif. maximus una cum V. C. M. tale generale concilium, primo quoque tempore emissis literis publicandum congregare consentiret.

In eventum ergo talem, quod in causa religionis dissensiones inter nos et partes amice et in caritate non fuerint compositæ, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros et causam dicturos in tali generali, libero et Christiano concilio, de quo congregando in omnibus comitiis imperialibus, quæ quidem annis imperii V. C. M. habita sunt per electores, principes, et reliquos status imperii, semper concorditer actum, et congruentibus suffragiis conclusum est. Ad cujus etiam generalis concilii conventum, simul et ad V. C. M. in hac longe maxima et gravissima causa, jam ante etiam debito modo et in forma juris provocavimus, et appellavimus. Cui appellationi ad V. C. M. simul et concilium adhuc adhæremus neque eam per hunc vel alium tractatum (nisi causa inter nos et partes, juxta tenorem Cæsareæ proximæ citationis amice in caritate composita, sedata, et ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus; de quo hic etiam solenniter et publice protestamur.

ARTICULI FIDEI PRÆCIPUI.

I. *De Deo.*

ECCLESIÆ magno consensu apud nos docent, decretum Nicenæ synodi, de unitate essentiæ divinæ, et de tribus personis, verum et sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet, quod sit una essentia divina, quæ appellatur et est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator et conservator omnium rerum visibilium et invisibilium, et tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ et potentiæ, et coæternæ, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, bonum et malum. Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas et omnes horum similes. Damnant et Samosatenos, veteres et neotericos, qui, cum tantum unam personam esse contendant, de Verbo et de Spiritu Sancto astute et impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale, et Spiritus motum in rebus creatum.

II. *De Peccato Originis.*

ITEM docent, quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia, quodque hic morbus, seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non

renascuntur per baptismum et Spiritum Sanctum.

Damnant Pelagianos, et alios, qui vitium originis negant esse peccatum, et ut extenuent gloriam meriti et beneficiorum Christi, disputant hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse.

III. *De Filio Dei.*

ITEM docent, quod Verbum, hoc est, Filius Dei, assumserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ Virginis, ut sint duæ naturæ, divina et humana, in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, vere Deus, et vere homo, natus ex Virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus et sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, et hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, et vere resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris, et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu Sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum, et vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos et mortuos etc. juxta symbolum apostolorum.

IV. *De Justificatione.*

ITEM docent, quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso. Rom. iii. et iv.

V. *De Ministerio Eccles.*

UT hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi evangelii et porrigendi sacramenta. Nam per verbum et sacramenta, tanquam per in-

strumenta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi et quando visum est Deo, in iis, qui audiunt evangelium, scilicet, quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum justificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas, et alios, qui sentiunt Spiritum Sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum præparationes et opera.

VI. *De Nova Obedientia.*

ITEM docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, et quod oporteat bona opera, mandata a Deo facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum et justificatio fide apprehenditur, sicut testatur et vox Christi: *Cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus.* Idem docent et veteres scriptores ecclesiastici; Ambrosius enim inquit, Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

VII. *De Ecclesia.*

ITEM docent, quod una sancta ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem ecclesia congregatio sanctorum, in qua evangelium recte docetur, et recte administrantur sacramenta. Et ad veram unitatem ecclesiæ, satis est consentire de doctrina evangelii et administratione sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias, ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium etc.

VIII. *Quid sit Ecclesia.*

QUANQUAM ecclesia proprie sit congregatio sanctorum, et vere credentium; tamen, cum in hac vita multi hypocritæ et mali admixti sint, licet uti sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta

vocem Christi: *Sedent Scribæ et Pharisæi in cathedra Moisis* etc. Et sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas et similes, qui negabant licere uti ministerio malorum in ecclesia, et sentiebant ministerium malorum inutile et inefficax esse.

IX. *De Baptismo.*

DE baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quodque per baptismum offeratur gratia Dei; et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum, et affirmant pueros sine baptismo salvos fieri.

X. *De Cœna Domini.*

DE cœna Domini docent, quod corpus et sanguis Christi vere adsint, et distribuantur vescentibus in cœna Domini, et improbant secus docentes.

XI. *De Confessione.*

DE confessione docent, quod absolutio privata in ecclesiis retinenda sit, quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis juxta Psalmum: *Delicta quis intelligit?*

XII. *De Pœnitentia.*

DE pœnitentia docent, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunque tempore cum convertuntur. Et quod ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam absolutionem impertiri debeat.

Constat autem pœnitentia proprie his duabus partibus: altera est, contritio seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est, fides, quæ concipitur ex evangelio, seu absolutione, et credit pro-

pter Christum remitti peccata, et consolatur conscientiam, et ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum Sanctum. Item, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint. Damnantur et Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Rejiciuntur et isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XIII. *De Usu Sacramentorum.*

DE usu sacramentorum docent, quod sacramenta instituta sint, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa et testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his qui utuntur proposita. Itaque utendum est sacramentis, ita ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per sacramenta exhibentur et ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

XIV. *De Ordine Ecclesiastico.*

DE ordine ecclesiastico docent, quod nemo debeat in ecclesia publice docere, aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus.

XV. *De Ritibus Ecclesiasticis.*

DE ritibus ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, et prosunt ad tranquillitatem et bonum ordinem in ecclesia, sicut certæ feriæ, festa et similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne

conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, et satisfaciendum pro peccatis, adversentur evangelio et doctrinæ fidei. Quare vota et traditiones de cibis et diebus etc. institutæ ad promerendam gratiam, et satisfaciendum pro peccatis inutiles sint et contra evangelium.

XVI. *De Rebus Civilibus.*

DE rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere magistratus, exercere judicia, judicare res ex imperatoriis, et aliis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant et illos, qui evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei et fide, sed in deferendis civilibus officiis, quia evangelium tradit justitiam æternam cordis. Interim non dissipat politiam aut œconomiam, sed maxime postulat conservare tanquam ordinationes Dei, et in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent Christiani obedire magistratibus suis et legibus. Nisi cum jubent peccare, tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus, Actor. v.

XVII. *De Christi reditu ad jud.*

ITEM docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum, et mortuos omnes resuscitabit, piis et electis dabit vitam æternam et perpetua gaudia, impios autem homines ac Diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac Diabolis finem pœnarum futurum esse.

Damnant et alios, qui nunc spargunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.

XVIII. *De Libero Arbitrio.*

DE libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et deligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ Dei seu justitiæ spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus Sanctus concipitur. Hæc totidem verbis dicit Augustinus lib. III. Hypognosticon. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis, quam etiam malis; bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, i. e. velle laborare in agro, velle manducare et bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, vel quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Quæ omnia non sine divino gubernaculo subsistunt, imo ex ipso et per ipsum sunt, et esse cœperunt. Malis vero dico, ut est: Velle idolum colere, Velle homicidium, etc.

Damnant Pelagianos, et alios, qui docent, quod sine Spiritu Sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere: item præcepta Dei facere, quoad substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit, potest enim continere manus a furto, a cæde; tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, etc.

XIX. *De Causa Peccati.*

DE causa peccati docent, quod tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli et impiorum, quæ non adjuvante Deo avertit se a Deo, sicut Christus ait Joh. viii. Cum loquitur mendacium, ex se ipso loquitur.

XX. *De Bonis Operibus.*

FALSO accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, et alia simili argumento testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus et officiis, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant concionatores, tantum puerilia et non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum et similia. Hæc adversarii nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent, nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem et opera, et dicunt, nos fide et operibus justificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, et plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in ecclesia præcipuam esse, tam diu jacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei justitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesiis, nostri de fide sic admonuerunt ecclesias.

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, et gratiam et justificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est Mediator

et propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum et gratiam, et quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit: *Ego sum via, veritas et vita.*

Hæc doctrina de fide ubique in Paulo tractatur, Eph. ii. *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus*, etc.

Et ne quis cavilletur, a nobis novam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam et justitiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione gentium, et alibi. Sic enim inquit de vocatione gentium: Vilesceret redemtio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ conscientiæ plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. v. *Justificati per fidem, pacem habemus apud Deum.* Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male judicant de ea re homines imperiti, et prophani, qui Christianam justitiam nihil esse somniant, nisi civilem et philosophicam justitiam.

Olim vexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex evangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam. Alii alia excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de

fide in Christum tradere, et renovare, ne deesset consolatio pavidis conscientiis, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam et remissionem peccatorum et justificationem.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen *fidei* non significet tantum historiæ notitiam, qualis est in impiis et Diabolo, sed significet fidem, quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet, hunc articulum, remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus gratiam, justitiam et remissionem peccatorum.

Jam qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit se ei curæ esse, invocat eum; denique non est sine Deo sicut gentes. Nam Diaboli et impii non possunt hunc articulum credere, remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de *fidei* nomine hoc modo admonet lectorem, et docet, in Scripturis nomen *fidei* accipi, non pro *notitia*, qualis est in impiis, sed pro *fiducia*, quæ consolatur et erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus Sanctus, jam corda renovantur, et induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonæ voluntatis, et justæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine Spiritu Sancto, plenæ sunt impiis affectibus, et sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. Adhæc, sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in philosophis, qui et ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide et

sine Spiritu Sancto, et tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, a Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, et humana consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum. Quare et Christus dixit: *Sine me nihil potestis facere*, Joan. xv. Et ecclesia canit: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

XXI. *De Cultu Sanctorum.*

DE cultu sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, et bona opera juxta vocationem; ut Cæsar imitari potest exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria. Nam uterque rex est. Sed Scriptura non docet invocare sanctos, seu petere auxilium a sanctis. Quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, pontificem, et intercessorem. Hic invocandus est, et promisit se exauditurum esse preces nostras, et hunc cultum maxime probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus, 1 Joan. ii. *Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum*, etc.

Hæc fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab ecclesia catholica, vel ab ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in ecclesias irrepserunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas episcopos, ut

propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent, neque similes unquam omnium ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta in ecclesiis nostris abolcantur. Verum publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi, quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTICULI IN QUIBUS RECENSENTUR ABUSUS MUTATI.

CUM ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab ecclesia catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, et contra voluntatem canonum vitio temporum recepti, rogamus, ut Cæsarea majestas clementer audiat, et quid sit mutatum, et quæ fuerint causæ, quo minus coactus sit populus illos abusus contra conscientiam observare. Nec habeat fidem Cæsarea majestas istis, qui, ut inflamment odia hominum adversus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio præbuerunt occasionem huic dissidio, et eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Cæsarea majestas haud dubie comperiet tolerabiliorem esse formam, et doctrinæ et ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui et malevoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile autem hoc judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conservandam, et alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam si ceremoniæ rite fiant in ecclesiis.

I. *De utraque Specie.*

LAICIS datur utraque species sacramenti in cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. xxvi. *Bibite ex hoc omnes.* Ubi manifeste præcepit Christus de poculo, ut omnes bibant, et ne quis possit cavillari, quod hoc ad sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam ecclesiam utraque specie usam esse. Et diu mansit hic mos in ecclesia, nec con-

stat, quando aut quo autore mutatus sit, tametsi cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur, populo sanguinem datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait, sacerdotes eucharistiæ ministrant, et sanguinem Christi populis dividunt. Imo Gelasius papa mandat, ne dividatur sacramentum, Dist. II. de consecratione, cap. Comperimus. Tantum consuetudo non ita vetus aliud habet. Constat autem, quod consuetudo, contra mandata Dei introducta, non sit probanda, ut testantur canones, Dist. VIII. cap. Veritate, cum sequentibus. Hæc vero consuetudo non solum contra Scripturam, sed etiam contra veteres canones et exemplum ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt utraque specie sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offensione conscientiæ.

Et quia divisio sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hactenus fieri solita est.

II. *De Conjugio Sacerdotum.*

PUBLICA querela fuit de exemplis sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam et Pius papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur ademtum sit sacerdotibus conjugium, sed multo majores esse causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina. Cum igitur sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat ipsis contrahere matrimonium. Primum, quia Paulus dicit: *Unusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem.* Item: *Melius est nubere, quam uri.* Secundo, Christus inquit: *Non omnes capiunt verbum hoc;* ubi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creavit hominem ad procreationem, Gen. i. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono et opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matri-

monium. Nam mandatum Dei, et ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent sacerdotes sibi licere uxores ducere. Constat etiam, in ecclesia veteri sacerdotes fuisse maritos. Nam et Paulus ait, episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primum, ante annos quadringentos, sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, qui quidem adeo adversati sunt, ut archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. pontificis de ea re, pene ab iratis sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciviliter, ut non solum in posterum conjugia prohiberentur, sed etiam præsentia, contra omnia jura divina et humana, contra ipsos etiam canones factos, non solum a pontificibus, sed a laudatissimis synodis, distraherentur.

Et cum senescente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura vitia serpant in Germaniam. Porro Deus instituit conjugium, ut esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse ducunt, quod optandum est, ut fiat et in hoc negotio. Ac videntur ecclesiis aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur conjugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos ecclesiæ notus sit, cum impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria et alia scelera digna animadversione boni magistratus: tamen mirum est, nulla in re majorem exerceri sævitiam, quam adversus conjugium sacerdotum. Deus præcepit honore afficere conjugium. Leges in omnibus rebuspublicis bene constitutis, etiam apud ethnicos, maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, et quidem sacerdotes contra canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter conjugium. Paulus vocat *doctrinam dæmoniorum*, quæ prohibet conjugium, 1 Timoth. iv. Id facile nunc

intelligi potest, cum talibus suppliciis prohibitio conjugii defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quæ non servant promissam castitatem. Verba ejus sunt hæc, lib. I. epistola 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam utuntur ipsi canones erga hos, qui ante justam ætatem voverunt, quomodo fere hactenus fieri consuevit.

III. *De Missa.*

FALSO accusantur ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant, retinetur enim missa apud nos, et summa reverentia celebratur. Servantur et usitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc unum opus est ceremoniis, ut doceant imperitos. Et non modo Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano jure.

Assuefit populus, ut una utantur sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate et usu sacramenti, quantam consolationem afferat pavidis conscientiis, ut discant Deo credere, et omnia bona a Deo expectare et petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adversarios missæ majore religione fieri, quam apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam et longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu

fuisse, quod missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quam late pateat hic abusus in omnibus templis, a qualibus celebrentur missæ, tantum propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indigne tractant eucharistiam, cum ait: *Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Itaque cum apud nos admonerentur sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos privatæ missæ, cum fere nullæ privatæ missæ nisi quæstus causa fierent.

Neque ignoraverunt hos abusus episcopi, qui, si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in ecclesiam serpere. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus ecclesiæ, cum hic tumultus non aliunde sumserit occasionem, quam ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari amplius non possent. Magnæ dissensiones de missa, de sacramento extiterunt. Fortasse dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis missarum, quam in ecclesiis tot seculis toleraverunt isti, qui emendare et poterant et debebant. Nam in Decalogo scriptum est: *Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.* At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæstum collata fuisse, ut missa.

Accessit opinio, quæ auxit privatas missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, et instituerit missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod missa sit opus delens peccata vivorum et mortuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, utrum una missa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dis-

sentiant a Scripturis sanctis, et lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio et satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est: *Sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi semel.* Item, *Una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.*

Item, Scriptura docet, *Nos coram Deo justificari per fidem in Christum*, cum credimus, nobis remitti peccata propter Christum. Jam si missa delet peccata vivorum et mortuorum ex opere operato, contingit justificatio ex opere missarum, non ex fide, quod scriptura non patitur.

Sed Christus jubet facere in sui memoriam, quare missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum, et erigat et consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Judæi et impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cum autem missa sit talis communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis missa singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ missæ. De communi missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait: Sacerdotem quotidie stare ad altare, et alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex canonibus veteribus apparet, unum aliquem celebrasse missam, a quo reliqui presbyteri et diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba canonis Niceni: accipiant diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab episcopo vel a presbytero sacram communionem.

Et Paulus de communione jubet, ut alii alios expectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur missa apud nos habet exemplum ecclesiæ, ex Scriptura et patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis serventur, tantum numerus missarum est dissimilis, quem propter maximos et manifestos abusus certe moderari prodesset. Nam olim etiam in ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidie missa, ut testatur historia tripartita lib. IX. cap. 38. Rursus autem in Alexandria quarta et sexta feria Scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, et omnia fiunt præter solemnem oblationis morem.

IV. *De Confessione.*

CONFESSIO in ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis et absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, et mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium, et commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis, et quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de cœlo sonanti credamus, et quod illa fides in Christum vere consequatur, et accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiones: fidei et meriti Christi, ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minime sunt culpandæ ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissime a nostris tractata patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, ut testatur Psalmus: *Delicta quis intelligit?* Item Jeremias: *Pravum est*

cor hominis et inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Testantur et veteres scriptores enumerationem non esse necessariam. Nam in decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait: Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo prophetæ dicenti; *Revela ante Deum viam tuam.* Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum Judicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, etc. Et glossa de pœnitentia, Dist. IV. cap. Confideret, fatetur humani juris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur.

V. *De Discrimine Ciborum.*

PUBLICA persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam docentium in ecclesiis, quod discrimina ciborum, et similes traditiones humanæ, sint opera utilia ad promerendam gratiam et satisfactoria pro peccatis. Et quod sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur novæ ceremoniæ, novi ordines, novæ feriæ, nova jejunia, et doctores in templis exigebant hæc opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, et vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in ecclesia secuta sunt.

Primo, obscurata est doctrina de gratia et justitia fidei, quæ est præcipua pars evangelii, et quam maxime oportet extare et eminere in ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur, et fides, quæ credit remitti peccata propter Christum, longe supra opera collocetur. Quare et Paulus in hunc locum maxime incumbit, legem et traditiones humanas removet, ut ostendat justitiam Christianam aliud quiddam esse,

quam hujusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti propter Christum. At hæc doctrina Pauli pene tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per discrimina ciborum, et similes cultus, oporteat mereri gratiam et justitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantum hæc opera satisfactoria proponebantur, in his videbatur pœnitentia tota consistere.

Secundo hæ traditiones obscuraverunt præcepta Dei, quia traditiones longe præferebantur præceptis Dei: Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hæ observationes erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita spiritualis et vita perfecta. Interim mandata Dei juxta vocationem nullam laudem habebant, quod paterfamilias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod princeps regebat rempublicam, hæc putabantur esse opera mundana et imperfecta, et longe deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magistratibus, aut aliis functionibus civilibus, mirabantur monachos et similes, et falso putabant illorum observationes Deo gratiores esse.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conscientiis, quia impossibile erat omnes traditiones servare, et tamen homines arbitrabantur has observationes necessarios esse cultus. Gerson scribit, Multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscivisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, et interim consolationem nullam de justitia fidei et de gratia audierant.

Videmus summistas et theologos colligere traditiones, et quærere ἐπιεικείας, ut levent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis injiciunt laqueos conscientiis. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ scholæ, et conciones, ut non vacaverit attingere Scripturam, et quærere

utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate civilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerson et alii quidam theologi graviter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quo minus versari possent in meliore genere doctrinæ. Et Augustinus vetat onerare conscientias hujusmodi observationibus, et prudenter admonet Januarium, ut sciat eas indifferenter observandas esse; sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc causam temere attigisse, aut odio episcoporum, ut quidam falso suspicantur. Magna necessitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus male intellectis, admonere ecclesias. Nam evangelium cogit urgere doctrinam in ecclesiis de gratia et justitia fidei, quæ tamen intelligi non potest, si putent homines se mereri gratiam per observationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per observationem traditionum humanarum non possimus gratiam mereri, aut justificari, quare non est sentiendum, quod hujusmodi observationes sint necessarius cultus.

Addunt testimonia ex Scriptura, Christus Matth. xv. excusat apostolos, qui non servaverant usitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re non illicita sed media esse, et habere cognationem cum baptismatibus legis, et dicit: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Igitur non exigit cultum inutilem. Et paulo post addit: *Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.* Item Rom. xiv. *Regnum Dei non est esca aut potus.* Coloss. ii. *Nemo judicet vos in cibo, potu, sabbato aut die festo.* Item, *Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Ne attingas, ne gustes, ne contrectes.* Actor. xv. ait Petrus: *Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemad-*

modum et illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus sive Mosis, sive aliis. Et 1 Tim. iv. vocat prohibitionem ciborum *doctrinam dæmoniorum*, quia pugnat cum evangelio, talia opera instituere aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic objiciunt adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam et mortificationem carnis, sicut Jovinianus. Verum aliud deprehenditur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria et non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, et crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina aut corporalibus exercitiis et laboribus sic exercere et coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solum paucis et constitutis diebus, sicut Christus præcipit: *Cavete, ne corpora vestra graventur crapula.* Item: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi jejunio et oratione.* Et Paulus ait: *Castigo corpus meum, et redigo in servitutem.* Ubi clare ostendit, se ideo castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium et idoneum ad res spirituales et ad faciendum officium, juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos pleræque traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in ecclesia, ut ordo lectionum in missa et præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non justificet coram Deo, et quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine

scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in oriente alio tempore servaverunt pascha quam Romæ, et cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent orientem schismatis, admoniti sunt ab aliis tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit, dissonantia jejunii, fidei consonantiam non solvit, sicut et Dist. XII. Gregorius papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem ecclesiæ. Et in historia tripartita lib. IX. multa colliguntur exempla dissimilium rituum, et recitantur hæc verba: Mens apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem et pietatem.

VI. *De Votis Monachorum.*

QUID de votis monachorum apud nos doceatur, melius intelligit si quis meminerit, qualis status fuerit monasteriorum, quam multa contra canones in ipsis monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamsi non deessent anni, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in monasteriis virginum, quam monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas et adolescentes in monasteria detrudi propter victum, videbant quam infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientiis injiceret. Dolebant autoritatem canonum in re periculosissima omnino negligi et contemni.

Ad hæc mala accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis monachis, si qui paullo cordatiores fuerunt, docebant vota paria esse baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, et justificationem coram Deo. Imo addebant, vitam monasticam non tantum justitiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia servaret non modo præcepta, sed etiam consilia evangelica.

Ita persuadebant monasticam professionem longe meliorem esse baptismo, vitam monasticam plus mereri, quam vitam magistratuum, vitam pastorum et similium, qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus suæ vocationi serviunt. Nihil horum negari potest; extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in monasteriis? Olim erant scholæ sacrarum literarum, et aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles ecclesiæ, et sumebantur inde pastores, et episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conveniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam et justitiam; imo prædicant esse statum perfectionis, et longe præferunt omnibus aliis vitæ generibus a Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re, doctrina nostrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt; sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei: propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solum, sed etiam creatio et ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud: non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato et ordinationi Dei. Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis

obligationem voti, quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei.

Canones docent, in omni voto jus superioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent.

Quod si obligatio votorum nullas haberet causas cur mutari possit, nec Romani pontifices dispensassent. Neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est juris divini, rescindere. Sed prudenter judicaverunt Romani pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam esse. Ideo sæpe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de rege Arragonum revocato ex monasterio, et extant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adversarii seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte et consulto conceptum. At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte et consulto vovit? puellæ et adolescentes, priusquam judicare possunt, persuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.

Plerique canones rescindunt vota ante annum XV. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum esse judicii, ut de perpetua vita constitui possit. Alius canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum XVIII. votum fieri. Sed utrum sequemur? maxima pars habet excusationem, cur monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt.

Postremo, etiamsi voti violatio reprehendi posset, tamen non videtur statim sequi, quod conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolvi, XXVII. quæst. I. cap.

Nuptiarum, cujus non est levis autoritas, etiamsi alii postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur plerosque liberare a votis, tamen afferunt nostri et aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus et electus ad promerendam justificationem et gratiam, impius est, sicut Christus ait: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et Paulus ubique docet, justitiam non esse quærendam ex nostris observationibus et cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se recipi in gratiam a Deo propter Christum.

Constat autem monachos docuisse, quod factitiæ religiones satisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam et justificationem: quid hoc est aliud, quam de gloria Christi detrahere, et obscurare ac negare justitiam fidei? sequitur igitur, ista vota usitata impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam votum impium, et factum contra mandata Dei, non valet, neque enim debet votum vinculum esse iniquitatis, ut canon dicit.

Paulus dicit: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Ergo etiam, qui votis justificari volunt, evacuantur a Christo, et a gratia excidunt. Nam et hi, qui votis tribuunt justificationem, tribuunt propriis operibus hoc, quod proprie ad gloriam Christi pertinet. Neque vero negari potest, quin monachi docuerint, se per vota et observationes suas justificari et mereri remissionem peccatorum, imo affinxerunt absurdiora, dixerunt se aliis mutuari sua opera. Hæc si quis velit odiose exaggerare, quam multa possit colligere, quorum jam ipsos monachos pudet. Adhæc persuaserunt hominibus, factitias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc justificationem tribuere operibus? Non est leve scandalum in ecclesia populo proponere certum cultum ab ho-

minibus excogitatum sine mandato Dei; et docere, quod talis cultus justificet homines? Quia justitia fidei, quam maxime oportet tradi in ecclesia, obscuratur, cum illæ mirificæ religiones angelorum, simulatio paupertatis et humilitatis, et cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, et verus cultus Dei, cum audiunt homines, solos monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est serio timere Deum, et rursus concipere magnam fidem, et confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere a Deo, et certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, et servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, et verus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut veste sordida. Verum populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falsis præconiis vitæ monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum; ideo cum offensione conscientiæ versatur in conjugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium evangelicum esse de non vindicando, ideo alii in privata vita non verentur ulcisci, audiunt enim consilium esse, non præceptum. Alii omnes magistratus et civilia officia judicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum, qui deserto conjugio, deserta reipublicæ administratione, abdiderunt se in monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, et quærere vitæ genus, quod Deo magis placeret, nec videbant Deo serviendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum et perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem monachorum de perfectione, et testatur suis temporibus novam vocem fuisse, quod vita monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod justificent, quod sint perfectio Christiana, quod servent consilia et præcepta, quod habeant opera supererogationis. Hæc omnia cum sint falsa et inania, faciunt vota irrita.

VII. *De Potestate Ecclesiastica.*

MAGNÆ disputationes fuerunt de potestate episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem ecclesiasticam, et potestatem gladii. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum pontifices freti potestate clavium, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre et imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii et eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen ecclesiasticæ potestatis, et potestatis gladii, et docuerunt utramque propter mandatum Dei religiose venerandam et honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem episcoporum, juxta evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata, et administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit apostolos: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Marc. xvi. *Ite prædicate evangelium omni creaturæ*, etc.

Hæc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando verbum, et porrigendo sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus Sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi et sacramento-

rum, sicut Paulus dicit: *Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Itaque cum potestas ecclesiastica concedat res æternas, et tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quam evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora et res corporales, adversus manifestas injurias, et coercet homines gladio, et corporalibus pœnis, ut justitiam civilem et pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates ecclesiastica et civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet, evangelii docendi et administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Item: *Quis constituit me judicem aut divisorem super vos?* Et Paulus ait Philipp. iii. *Nostra politia in cœlis est.* 2 Corinth. x. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes,* etc. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, et jubent utramque honore afficere et agnoscere, utramque Dei donum et beneficium esse.

Si quam habent episcopi potestatem gladii, hanc non habent episcopi ex mandato evangelii, sed jure humano donatam a regibus et imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quam ministerium evangelii.

Cum igitur de jurisdictione episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit episcopis, ut episcopis, hoc est, his, quibus est com-

missum ministerium verbi et sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, et doctrinam ab evangelio dissentientem rejicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere a communione ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario et de jure divino, debent eis ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud: *Qui vos audit, me audit.*

Verum cum aliquid contra evangelium docent aut statuunt, tunc habent ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. vii. *Cavete a pseudo-prophetis.* Gal. i. *Si angelus de cœlo aliud evangelium evangelizaverit, anathema sit.* 2 Cor. xiii. *Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* Item, *Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem.* Sic et canones præcipiunt, II. q. VII. cap. Sacerdotes, et cap. Oves. Et Augustinus contra Petiliani epistolam inquit: Nec catholicis episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, etc. hanc habent humano jure; ubi cessantibus ordinariis coguntur principes vel inviti, suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc disputatur, utrum episcopi seu pastores habeant jus instituendi ceremonias in ecclesia, et leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus, etc. condendi. Hoc jus qui tribuunt episcopis, allegant testimonium: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Allegant etiam exemplum apostolorum, qui prohibuerunt abstinere a sanguine et suffocato. Allegant sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quam mutatio sab-

bati. Magnam contendunt ecclesiæ potestatem esse, quod dispensaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quod episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra evangelium, ut supra ostensum est. Docent idem canones IX. Distin. Porro contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, ut per eam observationem satisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam et justitiam. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus observationibus conamur mereri justificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in ecclesia pene in infinitum crevisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide et justitia fidei, quia subinde plures feriæ factæ sunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, novi honores sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur se autores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item, autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, et similibus rebus, et onerant ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus apostolis et episcopis; sic enim scribunt quidam. Et videntur pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicæ decepti esse. Hinc sunt illa onera, quod peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in feriis laborare manibus, quod sit peccatum mortale omittere horas canonicas, quod certi cibi polluant conscientiam, quod jejunia sint opera placantia Deum, quod peccatum in casu reservato non possit remitti; nisi accesserit autoritas reservantis, cum quidem ipsi canones non de reservatione culpæ, sed de reservatione pœnæ ecclesiasticæ loquantur.

Unde habent jus episcopi has traditiones imponendi ecclesiis, ad illaqueandas conscientias? Cum Petrus vetet imponere jugum discipulis, cum Paulus

dicat, *potestatem ipsis datam esse ad ædificationem, non ad destructionem.* Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verum extant clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Coloss. ii. *Nemo vos judicet in cibo, potu, parte dici festi, novilunio aut sabbatis.* Item: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes, quæ omnia pereunt usu, et sunt mandata et doctrinæ hominum, quæ habent speciem sapientiæ.* Item, ad Titum aperte prohibet traditiones, *Non attendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium veritatem.* Et Christus Matth. xv. inquit de his, qui exigunt traditiones: *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum.* Et improbat tales cultus: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

Si jus habent episcopi onerandi ecclesias infinitis traditionibus, et illaqueandi conscientias, cur toties prohibet scriptura condere et audire traditiones? cur vocat eas *doctrinas dæmoniorum?* Num frustra hæc præmonuit Spiritus Sanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes institutæ tanquam necessariæ, aut cum opinione promerendæ gratiæ, pugnent cum evangelio, quod non liceat ullis episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necesse est enim in ecclesiis retineri doctrinam, de libertate Christiana; quod non sit necessaria servitus legis ad justificationem, sicut in Galatis scriptum est: *Nolite iterum jugo servitutis subjici.* Necesse est retineri præcipuum evangelii locum, quod gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, et similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent,

quod liceat episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in ecclesia interpretes, etc.

Tales ordinationes convenit ecclesias propter caritatem et tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine et sine tumultu omnia fiant in ecclesiis. Verum ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac judicent se peccare, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis observatio diei Dominici, paschatis, pentecostes, et similium feriarum, et rituum. Nam qui judicant ecclesiæ autoritate, pro sabbato institutam esse diei Dominici observationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura abrogavit sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Mosaicas, post revelatum evangelium omitti posse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianæ libertatis, et scirent, nec sabbati nec alterius diei observationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de ceremoniis novæ legis, de mutatione sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, quod oporteat in ecclesia cultum esse similem Levitico. Et quod Christus commiserit apostolis et episcopis excogitare novas ceremonias, quæ sint ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in ecclesiam, cum justitia fidei non satis clare doceretur. Aliqui

disputant, diei Dominici observationem non quidem juris divini esse, sed quasi juris divini; præscribunt de feriis, quatenus liceat operari. Hujusmodi disputationes quid sunt aliud, nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epiikeizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur justitia fidei, et libertas Christiana.

Apostoli jusserunt abstinere a sanguine, quis nunc observat? neque tamen peccant, qui non observant, quia ne ipsi quidem apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt, propter scandalum. Est enim perpetua voluntas evangelii consideranda in decreto. Vix ulli canones servantur accurate, et multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissime defendunt traditiones. Nec potest conscientiis consuli, nisi hæc æquitas servetur, ut sciamus eos sine opinione necessitatis servari, nec lædi conscientias, etiamsi traditiones exolescant.

Facile autem possent episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare traditiones, quæ bona conscientia servari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, nisi jurent se puram evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt ecclesiæ, ut episcopi honoris sui jactura sarciant concordiam, quod tamen decebat bonos pastores facere. Tantum petunt, ut injusta onera remittant, quæ nova sunt, et præter consuetudinem ecclesiæ catholicæ recepta. Fortassis initio quædam constitutiones habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas esse, quare pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit ecclesiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, ut ostendunt ipsi canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam apostolicam sequi, quæ præcipit, Deo magis obedire, quam

hominibus. Petrus vetat episcopos dominari, et ecclesiis imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur evangelium pure doceri, et relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinacia sua causam schismati præbent.

EPILOGUS.

HI sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile judicari possunt, magnæ quærelæ fuerunt de indulgentiis, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Infinitæ contentiones erant pastoribus cum monachis, de jure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinariis concionibus, et de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia prætermisimus, ut illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breviter proposita, facilius cognosci possent. Neque hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata sunt, quæ videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit in doctrina ac ceremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut Ecclesiam catholicam, quia manifestum est nos diligentissime cavisse, ne qua nova et impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos supra scriptos voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus Confessio nostra extaret, et eorum qui apud nos docent doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, juxta Scripturas exhibere.

Cæsareæ Majest. V.

Fideles et subditi,

Joannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgensis.
Ernestus Dux Luneburgensis.
Philippus Landgravius Hessorum.
Joannes Fridericus Dux Saxoniæ.
Franciscus Dux Luneburgensis.
Wolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratusque Nurnbergensis.
Senatus Reutlingensis.

CONFESSIO AUGUSTANA.

EXCUSA VITEMBERGÆ ANNO MDXL.

PRÆFATIO

AD

CÆSAREM CAROLUM QUINTUM.

INVICTISSIME imperator, Cæsar Auguste, domine clementissime. Cum V. C. M. indixerit conventum imperii Augustæ, ut deliberetur de auxiliis contra Turcam, atrocissimum, hæreditarium, atque veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori et conatibus, durabili et perpetuo belli apparatu, resisti possit: deinde et de dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis et Christianæ fidei; et ut in hac causa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in charitate, lenitate, et mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur et ponderentur, ut illis, quæ utrinque in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis et correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem et Christianam concordiam componantur et reducantur, ut de cætero a nobis una, sincera et vera religio colatur et servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus et militamus, ita in una etiam ecclesia Christiana, in unitate et concordia vivere possimus:

Cumque nos infra scripti, elector et principes, cum aliis qui nobis conjuncti sunt, perinde ut alii electores et principes et status ad præfata comitia evocati simus, ut Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, mature venimus Augustam, et, quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cum igitur V. C. M. electoribus, principibus, et

aliis statibus imperii, etiam hic Augustæ sub ipsa initia horum comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod singuli status imperii, vigore Cæsarei edicti, suam opinionem et sententiam in Germanica et Latina lingua proponere debeant atque offerre: et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est V. C. M. nos proxima feria sexta articulos nostræ confessionis pro nostra parte oblaturos esse: ideo ut V. M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum concionatorum, et nostram confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis, et puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus, et urbibus, tradiderint, ac in ecclesiis tractaverint.

Quod si cæteri, electores, principes, ac status imperii, similibus scriptis Latinis scilicet et Germanicis, juxta prædictam Cæsaream propositionem, suas opiniones in hac causa religionis produxerint, hic nos coram V. C. M. tanquam Domino nostro clementissimo paratos offerimus, nos cum præfatis principibus et amicis nostris, de tolerabilibus modis ac viis amice conferre, ut quantum honeste fieri potest, conveniamus, et re inter nos et partes citra odiosam contentionem, pacifice agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, et ad unam veram concordem religionem reducatur, sicut omnes sub uno Christo sumus et militamus, et unum Christum confiteri debemus, juxta tenorem edicti V. C. M. et omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentissimis votis a Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros electores, principes, et status, ut partem alteram attinet, hæc tractatio causæ religionis, eo modo, quo V. C. M. agendam et tractandam sapienter duxit, scilicet cum tali mutua præsentatione scriptorum, ac sedata collatione inter nos, non processerit, nec aliquo fructu facta fuerit, nos quidem testatum clare relinquimus, hic nihil nos, quod ad Christianam concordiam (quæ cum Deo et bona conscientia fieri possit) concilian-

dam conducere queat, ullo modo detrectare. Quemadmodum et V. C. M. deinde et cæteri electores et status imperii, et omnes, quicunque sincero religionis amore et studio tenentur, quicunque hanc causam æquo animo audituri sunt, ex hac nostra et nostrorum confessione hoc clementer cognoscere et intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. electoribus, principibus, et reliquis statibus imperii non una vice, sed sæpe clementer significaverit, et in comitiis Spirensibus, quæ anno Domini etc. XXVI. habita sunt, ex data et præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis et commissionis recitari, et publice prælegi fecerit, vestram M. in hoc negotio religionis ex causis certis, quæ V. M. nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare, nec concludere posse, sed apud pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando concilio generali; quemadmodum idem latius expositum est ante annum, in publico proximo conventu, qui Spiræ congregatus fuit, ubi V. C. M. per dominum Ferdinandum, Bohemiæ et Ungariæ regem, amicum et dominum nostrum clementem; deinde per oratorem et commissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V. C. M. intellexisset et expendisset locumtenentis in V. C. M. imperio, et præsidentis et consiliariorum in regimine, et legatorum ab aliis statibus, qui Ratisponæ convenerant, deliberationem de concilio congregando; et quod judicaret etiam V. C. M. utile esse, ut congregaretur concilium; et quia causæ, quæ tum tractabantur inter V. C. M. et Rom. pontificem, vicinæ essent concordiæ et Christianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Romanus pontifex adduci posset ad habendum generale concilium: ideo significabat se V. C. M. operam daturam, ut præfatus pontifex maximus una cum V. C. M. tale generale concilium, primo quoque tempore emissis literis publicandum, congregare consentiret.

In eventum ergo talem, quod in causa religionis dissensiones inter nos et partes amice, et in charitate non fuerint compositæ, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros, et causam dicturos in tali generali libero et Christiano concilio, de quo congregando in omnibus comitiis imperialibus, quæ quidem annis imperii V. C. M. habita sunt per electores, principes, et reliquos status imperii, semper concorditer actum, et congruentibus suffragiis conclusum est. Ad cujus etiam generalis concilii conventum, simul et ad V. C. M. in hac longe maxima et gravissima causa, jam ante etiam debito modo et in forma juris provocavimus et appellavimus. Cui appellationi ad V. C. M. simul et concilium adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum (nisi causa inter nos et partes, juxta tenorem Cæsareæ proximæ citationis amice in charitate composita, sedata, et ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus. De quo hic etiam solenniter et publice protestamur.

CONFESSIO FIDEI

EXHIBITA INVICTISS.

IMP. CAROLO V. CÆSARI AUG.

IN COMITIIS AUGUSTÆ,

ANNO MDXXX.

Excusa Wittebergæ, anno 1540.

ARTICULI FIDEI PRÆCIPUI.

I.

ECCLESIÆ magno consensu apud nos docent decretum Nicenæ synodi, de unitate essentiæ divinæ, et de tribus Personis, verum et sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet, quod sit una essentia divina, quæ et appellatur et est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, Creator et Conservator omnium rerum visibilium et invisibilium, et tamen tres sint Personæ, ejusdem essentiæ, et potentiæ, et coæternæ, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, bonum et malum: item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, et omnes horum similes. Damnant et Samosatenos, veteres et neotericos, qui

cum tantum unam Personam esse contendant, de Verbo et de Spiritu Sancto astute et impie rhetoricantur, quod non sint Personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale, et Spiritus motum in rebus creatum.

II.

ITEM docent, quod post lapsum Adæ, omnes homines naturali modo propagati, nascentes habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum originis, quod sic vocant sancti patres, et omnes orthodoxi et pie eruditi in ecclesia, videlicet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum, rei sunt iræ Dei et mortis æternæ, et ipsam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus justitiæ, seu integritatis, seu obedientiæ originalis, et concupiscentiam complectitur.

Estque defectus horribilis cæcitas et inobedientia, scilicet carere illa luce ac notitia Dei, quæ fuerat futura in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc est, perpetua obedientia, vera, pura ac summa dilectione Dei, et similibus donis integræ naturæ. Quare defectus illi et concupiscentia, sunt res damnata, et sua natura digna morte. Estque vitium originis vere peccatum, damnans et afferens nunc quoque æternam mortem, his, qui non renascuntur per baptismum et Spiritum Sanctum.

Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, et sentiunt defectus illos seu concupiscentiam esse res indifferentes seu pœnas tantum, nec esse res sua natura damnatas, et somniant hominem legi Dei satisfacere posse, et propter hanc propriam obedientiam coram Deo justum pronunciari.

III.

ITEM docent, quod Verbum, hoc est Filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ Virginis, ut sint duæ naturæ, divina et humana, in

unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, vere Deus, et vere homo, natus ex Virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus et sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, et hostia esset, non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem descendit ad inferos, et vere resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris, et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu Sancto, et sanctificatis det vitam æternam. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos, et mortuos resuscitatos, juxta symbolum apostolorum.

IV.

UT autem consequamur hæc beneficia Christi, scilicet remissionem peccatorum, justificationem, et vitam æternam, dedit Christus evangelium, in quo hæc beneficia nobis proponuntur, sicut scriptum est Lucæ ultimo, *Prædicari pœnitentiam in nomine ejus, et remissionem peccatorum inter omnes gentes.* Cum enim omnes homines naturali modo propagati habeant peccatum, nec possint vere legi Dei satisfacere, evangelium arguit peccata, et ostendit nobis mediatorem Christum, et sic docet nos de remissione peccatorum.

Cum evangelium arguit peccata nostra, corda perterrefacta statuere debent, quod gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum et justificatio per fidem, qua credere et confiteri debemus, hæc nobis donari propter Christum, qui pro nobis factus est hostia, et placavit Patrem. Quanquam igitur evangelium requirit pœnitentiam, tamen ut remissio peccatorum certa sit, docet eam gratis donari, hoc est, non pendere ex conditione dignitatis nostræ, nec dari propter ulla præcedentia opera, aut dignitatem sequentium, fieret enim incerta remissio, si ita sentiendum esset, tum demum

nobis contingere remissionem peccatorum, postquam eam præcedentibus operibus meriti essemus, aut satis digna esset pœnitentia.

Conscientia enim in veris pavoribus, nullum invenit opus, quod possit opponere iræ Dei, et Christus nobis donatus et propositus est, ut sit propitiator. Hic honos Christi non debet transferri in nostra opera. Ideo Paulus dicit, *Gratis salvati estis.* Item, *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio;* hoc est, ita erit certa remissio, cum sciemus eam non pendere ex conditione nostræ dignitatis, sed donari propter Christum. Hæc est firma et necessaria consolatio piis et perterrefactis mentibus. Atque ita docent et S. Patres. Et extat apud Ambrosium memorabilis et insignis sententia, his verbis: " Hoc " constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum " salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens re- " missionem peccatorum."

Et fidei vocabulum non solum cognitionem historiæ de Christo significat, sed etiam credere et assentiri huic promissioni, quæ est evangelii propria, in qua propter Christum nobis promittuntur remissio peccatorum, justificatio, et vita æterna. Nam et hæc promissio ad historiam de Christo pertinet, sicut et in symbolo additus est historiæ hic articulus, " Credo remissionem peccatorum." Et ad hunc articulum reliqui de historia Christi referri debent. Nam id beneficium est finis historiæ. Ideo Christus passus et resuscitatus est, ut propter ipsum nobis donarentur remissio peccatorum et vita æterna.

V.

ITAQUE instituit Christus ministerium docendi evangelii, quod prædicat pœnitentiam et remissionem peccatorum. Estque utraque prædicatio universalis, omnium peccata arguit, et omnibus credentibus promittit remissionem peccatorum, ut non sit incerta remissio, sed ut omnes perterrefactæ mentes sciant se debere credere, quod certo donetur nobis

remissio peccatorum propter Christum, non propter nostra merita, aut dignitatem. Et cum hoc modo consolamur nos promissione seu evangelio, et erigimus nos fide, certo consequimur remissionem peccatorum, et simul datur nobis Spiritus Sanctus. Nam Spiritus Sanctus datur et est efficax per verbum Dei et per sacramenta. Cum evangelium audimus aut cogitamus, aut sacramenta tractamus, et fide nos consolamur, simul est efficax Spiritus Sanctus, juxta illud Pauli ad Galatas iii. *Ut promissio ex fide Jesu Christi detur credentibus.* Et ad Corinthios, *Evangelium est ministerium Spiritus.* Et ad Roman. *Fides ex auditu est.* Cum igitur fide nos consolamur, et liberamur a terroribus peccati per Spiritum Sanctum, concipiunt corda cæteras virtutes, agnoscunt vere misericordiam Dei, concipiunt veram dilectionem, verum timorem Dei, fiduciam, spem auxilii divini, invocationem, et similes fructus Spiritus.

Damnantur illi qui de hac fide, qua remissio peccatorum accipitur, nihil docent, sed jubent conscientias dubitare, an consequantur remissionem; et addunt hanc dubitationem non esse peccatum. Item, docent homines consequi remissionem peccatorum, propter propriam dignitatem, non docent credendum esse, quod gratis propter Christum remissio peccatorum donetur.

Damnantur item phanatici spiritus, qui fingunt Spiritum Sanctum dari, aut efficacem esse, sine verbo Dei; et ob eam causam contemnunt ministerium evangelii et sacramentorum, et quærunt illuminationes sine verbo Dei et extra evangelium, atque ita abducunt animos a verbo Dei ad proprias opiniones, quod est perniciosissimum. Tales olim fuerunt Manichæi, enthusiastæ, et nunc sunt Anabaptistæ. Hujusmodi furores constanter damnamus, abolent enim verum usum verbi Dei, et falso somniant sine verbo Dei accipi Spiritum Sanctum, et freti suis opinionibus comminiscuntur impia dogmata, et efficiunt infinitam dissipationem.

VI.

ITEM docent, quod cum fide reconciliamur, necessario sequi debeat justitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit, sicut et Christus præcipit: *Si vis in vitam ingredi, serva mandata.* Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, non solum quod obediendum sit, sed etiam quomodo placeat hæc obedientia, ne conscientiæ incidant in desperationem, cum intelligant se non satisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi satisfacit, sed quia persona est in Christo reconciliata fide, et credit sibi reliquias peccati condonari. Semper igitur sentiendum est, nos consequi remissionem peccatorum, et personam pronunciari justam, id est, acceptari gratis propter Christum, per fidem. Postea vero placere etiam obedientiam erga legem et reputari quandam justitiam, et mereri præmia. Non enim potest conscientia opponere judicio Dei propriam munditiem aut opera, sicut Psalmus testatur, *Non intres in judicium cum tuo servo, quia non justificabitur coram te omnis vivens.* Et Joannes ait, *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra.* Et Christus inquit, *Cum feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus.* Postquam autem persona reconciliata et justa fide, id est, accepta est, placet et obedientia et reputatur esse quædam justitia, sicut Joannes inquit, *Omnis qui in eo manet non peccat.* Et 2 Corinth. primo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Ac debet hæc obedientia repugnare pravis cupiditatibus et subinde spiritualibus exercitiis fieri purior, et cavere, ne quid committamus contra conscientiam, juxta illud, *Summa legis est dilectio ex puro corde et conscientia bona, et fide non ficta.* Qui vero obtemperant pravis cupiditatibus, et agunt

contra conscientiam, versantur in peccatis mortalibus, nec fidei justitiam, nec justitiam bonorum operum retinent. Juxta illud Pauli, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebant.*

VII.

ITEM docent, quod una sancta ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem ecclesia Christi proprie congregatio membrorum Christi, hoc est, sanctorum, qui vere credunt et obediunt Christo, etsi in hac vita huic congregationi multi mali et hypocritæ admixti sunt, usque ad novissimum judicium: habet autem ecclesia proprie dicta signa sua, scilicet puram et sanam evangelii doctrinam, et rectum usum sacramentorum. Et ad veram unitatem ecclesiæ satis est consentire de doctrina evangelii, et administratione sacramentorum. Nec necesse est ubique similes esse traditiones humanas, seu ritus ab hominibus institutos. Sicut et Paulus docet, cum ait, *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.*

VIII.

CUM autem in hac vita admixti sint ecclesiæ multi mali et hypocritæ, qui tamen societatem habent externorum signorum cum ecclesia, licet uti sacramentis quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi, *Sedent Scribæ et Pharisæi in cathedra Moysi*, &c. Et sacramenta et verbum Dei propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas et similes, qui negabant licere populo uti ministerio malorum in ecclesia, et sentiebant ministerium malorum inutile et inefficax esse.

IX.

DE baptismo docent, quod necessarius sit ad salu-

tem, tanquam ceremonia a Christo instituta. Et quod per baptismum offeratur gratia Dei: et quod infantes sint baptizandi: et quod infantes per baptismum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei, et fiant filii Dei, sicut Christus testatur, loquens de parvulis in ecclesia, Matth. xviii. *Non est voluntas Patris vestri qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvulis istis.*

Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum infantum, et affirmant infantes sine baptismo et extra ecclesiam Christi salvos fieri.

X.

DE cœna Domini docent, quod cum pane et vino vere exhibeantur corpus et sanguis Christi vescentibus in cœna Domini.

XI.

DE pœnitentia docent, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunque tempore, cum convertuntur. Et quod ecclesia talibus, redeuntibus ad pœnitentiam, impertire absolutionem debeat.

Constat autem pœnitentia, hoc est, conversio impii, proprie his duabus partibus. Altera est contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus et iram Dei agnoscimus, et dolemus nos peccasse, et peccata detestamur ac fugimus. Sicut Joel concionatur, *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum*, &c. Altera pars est fides, quæ concipitur ex evangelio seu absolutione, et credit propter Christum certo remitti peccata et consolatur conscientiam, et ex terroribus liberat; de qua fide Paulus loquitur, cum ait, *Justificati fide pacem habemus.* Deinde sequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc est, obedientia erga Deum, juxta illud; *Debitores sumus non carni, ut secundum*

carnem vivamus: si enim secundum carnem vivetis, moriemini: sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis.

Damnant Novatianos, qui nolebant absolvere eos, qui lapsi post baptismum, redibant ad pœnitentiam.

Damnant et illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere, sed contendunt remissionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, et jubent dubitare conscientias in pœnitentia, an consequantur remissionem, et affirmant hanc dubitationem non esse peccatum.

Damnant et istos, qui canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas aut pœnas purgatorii, etsi fatemur bonis operibus mitigari præsentes calamitates, sicut Esaias docet, cap. lviii. *Frange esurienti panem tuum*, &c. *Et requiem tibi dabit Dominus semper.* Rejiciunt et indulgentias, qui sunt condonationes commentitiarum satisfactionum.

Damnant et Anabaptistas, qui negant semel justificatos iterum posse amittere Spiritum Sanctum. Damnant et illos, qui contendunt aliquibus tantam perfectionem in hac vita contingere, ut ne quidem possint iterum peccare.

XII.

DE confessione peccatorum docent, quod absolutio privata in ecclesiis retinenda sit, quamquam in confessione non sit necessaria delictorum enumeratio. Est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, juxta illud, *Delicta quis intelligit?*

XIII.

DE usu sacramentorum docent, sacramenta instituta esse, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed multo magis, ut sint signa et testi-

monia voluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam et confirmandam fidem in his qui utuntur eis. Itaque utendum est sacramentis ita, ut accedat fides quæ credat promissionibus, quæ per sacramenta exhibentur et ostenduntur. Hac fide accipimus promissam gratiam, quam sacramenta significant, et Spiritum Sanctum.

Damnant igitur Pharisaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in usu sacramentorum requiri, quæ credat propter Christum nobis gratiam dari. Sed fingit homines justos esse propter usum sacramentorum ex opere operato, et quidem sine bono motu utentium.

XIV.

DE ordine ecclesiastico docent, quod nemo debeat in ecclesia publice docere, aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus, sicut et Paulus præcipit Tito, ut in civitatibus presbyteros constituat.

XV.

DE ritibus ecclesiasticis, qui sunt humana autoritate instituti, docent, ritus illos servandos esse, qui sine peccato servari possunt, et ad tranquillitatem et bonum ordinem in ecclesia conducunt; ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ, et alii similes ritus.

Sed de hoc ipso genere docent, non esse onerandas conscientias superstitiosis opinionibus, hoc est, non est sentiendum, ordinationes illas humanas esse justitiam coram Deo, aut mereri remissionem peccatorum, aut cultus necessarios esse ad justitiam evangelii. Sed sentiendum est, quod sint res adiaphoræ, quæ extra casum scandali omitti possint, sed illi peccant, qui cum scandalo eas violant, ut qui suarum ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant.

Rejiciuntur igitur traditiones, quæ sine peccato non possunt observari, ut traditio de cœlibatu. Rejicitur et impia opinio de traditionibus et votis, in qua fingitur, cultus humana autoritate excogitatos

mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones pro peccatis, &c. Cujusmodi falsæ persuasiones de votis, de certis jejuniis, &c. in ecclesia ab indoctis sparsæ sunt.

XVI.

DE rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera et ordinationes Dei, sicut Paulus testatur: *Quæ sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt.* Docent igitur, quod Christianis liceat magistratus gerere, exercere judicia, judicare res ex imperatoriis et aliis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus magistratibus dare, contrahere legitima conjugia, artes probatas legibus exercere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis.

Damnant et illos, qui evangelicam perfectionem collocarunt in desertione civilium officiorum, cum evangelica perfectio sit spiritualis, hoc est, consistat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientia. Evangelium enim concionatur de quadam æterna justitia cordis, nec abolet interim politiam aut œconomiam, sed maxime postulat eas in hac vita corporali conservari, tanquam ordinationes Dei, et in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque Christiani necessario debent obedire præsentibus magistratibus ac legibus, nisi cum jubent peccare, *Tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus,* Actorum iv.

XVII.

ITEM docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum, et mortuos omnes resuscitabit, et hominibus piis dabit vitam æternam et gaudia perpetua. Impios autem homines et diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnamus Anabaptistas, qui nunc Judaicas opin-

iones spargunt, fingunt ante resurrectionem pios regna mundi occupaturos esse, ubique deletis aut oppressis impiis. Scimus enim quod pii debeant obedire præsentibus magistratibus, non eripere eis imperia, non dissipare politias per seditionem, quia Paulus præcipit, *Omnis anima magistratui suo subdita sit.* Scimus item, quod ecclesia in hac vita subjecta sit cruci, et primum post hanc vitam glorificabitur: sicut Paulus inquit, *Oportet nos similes fieri imaginis filii Dei.* Quare Anabaptistarum amentiam et diabolicum furorem prorsus damnamus et execramur.

Damnamus et Origenistas, qui finxerunt diabolis et damnatis finem pœnarum futurum esse.

XVIII.

DE libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et diligendas res rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendæ justitiæ spiritualis: quia Paulus dicit, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei:* et Christus dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Efficitur autem spiritualis justitia in nobis, cum adjuvamur a Spiritu Sancto. Porro Spiritum Sanctum concipimus, cum verbo Dei assentimur, ut nos fide in terroribus consolemur: sicut Paulus docet cum ait, *Ut promissionem Spiritus accipiatis per fidem.* Hæc totidem verbis dicit Augustinus libro tertio Hypognosticon.

" Esse fatemur liberum arbitrium omnibus homi-
" nibus, habens quidem judicium rationis, non per
" quod sit idoneum in iis quæ ad Deum pertinent
" sine Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tan-
" tum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam
" malis: bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur,
" id est, velle laborare in agro; velle manducare et
" bibere; velle habere amicum; velle habere indu-
" menta; velle fabricare domum; uxorem velle du-

" cere; pecora nutrire; artem discere diversarum re-
" rum bonarum; velle quicquid bonum ad præsen-
" tem pertinet vitam, quæ omnia non sine divina
" gubernatione subsistunt, imo ex Deo et per ipsum
" sunt et esse ceperunt. Malis vero dico, ut est,
" velle idolum colere: velle homicidium," &c. Hæc Augustini sententia præclare docet, quid libero arbitrio tribuendum sit, et diserte discernit civilem disciplinam seu exercitia rationis humanæ, a spiritualibus motibus, vero timore, patientia, constantia, fide, invocatione, in asperrimis tentationibus inter insidias Diaboli, in terroribus peccati. In his certe opus est, regi nos et juvari a Spiritu Sancto, sicut Paulus inquit, *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.*

Damnamus Pelagianos et similes, qui docent, quod sine Spiritu Sancto, solis naturæ viribus, possimus Deum super omnia diligere, legem Dei facere, quoad substantiam actuum. Hæc somnia ingenue et necessario reprehendimus, obscurant enim beneficia Christi. Nam ideo proponitur in evangelio mediator Christus, et promittitur misericordia, quia humana natura non potest satisfacere legi, sicut Paulus testatur, cum ait Rom. viii. *Sensus carnis inimicitia est adversus Deum; legi enim Dei non est subditus, ac ne potest quidem subjici.* Quanquam enim externa opera aliquo modo potest efficere humana natura per sese, potest enim continere manus a furto, a cæde, tamen interiores motus, ut, verum timorem, fiduciam, patientiam, castitatem, non potest efficere, nisi Spiritus Sanctus gubernet et adjuvet corda nostra. Et tamen in hoc loco illud etiam docemus, Dei mandatum esse, ut etiam carnales coerceantur diligentia rationis et illa civili disciplina, sicut Paulus inquit, *Lex est pædagogus in Christum.* Item, *Lex est injustis posita.*

XIX.

DE causa peccati docent, quod tametsi Deus creat

et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli et impiorum hominum, quæ avertit se a Deo ad alias res, contra mandata Dei. Ideo Christus inquit de Diabolo, *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.*

XX.

QUOD adversarii criminantur nos, negligi a nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est. Extant enim libri nostrorum, in quibus pie et utiliter docent de bonis operibus, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. Cumque in ecclesiis magnum olim fuerit silentium de præcipuis operibus, scilicet de exercitiis fidei, et de laude politicorum operum, et magna ex parte consumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in feriis, jejuniis, monachatu, fraternitatibus, peregrinationibus, cultu sanctorum, rosariis, et aliis inutilibus cultibus ornandis: nunc Dei beneficio revocatur ecclesia ad veros et utiles cultus, quos Deus probat et requirit. Prophetæ gravissimis concionibus deplorant hanc ecclesiæ calamitatem, quod veris cultibus extinctis, in ecclesia regnaturæ sint humanæ ceremoniæ et impia fiducia ceremoniarum. Et ab hoc errore revocant ecclesiam ad veros cultus, ad vere bona opera. Quid potest dici gravius concione illa Psalmi xlix. *Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.* Hic Deus universo generi humano concionatur, damnat ceremoniarum fiduciam, et alios cultus proponit, et significat se valde irasci his, qui in ecclesia ita prædicant ceremonias, ut veros cultus obruant. Similes extant multæ conciones in prophetis, ut Esaiæ lviii. et Zachariæ vii. et Micheæ vi. Et Oseas clamitat, *Misericordiam volo, non sacrificium; et notitiam Dei plus quam holocausta.* Nec obscurum est, multos bonos et doctos viros etiam ante hanc ætatem desiderasse doctrinam de consolatione conscientiarum et de operum discrimine meliorem. Debet enim in

ecclesia extare utraque doctrina, videlicet evangelium de fide, ad erudiendas et consolandas conscientias, debet etiam proponi, quæ sint vere bona opera, qui sint veri cultus Dei. Sed adversarii, quia corrumpunt doctrinam de fide, primum non possunt conscientiis firmam consolationem proponere: jubent enim dubitare de remissione peccatorum, et tamen postea jubent quærere remissionem per propria opera, affingunt monachatus, et alia opera. Deinde abolent et veros cultus, nam invocatio et cætera spiritualia exercitia excutiuntur animis non confirmatis fiducia Christi. Præterea nec placent Deo opera secundæ tabulæ, nisi fides accedat, quod propter Christum placeat hæc inchoata et imperfecta obedientia. Tertio, obscurant opera a Deo mandata, et longe anteferunt humanas traditiones. Has ornant speciosissimis titulis; vocant eas evangelicam perfectionem. Interim de officiis vocationis, magistratu, conjugio, ita frigide docuerunt, ut multi graves viri dubitaverint, an hæc vitæ genera placerent Deo. Itaque concionatores nostri, bono studio, utrumque doctrinæ genus illustraverunt. Proponunt evangelium de fide, et addunt piam doctrinam de operibus.

DE FIDE.

PRIMUM igitur de fide et justificatione sic docent, Christus apte complexus est summum evangelii, cum Lucæ ultimo, jubet prædicari in nomine suo pœnitentiam et remissionem peccatorum. Nam evangelium arguit peccata, et requirit pœnitentiam, et simul offert remissionem peccatorum propter Christum, gratis, non propter nostram dignitatem. Et sicut universalis est pœnitentiæ prædicatio, ita et promissio gratiæ universalis est, et omnes credere jubet et accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit, *Venite ad me omnes qui onerati estis.* Et

Paulus ait, *Dives est in omnes*, &c. Quamquam igitur contritio aliqua, seu pœnitentia, necessaria est, tamen sentiendum est donari nobis remissionem peccatorum, et fieri nos ex injustis justos, id est, reconciliatos seu acceptos et filios Dei, gratis, propter Christum, non propter dignitatem contritionis, aut aliorum operum præcedentium aut sequentium. Sed fide hoc beneficium accipiendum est, qua credere nos oportet, quod propter Christum nobis donentur remissio peccatorum et justificatio. Hæc sententia firmam consolationem perterrefactis mentibus affert. Et quam necessaria sit ecclesiæ, peritæ conscientiæ facile judicare possunt. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil sophisticum. Non est hic opus disputationibus de prædestinatione aut similibus. Nam promissio est universalis, et nihil detrahit operibus, imo exsuscitat ad fidem, et vere bona opera. Nam remissio peccatorum transfertur a nostris operibus ad misericordiam, ut sit beneficium certum, non ut nos nihil agamus, sed multo magis, ut sciamus, quomodo placeat Deo nostra obedientia in tanta infirmitate nostra. Hanc sententiam, qua et illustratur honos Christi, et piis mentibus consolatio dulcissima et firmissima proponitur, quæ veram misericordiæ divinæ cognitionem continet, et veros cultus, et æternam vitam parit, aspernari ac damnare plusquam Pharisaica cœcitas est. Olim cum hæc consolatio non proponeretur, multæ pavidæ conscientiæ mederi sibi conabantur operibus, alii confugiebant ad monasticam vitam, alii alia opera eligebant, quibus mererentur remissionem peccatorum et justificationem. Sed nulla est firma consolatio præter hanc doctrinam evangelii, quæ jubet credere, quod gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum et justificatio. Estque hæc tota doctrina comparata ad verum illud certamen perterrefactæ conscientiæ.

Sed addemus aliquot testimonia: Paulus Rom. iii. *Justificamur gratis ipsius gratia, per redemp-*

tionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine suo.

Roman. iv. *Ei autem qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.*

Ephes. ii. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* In his sententiis, et similibus, diserte docet Paulus, gratis nobis donari remissionem peccatorum et justificationem, non propter nostrorum operum dignitatem. Et in capite quarto ad Romanos copiose disputat, quare hac consolatione nobis opus sit. Si enim promissio penderet ex dignitate nostrorum operum, fieret incerta. Ut igitur adversus terrores peccati et mortis, habeamus certam et firmam consolationem, et fides consistere possit, necesse est eam sola misericordia niti, et non nostra dignitate. Propterea Paulus inquit, *Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio.* Neque enim opponi judicio Dei possunt opera nostra, juxta illud, *Si iniquitates observaveris, quis sustinebit?* Ideoque Mediator nobis donatus est Christus, nec transferendus est ejus honos in nostra opera.

Cum igitur dicimus, *Fide justificamur*, non hoc intelligimus, quod justi simus propter ipsius virtutis dignitatem. Sed hæc est sententia, consequi nos remissionem peccatorum et imputationem justitiæ per misericordiam propter Christum. Verum hæc misericordia non potest accipi nisi fide, et fides hic non tantum historiæ notitiam significat, sed significat credere promissioni misericordiæ quæ nobis propter mediatorem Christum contingit. Et cum hoc modo fides intelligitur de fiducia misericordiæ, non dissentiunt inter se Jacobus et Paulus. Quod enim inquit Jacobus, *Dæmones credunt et contremiscunt*, intelligit fidem de notitia historiæ, hæc non justificat. Norunt enim historiam etiam impii ac diaboli. Paulus vero, cum inquit, *Fides reputatur ad justitiam*, &c. loquitur de fiducia misericordiæ

promissæ propter Christum, estque sententia, homines justos pronunciari, id est, reconciliari, per misericordiam, non propter dignitatem propriam, sed hanc misericordiam promissam propter Christum oportet fide accipi. Jam bonas mentes nihil offendet novitas hujus Paulinæ figuræ, *Fide justificamur*, si intelligant proprie de misericordia dici, eamque veris et necessariis laudibus ornari. Quid potest enim esse gratius conscientiæ afflictæ ac pavidæ in veris doloribus, quam audire, hoc esse mandatum Dei, hanc esse vocem sponsi Christi, ut statuant certo donari remissionem peccatorum seu reconciliationem, non propter nostram dignitatem, sed gratis per misericordiam, propter Christum, ut beneficium sit certum. Significat autem justificatio in his Pauli sententiis remissionem peccatorum, seu reconciliationem, seu imputationem justitiæ, hoc est, acceptationem personæ.

Nec afferimus novum dogma in ecclesiam. Nam hanc de fide doctrinam scriptura copiose tradit, et Paulus hunc locum præcipue tractat in aliquot Epistolis. Et docent idem SS. Patres. Sic enim inquit Ambrosius de vocatione gentium, "Vilesceret "redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei "humanorum operum prærogativa succumberet, si "justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis." Et multæ sunt integræ hac de re apud Augustinum disputationes; hujus hæc sunt verba: "Quandoquidem per legem ostendit "homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens sanaretur, dictum est "enim quod legem et misericordiam in lingua portet, legem scilicet, qua reos faciat superbos, misericordiam vero, qua justificet humiliatos. Justitia ergo Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui "credunt," &c.

Et synodus Milevitana scribit, "Nonne satis ostenditur hoc actum esse per legem, ut peccatum

" cognosceretur, et sic adversus victoriam peccati ad
" divinam gratiam, quæ in promissionibus proposita
" est, confugeretur, ut ad liberationem quærerentur
" promissiones Dei, hoc est, gratia Dei, et incipiat
" esse in homine justitia, non sua, sed Dei?"

De Bonis Operibus.

CUM necessariam de fide doctrinam et consolationem ecclesiis proponimus, additur et doctrina de bonis operibus. Quod videlicet necessaria sit in reconciliatis obedientia erga legem Dei. Nam evangelium concionatur de nova vita, juxta illud, *Dabo legem meam in cordibus eorum.* Hæc igitur nova vita debet esse obedientia erga Deum. Et evangelium prædicat pœnitentiam, nec existere fides potest, nisi in his qui pœnitentiam agunt, quia fides consolatur corda in contritione et terroribus peccati, sicut Paulus docet, *Justificati fide pacem habemus;* et de pœnitentia dicit, Rom. vi. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne peccato deinceps serviamus.* Et Esaias inquit, *Ubi habitabit Dominus? In Spiritu contrito et humiliato,* &c.

Secundo, Inter bona opera, præcipuum est et summus cultus Dei fides ipsa, et parit multas alias virtutes, quæ existere non possunt, nisi prius corda fidem conceperint; Paulus enim dicit, *Quomodo invocabunt, nisi crediderint?* Donec animi dubitant, an a Deo exaudiantur, donec sentiunt se a Deo rejici, non vere invocant Deum. Sed cum fide agnoscimus misericordiam, confugimus ad Deum, diligimus, invocamus, speramus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia jam scimus nos esse filios, et placere Deo nostrum sacrificium, nostras afflictiones. Hos cultus parit fides. Præclare igitur inquit Ambrosius, " Fides bonæ voluntatis et

"justæ actionis genitrix est." Adversarii videri volunt magnifice ornare doctrinam bonorum operum. Et tamen de his spiritualibus operibus, de fide, de exercitiis fidei in invocatione, in omnibus vitæ negotiis, consiliis et periculis, nihil dicunt: ac ne potest quidem recte dici de his exercitiis, si conscientiæ relinquantur in dubitatione, si nesciant Deum requirere fidem, tanquam præcipuum cultum; et cum offunditur oculis illa ingens species externorum operum, mentes, præsertim non satis institutæ, abducuntur a conspectu horum exercitiorum interiorum. Necesse est autem in ecclesia de his interioribus operibus, et fructibus spiritus, doceri homines. Nam hæc opera discrimen faciunt inter pios et hypocritas. Externos cultus, externas ceremonias, et alia externa opera præstare etiam hypocritæ possunt. At hi cultus tantum sunt veræ ecclesiæ, vera pœnitentia, timor, fides, invocatio, &c. Hi cultus præcipue requiruntur et laudantur in Scripturis, ut Psalmo xlix. *Immola Deo sacrificium laudis; invoca me in die tribulationis*, &c.

Tertio, Et hac fide, quæ consolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum Sanctum, qui datur, ut gubernet et adjuvet nos, ut peccato et Diabolo resistamus, et magis magisque agnoscamus infirmitatem nostram, et in nobis crescant agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum et nova vita crescere, sicut Paulus docet, *renovari nos debere ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis nova lux et imago ejus qui condidit nos*, &c.

Quarto, Docemus etiam quando hæc inchoata obedientia placeat Deo. Nam in hac tanta infirmitate et immunditie naturæ, sancti non satisfaciunt legi, opus igitur est piis consolatione, ut sciant quomodo hæc exigua et imperfecta obedientia Deo placeat. Non enim ideo placet, quia legi satisfaciat, sed quia personæ reconciliatæ et justæ sunt propter Christum, et credunt sibi condonari imbecillitatem suam. Sic Paulus docet, *Nulla nunc est condem-*

natio his, qui sunt in Christo, &c. Quanquam igitur hæc nova obedientia procul abest a perfectione legis, tamen est justitia, et meretur præmia, ideo quia personæ reconciliatæ sunt. Atque ita de operibus judicandum est, quæ quidem amplissimis laudibus ornanda sunt, quod sint necessaria, quod sint cultus Dei et sacrificia spiritualia et mereantur præmia. Sed tamen de persona prius tenenda est hæc consolatio necessaria in certamine conscientiæ, quod fide gratis habeamus remissionem peccatorum, et persona justa, id est, reconciliata sit, et hæres vitæ æternæ, propter Christum, postea vero placere obedientiam, juxta illud, *Nunc non estis sub lege, sed sub gratia.* Non enim possunt opponi iræ ac judicio Dei nostra opera, sed terrores peccati et mortis vincendi sunt fiducia Mediatoris Christi, sicut scriptum est, *O mors, ero mors tua.* Et Johan. vi. ait Christus, *Hæc est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.* Et Paulus, *Justificati fide pacem habemus.* Et Ecclesia semper orat, *Dimitte nobis debita nostra,* atque ita de imbecillitate sanctorum, et de fide docent et ipsi SS. patres; Augustinus in enarratione Psalmi xxx. inquit, " *In tua justitia me* " *erue.* Est enim justitia Dei, quæ et nostra fit, " cum donatur nobis. Ideo autem Dei justitia dici- " tur, ne homo sese putet a seipso habere justitiam, " sic enim dicit apostolus Paulus, *Credenti in eum* " *qui justificat impium, id est, qui ex impio facit* " *justum.* Si agat tanquam ex regula legis pro- " posita, damnandus est peccator. Hac regula si " ageret, quem liberaret? omnes enim peccatores " invenit. Hoc ait Apostolus, *Omnes peccaverunt* " *et egent gloria Dei.* Quid est, *egent gloria Dei?* " ut ipse liberet, non tu, quia tu te non potes libe- " rare, indiges liberatore. Quid est quod te jactas? " quid est quod de lege et justitia præsumis? Non " vides quid intus tecum pugnet? non audis decer- " tantem, et confitentem, et adjutorium in pugna

" desiderantem, *Miser ego homo*, &c?" Facile autem judicari potest necessariam esse ecclesiæ hanc doctrinam, ut sciant homines se non satisfacere legi, et tamen habeant consolationem, quomodo hæc imperfecta obedientia placeat. Hanc doctrinam horribiliter obruerunt olim quædam absurdæ persuasiones, in quibus indocti contra autoritatem Scripturæ et veteris ecclesiæ finxerunt homines legi Dei satisfacere; item, justos esse propter legis impletionem, &c. et monachos perfectos esse, et ampliora, et præstantiora opera præstare, quam lex Dei flagitat. Interim altissimum silentium erat, quomodo fide apprehendendus sit Mediator Christus; sed jubebant dubitare, aut confidere propriis operibus.

Cæterum de hac obedientia etiam docemus, eos qui admittunt peccata mortalia, non esse justos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus. Qui autem non repugnant, sed obtemperant eis contra mandatum Dei, et admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt injusti, et neque Spiritum Sanctum, neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ, retinent. Nam in his qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, ne potest quidem fiducia exsistere, quæ quærat remissionem peccatorum.

Quinto, Necesse est hoc quoque docere, quomodo facere homines bona opera possint. Modo dictum est, quomodo placeant Deo, hic addimus etiam quomodo fieri possint; etsi enim homines suis viribus externa honesta opera utcunque efficere possunt, et hanc disciplinam debent præstare, tamen homines sine fide sunt in potestate Diaboli, qui impellit eos ad manifestam turpitudinem, occupat animos eorum impiis et blasphemis opinionibus, id enim est regnum et tyrannis Diaboli. Ad hæc, natura per sese infirma est, et non potest sine auxilio Dei se erigere, et spiritualia opera efficere. Ideo docentur homines, in evangelio promitti Spiritum Sanctum, qui animos eorum, qui agunt pœnitentiam et evangelio assen-

tiuntur, adjuvet et gubernet. Quare in omni vita, in tanta infirmitate naturæ, inter has Diaboli insidias, in omnibus periculis exercenda est fides in invocatione, ut perseverare in fide et obedientia erga Deum possimus. Itaque Zacharias inquit, *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum.* Ideo enim vocat *spiritum gratiæ*, quod Spiritus Sanctus erigat et consoletur perterrefactas mentes, et testetur nos habere Deum placatum. Et vocat *spiritum precum*, ut fidem assidue in invocatione exerceamus, ut per hæc exercitia confirmetur fides, et crescat nova vita.

Et veræ virtutes sine ulla dubitatione sunt dona Dei, fides, perspicacia judicii in discernendis dogmatibus, magnitudo animi qualem esse necesse est in his, qui evangelium docent et confitentur, vera diligentia in regendis ecclesiis, vera humilitas non appetere potentiam, non frangi populari favore aut odio, vera castitas, &c. Has heroicas virtutes Paulus vocat dona Dei, Roman. xii. *Habentes dissimilia dona secundum gratiam nobis datam.* Et de his inquit ad Corinthios, *Hæc efficit unus et idem Spiritus, distribuens singulis*, &c. Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio nostra, quæ et conservat ea et meretur incrementum, juxta illud, *Habenti dabitur.* Et Augustinus præclare dixit, " Dilectio " meretur incrementum dilectionis, cum videlicet " exercetur." Habent enim bona opera præmia, cum in hac vita, tum post hanc vitam in vita æterna. Quia enim ecclesia in hac vita subjecta est cruci et morti corporali, differuntur præmia pleraque ad futuram vitam, quæ etiamsi per misericordiam certo propter Christum contingit his qui fiducia Christi justificati sunt, tamen etiam est compensatio bonorum operum, juxta illud, *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

Ex his satis liquet, doctrinam bonorum operum Dei beneficio, pie et recte doceri in nostris ecclesiis.

Quanta fuerit olim obscuritas, quanta confusio doctrinæ de bonis operibus, bonæ mentes satis norunt. Nemo monebat de discrimine humanarum traditionum et legis divinæ. Nemo docebat, quomodo placerent bona opera, in tanta nostra infirmitate. Denique altissimum silentium erat de fide, qua opus est in remissione peccatorum. At explicatis nunc his rebus, tenent piæ conscientiæ consolationem et certam spem salutis, et intelligunt veros cultus, et norunt quomodo placeant Deo, et quomodo sint meritorii.

XXI.

INVOCATIO est honos qui tantum Deo omnipotenti præstandus est, videlicet, Patri æterno, et Filio ac Servatori nostro Jesu Christo, et Spiritui Sancto. Ac proposuit nobis Deus Filium suum Jesum Christum Mediatorem et Pontificem interpellantem pro nobis. Propter hunc solum testatur nostras preces audiri et accipi, juxta illud, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item, *Unus est Mediator Dei et hominum.* Ergo invocantes Deum, offerant suas preces per Filium Dei, sicut in fine precum in ecclesia dici solet, *Per Jesum Christum*, &c. Hæc de invocatione doceri necesse est, sicut alias copiosius de invocatione nostri scripserunt. E contra vero taxanda, et ex ecclesia prorsus ejicienda est consuetudo invocandi sanctos homines, qui ex hac vita decesserunt, quia hic mos gloriam soli Deo debitam transfert ad homines, tribuit mortuis omnipotentiam, quod sancti aspiciant motus cordium, tribuit item mortuis officium Mediatoris Christi, et haud dubie obscurat gloriam Christi. Ideo totum morem invocandi sanctos homines qui ex hac vita discesserunt, damnamus et fugiendum esse censemus. Sed illud prodest recitare veras historias piorum, quia exempla utiliter docent si recte proponantur. Cum audimus Davidi condonatum esse lapsum, confirmatur fides in nobis quoque.

Constantia martyrum veterum nunc quoque confirmat animos piorum. Ad hanc utilitatem recitare historias utile est, sed tamen prudentia in accommodandis exemplis opus est.

Hæc summa est doctrinæ quæ in ecclesiis nostris traditur. Et consentaneam esse judicamus et propheticæ ac apostolicæ scripturæ, et catholicæ ecclesiæ; postremo etiam Romanæ ecclesiæ, quatenus ex probatis scriptoribus nota est. Atque idem judicaturos esse speramus omnes bonos et doctos viros. Non enim aspernamur consensum catholicæ ecclesiæ, nec est animus nobis ullum novum dogma et ignotum sanctæ ecclesiæ invehere in ecclesiam. Nec patrocinari impiis aut seditiosis opinionibus volumus, quas catholica ecclesia damnavit. Non enim adducti prava cupiditate, sed coacti autoritate verbi Dei et veteris ecclesiæ, amplexi sumus hanc doctrinam, ut gloria Dei fieret illustrior, et consuleretur piis mentibus in universa ecclesia. Constat enim plerosque abusus irrepsisse in ecclesiam, qui emendatione opus habent. Et cum propter gloriam Christi, tum propter salutem omnium gentium maxime optamus, ut diligenter cognitis his controversiis ecclesia repurgetur, et ab iis abusibus liberetur, qui dissimulari non possunt, quam ob causam diu jam omnes boni viri in omnibus nationibus expetunt synodum, cujus quidem spem aliquam clementiss. imperator omnibus gentibus ostendit. Faciet igitur imperator rem dignissimam sua magnitudine et fœlicitate, et exoptatam universæ ecclesiæ, si in synodo permiserit judicium de tantis rebus, non illis qui privatos affectus in consilium adhibent, sed delectis piis et doctis viris, qui gloriæ Christi, et saluti universæ ecclesiæ consulere cupiant. Hæc est usitata et legitima via in ecclesia dirimendi dissensiones, videlicet ad synodos referre controversias ecclesiasticas.

Hunc morem servavit Ecclesia inde usque ab apostolis. Et præstantissimi imperatores Constan-

tinus ac Theodosius, etiam in rebus non valde obscuris, et dogmatibus absurdis, tamen sine synodo nihil constituere voluerunt, ut ecclesiæ libertatem in judiciis dogmatum conservarent. Et honestissimum est Cæsari illorum optimorum principum exemplum imitari, præsertim cum nos nihil mutaverimus, sine exemplo veteris ecclesiæ. Et speramus hanc tantam fœlicitatem imperatori divinitus datam esse, ad ecclesiæ emendationem ac salutem. Certe hanc gratiam Deus ab ipso reposcit, ut potentiam suam conferat ad ornandam Christi gloriam, ad ecclesiæ pacem, ad prohibendam immanem et injustissimam crudelitatem, quæ mira quadam rabie passim exercetur in membra Christi, in homines pios et innocentes. Harum maximarum rerum curam mandavit Deus summis principibus. Ideo excitat monarchas, ut injusta imperia prohibeant, quemadmodum excitavit Cyrum, ut liberaret a captivitate populum Judæorum, Constantinum, ut illam infinitam sævitiam, quæ tunc in Christianos exercebatur, depelleret. Ita optamus ut Cæsar et curam emendandæ ecclesiæ suscipiat, et injustam crudelitatem prohibeat.

Nam articuli nostri, quos recensuimus, satis clare testantur, nos nullum dogma contra catholicam ecclesiam, nullam impiam aut seditiosam opinionem docere aut probare. Imo quosdam insignes articulos Christianæ doctrinæ a nostris pie et utiliter illustratos esse. In externis traditionibus abusus quidam mutati sunt, quarum etiam si qua est dissimilitudo, si tamen doctrina et fides pura sit, nemo propter illam traditionum humanarum dissimilitudinem habendus est hæreticus, aut desertor catholicæ ecclesiæ. Nam unitas catholicæ ecclesiæ consistit in doctrinæ et fidei consensu, non in traditionibus humanis, quarum semper in ecclesiis per totum orbem magna fuit dissimilitudo. Nec vero fidem habeat Cæsarea majestas his, qui, ut odia contra nos inflamment, miras calumnias spargunt; prædicant

omnes ceremonias, omnes bonos mores in ecclesiis deleri a nobis. Hæc crimina aperte falsa sunt. Nos enim et ceremonias divinitus institutas summa pietate conservamus, et ut earum reverentiam augeremus, tantum novos quosdam abusus sustulimus, qui contra scripturam, contra veteres canones, contra veteris ecclesiæ exempla, sine ulla certa autoritate vitio temporum recepti sunt. Ac magna ex parte veteres ritus diligenter apud nos servantur. Quare rogamus, ut Cæsarea majestas clementer audiat, quid in externis ritibus servetur, quid qua de causa mutatum sit.

ARTICULI DE ABUSIBUS

QUI IN EXTERNIS RITIBUS MUTATI SUNT.

De Missa.

FALSO accusantur ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos, et summa reverentia celebratur; servantur et usitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Ideo enim opus est ceremoniis, ut doceant imperitos, et tractatio verbi Dei excitet aliquos ad verum timorem, et fidem, et invocationem. Et non solum Paulus præcepit uti lingua intellecta populo, sed etiam ita constitutum est humano jure. Adsuefit populus, ut una utantur sacramento, siqui sunt idonei. Id quoque auget reverentiam et religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi prius explorati. Admonentur etiam homines de dignitate et usu sacramenti, quantam consolationem proponat his qui agunt pœnitentiam, ut discant homines et timere Deum, et credere, et exerceant invocationem, petant et expectent bona a Deo. Hi

sunt veri cultus Christianorum. Hos cultus, timorem, fidem, invocationem, spem, &c. probat Deus. Itaque cum hi cultus exercentur in usu ceremoniarum, placet Deo sacramenti usus. Cum igitur et ad ceremoniam assuefiat populus, et de usu admoneatur, fiunt missæ apud nos rite et pie, et geruntur omnia in ecclesia majore cum gravitate et reverentia, quam olim.

Constat autem multis seculis publicam fuisse querelam bonorum virorum, de missarum abusu ac prophanatione. Non enim obscurum est, quam late pateat hic abusus, in omnibus templis, a qualibus celebrentur missæ, contra canonum interdictum. Deinde quam turpiter ad sacrilegum questum conferantur. Plurimi enim celebrant missas, et sine pœnitentia, et tantum ventris causa. Hæc notiora sunt, quam ut dissimulari possint. Nec videtur unquam ulla res divina ab initio mundi adeo vulgo ad quæstum collata esse, sicut missa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indigne tractant sacramentum, cum ait, *Qui indigne ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sanguinis Domini.* Et in Decalogo scriptum est, *Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.* Ut igitur sæpe alias mundus dedit pœnas pro idololatria, ita haud dubie hæc ingens prophanatio missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipue plectitur ecclesia his postremis temporibus, cæcitate, discordiis, bellis, et aliis multis pestibus. Atque hos manifestos abusus episcopi hactenus, cum quidem non ignorarent eos, non solum toleraverunt, sed suaviter etiam riserunt. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus ecclesiæ, cum alia nulla res præbuerit occasionem tumultibus horum temporum, nisi abusus ipsi, qui ita erant jam manifesti, ut tolerari a moderatis hominibus diutius non possent. Utinam episcopi pro suo officio ante hæc tempora coercuissent avaritiam atque impudentiam seu monachorum, seu aliorum, qui, mutato ve-

teris ecclesiæ more, missas ad quæstum contulerunt.

Sed abusus illi, ex quo fonte orti sint, dicemus. Opinio est sparsa in ecclesiam, quod cœna Domini sit opus, quod celebratum a sacerdote mereatur remissionem peccatorum, culpæ et pœnæ, facienti et aliis, idque ex opere operato, sine bono motu utentis. Item quod applicatum pro mortuis, sit satisfactorium, hoc est, mereatur eis remissionem pœnarum purgatorii. Sic interpretantur sacrificium, cum missam vocant sacrificium, opus videlicet, quod applicatum pro aliis, meretur eis remissionem culpæ et pœnarum, idque ex opere operato sine bono motu utentis. Sic interpretantur oblationem a sacerdote fieri in missa pro vivis, et mortuis. Hac persuasione recepta, jam homines docuerunt quærere remissionem peccatorum et omnis generis bona; item, liberare a pœnis mortuos, beneficio missæ. Nec referebat a qualibus fierent missæ, quia docebant eas prodesse aliis, sine bono motu utentis. Deinde quærebatur, utrum, una missa dicta pro pluribus tantundem prosit, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio et numerum missarum, et quæstum in infinitum auxit. Sed nos jam non de quæstu disputamus, impietatem accusamus. Docent enim nostri, hanc opinionem de merito et applicatione missæ falsam et impiam esse. Hic est hujus controversiæ status. Ac facile est piis judicium de hac causa, si quis expendat argumenta quæ sequuntur.

Primum. Supra ostendimus consequi homines remissionem peccatorum gratis fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum. Ergo impossibile est consequi remissionem peccatorum propter alienum opus, et quidem sine bono motu, id est, sine fide propria. Hæc ratio satis clare refutat illam prodigiosam et impiam opinionem de merito et applicatione missæ.

Secundum. Passio Christi fuit oblatio et satis-

factio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est, *Sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi semel.* Item, *Una oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Denique bona pars Epistolæ ad Hebræos consumitur in hac sententia confirmanda, quod solum Christi sacrificium meruerit aliis remissionem peccatorum seu reconciliationem. Inquit, *Ideo quotannis repetita esse Levitica sacrificia, quia non aboleverint peccata. Sed Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis.* Hic honos sacrificii Christi non debet transferri in opus sacerdotis. Diserte enim dicit, *Una oblatione sanctos consummatos esse.* Ad hæc impium est fiduciam, quæ niti debet ipsa pontificis Christi oblatione et intercessione, transferre in opus sacerdotis.

Tertium. In institutione cœnæ Domini non mandat Christus ut offerant sacerdotes pro aliis vivis ac mortuis. Qua igitur autoritate, hic cultus tanquam oblatio pro peccatis, sine mandato Dei in ecclesia institutus est?

Multo absurdius est, quod missa confertur ad liberandas animas mortuorum. Nam missa instituta est ad recordationem, hoc est, ut utentes cœna Domini recordatione beneficii Christi erigant et confirment fidem, et consolentur conscientias perterrefactas. Nec missa satisfactio est pro pœna, sed instituta est propter remissionem culpæ, videlicet, non ut sit satisfactio pro culpa, sed ut sit sacramentum quo utentes admoneamur beneficii Christi et remissionis culpæ. Cum igitur illa applicatio cœnæ Domini ad mortuos liberandos sine Scripturæ authoritate, imo contra Scripturam, recepta sit, damnanda est, tanquam novus et impius cultus.

Quartum. Ceremonia sine fide in Novo Testamento nihil meretur nec facienti, nec aliis. Est enim opus mortuum, juxta illud Christi, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

Idem probat totum caput xi. ad Hebræos. *Fide potentiorem hostiam obtulit Abel.* Item, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo missa non meretur remissionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perspicue refutat meritum, quod vocant, ex opere operato.

Quintum. Fide propria fit applicatio beneficii Christi, sicut testatur Paulus Roman. iii. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem, per sanguinem ejus.* Et hæc applicatio fit gratis. Ergo non fit applicatio alieno opere, neque propter alienum opus. Nam cum sacramentis utimur, nostro opere ac nostra fide fit applicatio, non alieno opere. Etenim si non contingeret nobis remissio, nisi applicatis missis, fieret incerta, et fiducia transferenda esset a Christo in opus sacerdotis, idque ut constat, accidit. Porro fiducia collocata in opus hominis damnata est.

Hæc argumenta et pleraque alia testantur necessario reprehensam esse opinionem de merito et applicatione missæ pro vivis et mortuis. Jam si considerabitur, quam late vagatus sit hic error in ecclesia, quomodo hac persuasione creverit missarum numerus, quomodo vivis et mortuis hoc sacrificio promissa sit remissio culpæ et pœnæ, apparebit ecclesiam propter hanc prophanationem, horrendis peccatis deformatam esse. Nunquam gravior causa, optime imperator, in ecclesia incidit, aut dignior, de qua docti et boni viri diligenter deliberent. Omnes pii ardentissimis votis a Deo petere debent, ut his peccatis ecclesia liberetur. Reges omnes et episcopi omni studio anniti debent, ut, hac tota causa rite explicata, repurgetur ecclesia.

Sextum. Institutio sacramenti pugnat cum illo abusu. Nihil enim de oblatione pro peccatis vivorum et mortuorum præcipitur: sed præcipitur, ut sumantur corpus et sanguis Domini, et ut id fiat ad recordationem beneficii Christi. Recordatio autem significat, non aliquam tantum historiæ repræsenta-

tionem velut in spectaculo, sicut somniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato: sed significat fide recordari promissionem et beneficium, consolari conscientiam, et gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim causa institutionis est, ut fides ibi excitetur et exerceatur, cum hoc pignus gratiæ accipimus. Præterea institutio ordinat, ut fiat communicatio, hoc est, ut ministri ecclesiæ porrigant etiam aliis corpus et sanguinem Domini. Et hunc morem servatum esse in principio ecclesiæ testatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, ut alii alios expectent, ut fiat communis participatio.

Patefactis igitur abusibus privatæ missæ, quia et pleræque omnes fiebant propter illam applicationem pro peccatis aliorum, et non conveniunt cum institutione Christi, desierunt in nostris ecclesiis. Est autem instituta una communis missa, juxta Christi ordinationem, in qua pastores ecclesiarum consecrant, sumunt, et porrigunt aliis sacramentum corporis et sanguinis Christi. Et fit talis missa singulis feriis, atque aliis etiam diebus, siqui velint uti sacramento. Nec admittuntur ad communionem, nisi antea explorati. Adduntur et conciones piæ, sicut Christus præcepit, ut habeantur conciones cum hæc ceremonia tractatur. Et in his concionibus, cum de cæteris articulis et præceptis evangelii diligenter docentur homines, tum etiam admonentur, ad quem usum institutum sit sacramentum, videlicet, non quod ex opere operato mereatur eis remissionem peccatorum hæc ceremonia, sed quod sacramentum sit testimonium, sit pignus, quo Christus testetur se nobis præstare promissa, et quod promissiones ad nos pertineant; quod Christus exhibeat nobis corpus suum, ut testetur se in nobis efficacem esse tanquam in membris suis, exhibeat sanguinem, ut testetur nos ablui sanguine suo. Prodest igitur sacramentum his, qui agunt pœnitentiam, et ibi quærunt consolationem, et confirmati hoc testimonio credunt vere sibi præstari remissio-

nem peccatorum, et agunt gratias Christo pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficii Christi, non propter alienum opus, sed propria cujusque fide, et proprio usu sacramenti. Nam cum ipsi utimur, testatur ipsa Christi ordinatio, quod ad nos pertineat beneficium evangelii. Talis usus sacramenti pius est, et docendus in ecclesiis, qui et illustrat doctrinam de fide, et de spiritualibus exercitiis et veris cultibus, et adfert piis conscientiis ingentem consolationem, et erigit fidem. Ante hæc tempora, de usu sacramenti longe aliter docebantur ecclesiæ. Nihil proponebatur, nisi quod hoc opus faciendum esset. De fide, de consolatione conscientiarum, nemo quidquam monebat. Et vexabantur conscientiæ immodica diligentia confessionis. Hanc putabant puritatem esse, quam requirit evangelium, cum evangelium requirat verum timorem, et veram fiduciam, et usu hujus sacramenti nos consolatur, ut hi, qui pœnitentiam agunt, credant certo se habere Deum propitium propter Christum, etiamsi natura infirma, et immunda est, etiamsi hæc nostra inchoata obedientia procul abest a perfectione legis. Ex his omnibus satis liquet missam apud nos convenire cum institutione Christi, et ritu primæ ecclesiæ. Ad hæc illustrat maxime verum usum sacramenti. Hujusmodi communis missa fuit in veteri ecclesia, ut Chrysostomus testatur, qui ait, "sacerdotum ad altare stare, et alios ad communionem accersere, alios vero arcere." Et ex Nicenæ synodi decretis apparet, unum aliquem celebrasse Liturgiam, ut Græci vocant, qui cæteris omnibus porrexerit corpus et sanguinem Domini. Hæc enim sunt verba decreti: "Accipiant diaconi secundum ordinem post presbyteros ab episcopo, vel a presbytero sacram communionem." Hic diserte ipsos presbyteros ait accipere sacramentum ab uno quodam porrigente. Nec privatæ missæ ulla fit mentio ante Gregorii tempora, sed quoties veteres de missa loquuntur, apparet eos de una quadam com-

muni missa loqui. Cum igitur missæ ritus apud nos habeat autoritatem Scripturæ, et exemplum veteris ecclesiæ, et tantum intolerabiles quidam abusus abjecti sint, speramus non posse improbari nostrarum ecclesiarum morem. Cæteri ritus adiaphori magna ex parte usitato more servantur, sed numerus missarum dissimilis est. Nec olim in ecclesiis frequentissimis fiebat quotidie missa, ut testatur Historia Tripartita lib. ix. cap. 38. Rursus autem in Alexandria, quarta et sexta feria Scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, et omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

De utraque Specie Sacramenti.

ET quoniam communis missa apud nos celebratur, ut intelligat populus se quoque sanctificari sanguine Christi, et discat verum usum ceremoniæ, datur laicis utraque pars sacramenti in cœna Domini, quia sacramentum institutum est, non solum pro parte ecclesiæ, scilicet pro presbyteris, sed etiam pro reliqua ecclesia; igitur et populus utitur sacramento, sicut Christus instituit, et quidem Christus inquit, Matt. xxvi. *Bibite ex hoc omnes*, ubi manifeste ait de poculo ut omnes bibant. Et ne quis cavillari possit, quod id tantum ad sacerdotes pertineat, Pauli ordinatio ad Corinthios testatur totam ecclesiam communiter usam esse utraque parte. Hic mos diu mansit etiam in Latinis ecclesiis, nec constat, quando, aut quo autore mutatus sit. Cyprianus aliquot locis testatur populo sanguinem datum esse. Sic scribit alicubi ad Cornelium papam: "Quo-
" modo docemus aut provocamus eos in confessione
" nominis sanguinem suum fundere, si eis militatu-
" ris Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo
" ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos
" prius ad bibendum in ecclesia poculum Domini
" jure communicationis admittimus?" Et Hierony-

mus inquit, "Sacerdotes eucharistiæ ministrant, et "sanguinem Christi populis dividunt."

Extat in Decretis canon pontificis Gelasii, qui prohibet dividi sacramentum, his verbis: "Compe-"rimus autem quod quidam, sumpta tantum corpo-"ris sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant, "qui proculdubio, quoniam nescio qua superstiti-"tione docentur astringi, aut integra sacramenta "percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio "unius ejusdemque mysterii, sine grandi sacrilegio "non potest accidere."

In Historia Tripartita scriptum est in objurgatione Theodosii imperatoris, quem Ambrosius noluit ad communionem admittere sine pœnitentia, propterea quod Thessalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbe ultus erat, trucidaveratque septem millia civium. Hic Ambrosius inquit, "Quomodo his ma-"nibus suscipies sanctum Domini corpus? qua te-"meritate, ore tuo, poculum sanguinis pretiosi per-"cipies, &c." Constat igitur veteris ecclesiæ morem fuisse, dare populo utramque sacramenti partem. Tantum consuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem. Non disputabimus autem quid sentiendum sit de consuetudine recepta contra autoritatem apostolicæ scripturæ, contra canones, contra exemplum veteris ecclesiæ. Intelligunt enim omnes pii, conscientias de doctrina Christiana verbum Dei consulere debere, nec approbandam esse consuetudinem contra verbum Dei. Quanquam autem consuetudo mutaverit in Latina ecclesia veterem morem, tamen non improbat aut prohibet. Nec vero humana autoritas prohibere ordinationem Christi et receptissimum usum veteris ecclesiæ debet. Ideo nos non duximus prohibendum esse usum integri sacramenti. Et in ea ceremonia, quæ debet esse fœdus mutuæ dilectionis in ecclesia, non voluimus contra charitatem duri esse aliorum conscientiis, qui maluerunt integro sacramento uti, neque sævitiam

ea in re ullam exercendam esse putavimus. Sed quantum possumus, una cum ipsa ceremonia restituimus piam doctrinam de fructu ceremoniæ, ut intelligat populus quomodo sacramentum propositum sit ad consolandas conscientias eorum qui agunt pœnitentiam. Hæc doctrina invitat pios ad usum et reverentiam sacramenti. Etenim non solum ceremonia mutilata fuit antea, sed etiam neglecta præcipua doctrina de fructu. Et fortassis ceremoniæ mutilatio significavit obscuratum esse evangelium de sanguine Christi, hoc est, de beneficio mortis Christi. Nunc, Dei beneficio, renovatur ac restituitur pura doctrina de fide, una cum ceremonia.

De Confessione.

HUIC parti doctrinæ Christianæ de pœnitentia, in primis magnas tenebras offuderunt theologi et canonistæ. Idque testantur non solum ipsorum bibliothecæ, sed etiam omnium piorum conscientiæ, quæ fatentur illas inextricabiles disputationes theologorum, et traditiones infinitas de pœnitentia, horribilem carnificinam conscientiarum fuisse. Nusquam enim quidquam certi docent quomodo contingat remissio peccatorum; de fide prorsus est altissimum silentium. Imo jubent perpetuo dubitare de remissione peccatorum. Postea excruciant conscientias acerba enumeratione delictorum: item satisfactionibus. Qualis enim laqueus conscientiæ fuit traditio, quæ præcipit omnia peccata enumerare?

Satisfactiones vero obscuraverunt beneficium Christi, quia etiam docti fingunt per eas compensari æternam mortem; indocti putabant his operibus emi remissionem culpæ. Quid quod plerumque fuerint cultus non mandati a Deo, βαττολογίαι precum, invocationes sanctorum, peregrinationes, et hoc genus alia? Ita fuit obruta ingenti acervo inuti-

lium ac malarum opinionum simplex doctrina de pœnitentia. Et constat multis seculis bonos desiderasse doctrinam puriorem.

Porro præcipue opus est in ecclesia extare purissimam et simplicissimam de pœnitentia doctrinam. Ideo huic articulo maxime studuerunt nostri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illustrarunt, ut etiam adversarii saniores fateantur hac in re bene meritos esse de ecclesia.

Nam simpliciter, plane, sine ulla sophistica, proponimus evangelii sententiam de pœnitentia, ut intelligant homines, quomodo ad Christum redire debeant, quomodo consequantur remissionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primum docemus necessariam esse contritionem, hoc est, veros terrores et dolores animi, qui agnoscit iram Dei, et dolet se peccasse, et desinit mala perpetrare. Etsi autem hi dolores necessarii sunt, tamen sciendum est remissionem peccatorum non dari propter dignitatem contritionis seu horum dolorum. Sed addenda est fides, hoc est fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, et statuendum est gratis remitti peccata propter Christum.

Cum hac fide in terroribus illis erigimur, consequimur certo remissionem peccatorum, sicut supra ostendimus. Et hanc fidem concipiunt animi ex evangelio; item ex absolutione, quæ evangelium annunciat et applicat perterrefactis conscientiis. Ideoque docent nostri retinendam esse in ecclesiis privatam absolutionem, et ejus dignitatem, et potestatem clavium veris et amplissimis laudibus ornant, quod videlicet potestas clavium administret evangelium, non solum in genere omnibus, sed etiam privatim singulis, sicut Christus inquit, *Lucratus eris fratrem*, &c. Et quod voci illi evangelii, quod ministerio ecclesiæ nobis in absolutione administratur, credendum sit, tanquam voci de cœlo sonanti.

Hoc totum beneficium absolutionis et hujus mi-

nisterii antea fuit omnino obscuratum falsis opinionibus illorum, qui docuerunt absolutionem non valere, nisi sufficienter contriti simus. Et postea jubebant dubitare de absolutione, quia nemo sciret se satis contritum esse. Quid fuit hoc aliud, quam evangelii consolationem eripere conscientiis, et tollere ex ecclesia, ac prorsus abolere ministerium evangelii, seu potestatem clavium? quis non videt hos tam perniciosos errores merito reprehensos esse?

Cum autem confessio præbeat locum impertiendæ absolutioni privatim, et ritus ipse intellectum potestatis clavium et remissionis peccatorum conservet in populo, præterea cum illud colloquium magnopere prosit ad monendos et erudiendos homines, diligenter retinemus in ecclesiis confessionem, sed ita, ut doceamus enumerationem delictorum non esse necessariam jure divino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione. Nullum enim extat in scripturis apostolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, juxta illud Psalmi, *Delicta quis intelligit?* Item Jeremias ait, *Pravum est cor hominis et inscrutabile.* Quod si nulla peccata, nisi recitata remitterentur, nunquam possent acquiescere conscientiæ, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Qua ex re facile intelligi potest, ministerium absolutionis, et remissionem non pendere ex conditione enumerationis.

Testantur et veteres scriptores non esse necessariam enumerationem. Chrysostomus enim in epistolam ad Hebræos inquit, "Persuadeamus nobis "peccasse nos, nec id lingua tantum pronunciet, "sed etiam intima conscientia; nec tantum dicamus "nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter "computemus. Non tibi dico, ut te prodas in pub-"licum, neque te ut apud alios accuses, sed obedire "te volo Prophetæ. Revela Domino viam tuam, "coram Deo peccata tua confitere, apud verum Ju-

" dicem cum oratione delicta tua pronuncia, non " lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, et tunc de- " mum spera te misericordiam posse consequi." Hæc Chrysostomi concio non solum docet, quid de enumeratione sentiendum sit, sed etiam gravissime conjungit contritionem et fidem, sicut nos conjungimus; jubet primum ut peccata vere agnoscamus, et ex animo detestemur, deinde docet addendam esse orationem ac fidem, quæ statuat nobis ignosci. Et alio in loco ait, " Peccata tua dicito ut deleas. Si " pudet dicere quod peccaveris, dicito quotidie in " anima tua. Non dico ut confitearis ea servo, ut " exprobret, dic Deo, ut curet ea."

Fatetur et glossa in Decretis de pœnitentia, distinctione quinta, confessionem institutam esse ab ecclesia, nec præcipi eam in scripturis Veteris et Novi Testamenti. Idem plerique doctores senserunt. Quare sententia nostra de confessione neque nova, neque absurda est.

Postremo de satisfactionibus vel maxime opus fuit moneri pias mentes. Nam satisfactiones plus etiam incommodi habuerunt quam illa enumeratio. Obscurabant enim beneficium Christi, quia indocti putabant se remissionem culpæ consequi propter illa propria opera; deinde, si quid in his erat omissum, conscientiæ perturbabantur. Item, deligebantur ceremoniæ, peregrinationes, et hujus generis alia inutilia opera, non mandata divinitus. Et his fingebant ipsi doctores compensari mortem æternam.

Itaque duximus pias mentes liberandas esse his erroribus, et docemus satisfactiones, videlicet canonicas illas, quas ipsi vocant opera indebita, &c. nec ad remissionem culpæ, nec ad remissionem pœnæ æternæ prodesse, nec esse necessarias. Olim in ecclesia mos fuit in publica pœnitentia non recipere lapsos ad ecclesiam redeuntes, nisi addita aliqua mulcta exempli causa. Ab illo more sunt ortæ satisfactiones; sed veteres illo exemplo volebant populum a peccando deterrere, non sentiebant cere-

moniam illam esse compensationem culpæ vel æternæ mortis vel purgatorii. Hæc postea affinxerunt homines indocti.

Sed veteres illi mores tempore consenuerunt, et antiquati sunt. Nos igitur non oneramus conscientias satisfactionibus, sed illud docemus, fructus pœnitentiæ necessarios esse, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, et universam novitatem spiritus debere in nobis crescere.

Monemus et illud, sæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, ut David, Manasse, et alii multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, et universa pœnitentia, sicut docet Paulus, *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur a Domino.* Et pœnitentia meruit ut Deus sententiam de delenda Ninive mutaret.

Ita, cum antea disputationes de pœnitentia fuerint inextricabiles, et plenæ absurdarum opinionum, nunc repurgata doctrina ita traditur populo, ut intelligi possit, et prosit ad pietatem. Retinemus et illustramus veras pœnitentiæ partes, contritionem, fidem, absolutionem, remissionem peccatorum, emendationem totius vitæ, mitigationem præsentium pœnarum.

Ac speramus bonos viros in hoc loco non solum nihil reprehendere, sed etiam gratiam habere his qui repurgarunt hanc doctrinæ Christianæ partem, quam prodest in ecclesiis extare quam planissime explicatam atque illustratam. Christus inquit, *Angelos in cœlo lætari, cum vident resipiscere peccatorem.* Itaque gratulantur ecclesiæ et ipsi angeli puram de pœnitentia doctrinam.

De Discrimine Ciborum et similibus Traditionibus pontificiis.

IN hac corporali vita opus est traditionibus, hoc est, locorum ac temporum discriminibus, ut ordine

gerantur res in ecclesia, sicut præcipit Paulus, ut omnia fiant ordine, et ita ut deceant. Ideo et ecclesia habet traditiones, hoc est constituit quibus temporibus, ubi convenire populus debeat. Ad hunc civilem finem licet condere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Christianæ, non sunt hoc fine contenti, sed affingunt superstitiosas opiniones traditionibus, easque per superstitionem sine modo cumulant. Id questi sunt accidisse in ecclesia, non tantum recentiores, Gerson et alii quidam, sed Augustinus etiam.

Quare necesse est populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ sunt in ecclesia, sentiendum sit. Neque enim nihil causæ est, cur Christus et Paulus toties de traditionibus concionentur, et ecclesiam admoneant, ut prudenter de traditionibus judicet.

Fuit autem persuasio publica non modo vulgi, sed etiam docentium in ecclesiis, discrimina ciborum et similia opera, de quibus ecclesiasticæ traditiones præcipiunt, cultus esse Dei, qui mereantur remissionem peccatorum. Item, tales cultus esse justitiam Christianam, et necessarios esse, sicut in Veteri Testamento Leviticæ ceremoniæ necessariæ fuerunt, nec posse sine peccato omitti, etiam extra scandali casum. Hæ persuasiones multa peperunt incommoda.

Primum obscurata est evangelii propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Christum. Hoc beneficium Christi translatum est in illa humana opera: ac propter hanc opinionem præcipue auctæ sunt traditiones, quia existimabantur opera illa mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones, esse justitia Christiana. Porro maxime ob hanc causam, tam crebro, tam severe admonet nos Paulus de traditionibus cavendis, ne beneficium Christi transferretur in traditiones, ne gloria Christi obscuraretur, ne conscientiis eriperentur veræ et firmæ consolationes; denique ne fides, hoc est fidu-

cia misericordiæ Christi, obrueretur. Hæc pericula caveri Paulus voluit, maxime enim opus est extare in ecclesia puram doctrinam de beneficio Christi, de justitia fidei, de consolatione conscientiarum.

Secundo. Hæ traditiones obscuraverunt præcepta Dei, quia hæc pædagogia existimabatur esse spiritualis et Christiana justitia. Item præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei. Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hæc πτωχὰ στοιχεία erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita spiritualis; item perfectio Christiana. Interim mandata Dei de vocatione nullam laudem habebant. Quod paterfamilias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod princeps regebat rempublicam, hæc opera despiciebantur, non judicabantur esse cultus Dei. Versabantur in perpetua dubitatione mentes plurimorum, an conjugium, magistratus et similes vitæ civilis functiones, Deo placerent. Hæc dubitatio multos valde cruciavit. Multi, deserta sua vocatione, deserta republica, abdiderunt se in monasteria, ut vitæ genus quærerent, quod arbitrabantur Deo magis placere, imo quod arbitrabantur mereri remissionem peccatorum.

Tertio. Opinio necessitatis etiam duriter exercuit conscientias. Traditiones existimabantur esse necessariæ, et tamen nemo, quamlibet diligens, observabat omnes, præsertim cum sint innumerabiles. Gerson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscivisse, quia animadverterant se non posse satisfacere traditionibus; et interim nullam consolationem de gratia, de justitia fidei audierant. Videmus summistas et theologos colligere traditiones, et quærere ἐπιεικείας ut levent conscientias. Sed ne ipsi quidem sibi satisfaciunt, non possunt se satis extricare, interdum etiam illæ ipsæ interpretationes injiciunt laqueos conscientiis. Et in traditionibus colligendis, ita fuerunt occupatæ scholæ et conciones, ut non vaca-

verit attingere Scripturam, et quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate rerum civilium, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque multi boni viri sæpe questi sunt, se his rixis traditionum impediri quo minus libere versari in meliore doctrinæ genere possent. Cum igitur hujusmodi superstitiosæ opiniones hærerent in traditionibus, necesse fuit admonere ecclesias, quid de traditionibus sentiendum sit, errore pias mentes liberare, mederi pavidis conscientiis, illustrare beneficium Christi. Non hoc agimus, ut labefactetur autoritas ecclesiasticæ potestatis, non detrahimus de dignitate episcoporum, non dissipamus εὐταξίαν ecclesiæ. Recte intellectæ traditiones magis amantur, sed illæ Judaicæ opiniones tantum reprehenduntur. Sic igitur docemus de ceremoniis humana autoritate conditis in ecclesia. Primum, De traditionibus quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non possunt observari sine peccato, sequenda est regula apostolorum; *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Talis est traditio de cœlibatu. Deinde, de reliquis ceremoniis quæ sunt sua natura res mediæ seu indifferentes, ut jejunia, feriæ, discrimina vestitus, et similes, sciendum est, tales observationes nec mereri remissionem peccatorum, nec justitiam, nec perfectionem Christianam esse; sed res esse adiaphoras quæ extra scandali casum omitti possunt.

Testimonia hujus sententiæ plana et clara sunt in evangelio et disputationibus Pauli. Nam Spiritus Sanctus duxit operæ pretium esse, ut diligenter de hac re moneret ecclesiam, ne superstitiosis opinionibus obrueretur evangelium.

Rom. xiv. *Regnum Dei non est esca aut potus, sed justitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto.* Hic satis clare docet Paulus justitiam Christianam esse motus spirituales cordis, non esse externas observationes ciborum, dierum, &c.

Coloss. ii. *Nemo judicet vos in cibo, potu, aut*

parte diei festi. Vetat judicari conscientias, hoc est, condemnari conscientias in usu talium rerum, sed prorsus vult haberi pro rebus indifferentibus, et quæ non pertinent ad justitiam evangelii. Et deinde longa et gravis concio est, et de Mosaicis ritibus, et de ceremoniis institutis humana authoritate. Loquitur enim Paulus de utroque genere nominatim. Negat eam esse justitiam Christianam, et vetat conscientias onerare talibus traditionibus. *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare, tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Ne attingas, ne gustes, ne contrectes.*

Matt. xv. *Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem;* et quidem ibi excusat apostolos violantes usitatam traditionem, et addit sententiam memorabilem, *Frustra colunt me mandatis hominum.* Negat esse veros et utiles cultus ad justitiam coram Deo, quare non sunt justitia Christiana, nec sunt necessarii cultus. Atqui constat in ecclesia humanos cultus mirum in modum hactenus crevisse. Quotidie cumulabant monachi ceremonias, novis et superstitionibus et aucupiis. Et hæ nugæ putabantur esse præcipui cultus Dei, præcipua pietas, cum Christus tam gravi oraculo vetet humanas ceremonias haberi pro cultibus. Non enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc est, propter bonum ordinem, sed cultus esse negat, cum ait, *Frustra colunt me.* Et docet veros cultus opera divinitus præcepta, *Timorem, fidem, dilectionem, patientiam, castitatem, parere vocationi, facere officium,* &c.

Act. xv. ait Petrus, *Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi?* Hic docet Petrus contingere nobis remissionem peccatorum et salutem propter Christum, non propter Mosaicos aut similes ritus. Et admonet gravissime peccare illos,

qui conscientias onerant talibus observationibus. Nec enim levis est reprehensio, cum inquit, *Quid tentatis Deum?*

Et 1 Timoth. iv. vocat prohibitionem ciborum, conjugii, et similes traditiones, *doctrinas dæmoniorum.* Quare autem tam atroci convitio usus est? Non voluit nullas prorsus fieri ordinationes, nulla servari discrimina locorum, temporum; sed tunc sentit esse doctrinas dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Christi, quando habentur pro justitia, item pro necessariis cultibus, quando affingitur opinio necessitatis, et cruciantur conscientiæ, et excutitur eis fides. Hæc incommoda volunt caveri Christus et apostoli. Ideoque toties tam vehementer adversus traditiones concionantur. Ac mirum est illis fulminibus nihil moveri eos, qui superstitiosas opiniones traditionum defendunt.

Sunt autem duplices traditiones. Quædam flagitant opera palam pugnantia cum lege divina, ut prohibitio conjugii. Necesse est autem in ecclesia extare hanc regulam, *Oportet Deo magis obedire quam hominibus;* ideo constat talibus traditionibus humanis nequaquam esse obtemperandum. Aliæ loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, ut de cibo, vestitu, et similibus rebus. Hæ traditiones fiunt impiæ, cum proponuntur cum his opinionibus, quod mereantur remissionem peccatorum, quod sint res necessariæ, quod sint cultus Dei, id est officia, quorum finis immediatus sit, ut per ea Deus honore adficiatur. Has pestiferas opiniones necesse est in ecclesia taxari. Ac propter has opiniones humani ritus inutiles sunt abjiciendi, ut discrimina ciborum, monasticus vestitus, et similes mores superstitiosi; ut Ezechias æneum serpentem combussit, cum videret eum a multis coli. Sed quia hæc societas hominum in hac corporali vita habet opus ordine, possunt aliqui ritus utiles ad hunc finem politicum retineri sine superstitiosis opinionibus, hoc est, ne judicentur esse cultus, aut res necessariæ, ut

populus sciat, quando cœtus in templis convenire debeat ad conciones, et ad usum sacramentorum: oportet enim ministerium illud esse publicum. Prodest certa tempora constitui. Ita servantur apud nos feriæ diei Dominici, et pleræque aliæ: retinentur usitata historiarum discrimina in cantionibus, natalis Dominici, Paschatis, festi Ascensionis, Pentecostes, et aliis. Et magis amat populus has ipsas ceremonias postquam conscientiæ liberatæ sunt periculo, et illis injustis oneribus, de quibus olim monachi et canonistæ vociferabantur: et e regione utilitas monstrata est, quod hi ritus serviant ministerio evangelii. Item admoniti sunt homines finem esse politicum harum ordinationum. Hæc dextra interpretatio traditionum reddit eas gratiores moderatis animis. Et quanquam opinio necessitatis et cultus detrahitur, tamen satis munitæ sunt, quia docemus in ecclesiis emendatis utiles ceremonias servire ministerio evangelii; quare, qui petulanter et cum scandalo has ceremonias violant, hoc est, qui impediunt ministerium evangelii, hos peccare dicimus. Certe modum traditionum esse necesse est, et conscientiis consuli oportet, ut intelligant humanos ritus nec res necessarias, nec justitiam esse.

Hæc libertas, de qua hic dicimus, non fuit ignota patribus. Augustinus enim inquit, "Totum hoc "genus rerum liberas habet observationes," et in hanc sententiam multa disputat. Irenæus inquit, "Dissonantia jejunii non dissolvit fidei consonan- "tiam." Tripartita Historia multa colligit exempla dissimilium rituum, et addit egregium epiphonema, "Mens apostolorum fuit, non de diebus festis san- "cire, sed prædicare bonam conversationem et pie- "tatem." Sed nihil opus est in re manifesta colligere multa testimonia. Verum hic vociferantur adversarii, labefactari hac doctrina disciplinam publicam, effici ἀναρχίαν, item aboleri bona opera et mortificationem carnis, juxta Joviniani dogma. Has calumnias partim jam refutavimus. Non enim fit

ἀναρχία, nec labefactatur publica disciplina, cum traditiones, quarum finis est politicus, servandas esse doceamus. Docemus et scandala cavenda esse. Sed de mortificatione carnis sic respondemus, vera et non simulata mortificatio est, tolerare crucem, versari in periculis, ærumnis, et afflictionibus. Hujus generis obedientia est cultus Dei et opus spirituale, sicut docet Psalmus, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. Docemus præterea aliud genus exercitiorum necessarium esse. Quilibet Christianus etiam corporali disciplina, laboribus, temperantia, meditatione divinarum rerum, et aliis exercitiis aptis ætati, coercere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, et ut mens admoneatur, et fiat aptior ad affectus spirituales. Non est sentiendum, hæc exercitia cultus esse qui mereantur remissionem peccatorum, aut satisfactiones esse, &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina inquit Christus, *Cavete ne corpora vestra graventur crapula.* Item, *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi jejunio et oratione.* Et Paulus ait, *Castigo corpus meum, et redigo in servitutem.* Itaque non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones, et laqueos conscientiarum in traditionibus. Porro hæc exercitia, cum ad illum finem referuntur, ut habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, et ad faciendum officium juxta vocationem, &c. sunt in piis bona opera, ut testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera quæ ad hunc finem requirit Deus, ut carnem coerceant.

De Conjugio Sacerdotum.

CUM doctrina Christiana honorifice prædicet conjugium, eoque uti jubeat, non solum procreationis causa, sed etiam ad frænandas vitandasque libidines,

nunc non solum pontificia lege, sed etiam nova atque inusitata sævitia, prohibentur conjugia sacerdotibus, et contracta dirimuntur. Idque hoc est indignius, quod hæc in ecclesia fiunt, quæ ut maxime debet abhorrere a turpitudine, ita conjugium ad vitanda multa ingentia flagitia summo studio tueri debebat. Ad hæc cum in omnibus ethnicis rebuspublicis mediocriter constitutis, propter gravissimas causas conjugium in magno honore fuerit, quid minus decet in ecclesia, quam et sanctissimum fœdus conjugii distrahere, aut capitalibus pœnis, velut summum scelus, punire conjugium? unde hæc in ecclesiam, in qua debet excellere mutua dilectio, pervasit immanitas? Porro res loquitur ipsa, quantum turpitudinis, ac scelerum, pariat pontificia lex de cœlibatu. Nec ulla humana voce dici potest, quantum vitiorum ex hoc fonte in ecclesiam exundaverit. Nam ut non dicamus de Epicureis, quos nihil pudet, quam multi pii ac boni viri infœliciter luctati sunt cum imbecillitate naturæ, et ad extremum in horribilem desperationem inciderunt? Quo spectat autem hæc nova crudelitas, nisi ut illa infinita scelera in ecclesiam confirmentur, et ut improbi peccent impunitius? Hæc causa nihil habet opus disputatione, nam hæc nova lex, quæ nunc defenditur ab adversariis, quæ et prohibet sacerdotibus conjugia, et contracta distrahit, pugnat cum jure naturali, divino, cum evangelio, cum veterum synodorum constitutionibus, cum exemplis veteris ecclesiæ. Tantum opus est nobis pietate et æquitate optimi imperatoris, quem oramus, ut pro sua pietate, et pro suo officio, abolita tyrannica lege, mederi ecclesiæ studeat. Cum omnis injusta crudelitas Deo displicet, tum illa maxime quæ exercetur in sacerdotes pios et eruditos, qui bene merentur de ecclesia. Ac non solum divina oracula minantur atrocissimas pœnas his, qui crudelitatem exercent adversus sacerdotes, sed exempla etiam exstant omnium ætatum, quæ comprobant illas minas non esse irritas. Nam

ut alia innumerabilia exempla omittamus, gens Benjamin fere tota deleta est, propter stupratam hospitis sacerdotis conjugem. Cum enim cadaver mulierculæ, quæ vexata stupris extincta erat, dissectum missum esset ad principes Israel, judicavit universus populus tantam immanitatem severissime puniendam esse; cumque non dederentur ad pœnam autores facinoris, tota gens Benjamin magna clade accepta, pœnas dedit. At hoc tempore multiplici injuria afficiuntur sacerdotes: ipsi, cum quidem nullum eis crimen objiciatur, nisi conjugium, excruciati horribilibus suppliciis necantur; miseræ conjuges et parvi liberi ejecti suis nidulis vagantur extorres, sine certa sede, sine tecto, sine lare. Paulus vocat prohibitionem conjugii, *doctrinam dæmoniorum.* Id testantur non solum turpissima vitia, quæ cœlibatus invexit in ecclesiam, sed etiam hæc ipsa asperitas, quæ propter hanc legem exercetur in sacerdotes, et eorum conjuges ac liberos. Nam Diabolus homicida est, et piorum calamitatibus præcipue delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi sunt talium consiliorum autores. Nos hanc sævitiam, neque dignam Christianis, neque utilem ecclesiæ esse judicavimus.

Quod vero objicitur autoritas legis pontificiæ, cur non allegant autoritatem canonum adversus turpia exempla impuri cœlibatus, et scelera digna animadversione? Nulla debet esse autoritas pontificii decreti pugnantis cum jure naturæ, et cum mandato divino. Natura homines ita conditi sunt, ut sint fœcundi, quare jurisconsulti dicunt, conjunctionem maris et fœminæ esse juris naturæ: idque docet Genesis, capite primo et secundo. Deinde cum Paulus inquit, *Unusquisque habeat uxorem, ad vitandam fornicationem*, certe præcipit omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, ut contrahant conjugia. Et Christus monet non omnes idoneos esse ad cœlibatum, cum ait, *Non omnes capiunt verbum hoc.*

Porro, nec leges humanæ, nec vota valent pug-

nantia cum mandato divino. Et eventus ipse testatur naturam legibus humanis non posse mutari. Videmus quantum turpitudinis pariat ille cœlibatus. Ac si qui sunt boni viri, qui student esse casti, hi intelligunt oneris et periculi magnitudinem, et præcipue deplorant hanc sui ordinis servitutem. In Nicena synodo quidam conati sunt legem ferre, ut sacerdotibus interdiceretur consuetudine conjugum: repudiata est hæc lex ab universa synodo. Et fuit quondam mitior Latina ecclesia. Tantum enim dimittebat a ministeriis eos, qui cum gererent munus ecclesiasticum ducebant uxores, non prohibuit conjugium. Hæc nova lex est pontificum, ignota veteri ecclesiæ ac synodis, quæ in totum prohibet conjugia, et contracta distrahit.

Constat autem utramque partem hujus decreti pugnare cum evangelio. Allegatur contra nos ecclesiæ et synodorum autoritas, quam pontifices ipsi hujus decreti autores impudenter contempserunt. Nec obscure reclamaverunt pii sacerdotes huic novæ legi. Nam historiæ ecclesiasticæ testantur eam non sine acerrimis certaminibus impositam esse ecclesiis. Tarraconensis episcopus scribit ad Syricium pontificem, sacerdotes Hispanos non posse adduci, ut legem accipiant, qua interdicebatur eis consuetudine uxorum. Quas ipse tragœdias agit Syricius! quam inclementer rescribit!

Hæc enim sunt Syricii verba, indigna pontifice: "Dicat mihi nunc ille, quisquis est, sectator libidi-"num, præceptorque vitiorum?" Et deinde Pauli dictum alienissimum detorquet ad suam causam, *Qui in carne sunt placere Deo non possunt.* Dubium profecto est, utrum inscitiæ an impudentiæ ascribendum sit, quod tam contumeliose loquitur de conjugio. Nihil enim agebatur aliud, nisi ut interdiceretur sacerdotibus usu conjugum, quas tunc habebant. Deinde posteriores pontifices multo etiam duriores fuerunt. Cum decretum pontificium de abjiciendis uxoribus in Germania recitaret in synod

archiepiscopus Moguntinus, ita exarserunt ira sacerdotes, ut minarentur se impetum facturos in ipsum archiepiscopum. Et erat res cum indigna, tum acerba abjicere præsentes conjuges, sed vicit tandem vel vis vel superstitio. Quanto mitior fuit Cyprianus mulieribus, quæ non servabant promissam castitatem: scribit enim lib. primo, epistola undecima, "Si perseverare nolunt aut non possunt, me-
"lius est, ut nubant quam ut in ignem deliciis suis
"cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scan-
"dalum præbeant."

Porro injustæ leges non solent esse perpetuæ. Rogamus igitur optimum Imperatorem, ut inter cætera ecclesiæ incommoda etiam hujus legis vitia consideret. Qua in re et illud considerandum est, natura ipsa hominum veluti senescit et fit imbecillior; quare providendum est, ne vitia crescant. Nec debent leges ipsæ semina esse vitiorum. Plato gravissime dicit, leges virtutis causa ferendas esse. An autem traditio de cœlibatu pietatis causa propugnetur aut alio quodam consilio, non difficile est judicare. Postremo, cum Christus præcipue commendaverit piis curam ministrorum evangelii, rogamus, ut optimus Imperator sævitiam prohibeat, quæ diu jam in homines pios sacerdotes exercetur, ac cum ecclesia potius deliberet, quam cum adversariis nostris. Debent in ecclesia excellere dilectio et misericordia. Quare maxime abhorret vera ecclesia a crudelitate non necessaria, nec vult interfici sacerdotes propter tyrannicam traditionem. Parci etiam vult miseris mulieribus ac liberis sacerdotum. Horum omnium vitam ac salutem Ecclesia tibi clementissime Imperator commendat. Omnes pii ubique terrarum afficiuntur horum calamitatibus, et taciti desiderant Christianam lenitatem in hoc negotio, tibique communibus lachrymis doctos et bonos viros, ecclesiæ utiles, et horum conjuges ac liberos commendant, quem vident et natura præditum esse eximia quadam et heroica bonitate, et in hac causa

hactenus singulari usum esse moderatione, quæ quidem significat te de republica rite sananda deliberare. Non vult Ecclesia, te alienæ crudelitatis ministrum fieri. Maximus honor est regum, quem tribuit eis Esaias, cum inquit, *eos debere ecclesiæ nutritios esse*, hoc est imperia, defensionem pacis, et humanæ societatis, non solum corporali utilitati servire, sed etiam adjuvare evangelium, cum videlicet et tegunt sacerdotes, et tranquillitatem civitatibus concedunt, ut institui ad religionem juventus, et doceri homines possint. Rogat igitur Ecclesia, ut memineris tibi pios sacerdotes tanquam alumnos tuendos esse. Tuum munus est, innocentiæ præsidio esse, depellere injurias, præcipue ab imbecillibus, qui se tueri non possunt ipsi, a piis mulieribus, a pueritia, ab orphanis. In his etiam sacerdotum conjuges et liberos, qui vere sunt orphani, tibi commissos divinitus existimes.

Ecclesia vel maxime φιλόστοργος est, et non modo conjugum inter se charitatem, parentum erga liberos amorem probat, sed afficitur etiam ipsa desertorum atque orphanorum ærumnis. Ac vero in tanta bonitate naturæ tuæ nihil esse ἄστοργον judicat, quare sperat tibi quoque dolorem afferre sacerdotum neces ac supplicia, conjugum et liberorum exilia. Monet illud etiam Ecclesia, ut provideas, ne plerique doctrinæ Christianæ loci, quorum necessaria est explicatio, simul opprimantur, dum pie eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus studia doctrinæ Christianæ. Quid agunt adversarii aliud, nisi ut deletis omnibus literis et oppressa doctrina, tantum pendeant homines ex autoritate illorum, qui dominantur, somnia indoctorum quamlibet impia, quamlibet absurda, ducant esse oracula. Hanc barbaricam servitutem existimant adversarii prodesse dominationi suæ. Nec obscure multis in locis jam hac servitute jacet oppressa Ecclesia. Etsi autem nos quoque veteres synodos amplectimur congruentes cum apostolica doctrina, tamen non decet auto-

ritatem ecclesiæ prætexere omnibus abusibus ac vitiis, quæ recentior ac deterior ætas in ecclesiam invexit. Nimium blandiuntur sibi homines, si nihil vitii derivatum esse putant in ecclesiam, ex affectibus hominum cupidorum, ex illis labyrinthis et tenebris doctrinæ scholasticæ et traditionum. Neque vero tam propter conjugium periclitantur hoc tempore boni viri, quam propter studium repurgandæ et illustrandæ doctrinæ Christianæ, quod regere ac juvare episcopi debebant. Nam his præcipue commendata est cura ornandæ et defendendæ doctrinæ, hi debent esse hujus sanctissimi et utilissimi studii gubernatores et hortatores.

Sed non ad solos episcopos, verum etiam ad pios principes, ac maxime ad imperatorem pertinet, pure intelligere evangelium, dijudicare dogmata, advigilare, ne impiæ opiniones recipiantur aut confirmentur, idololatriam omni studio abolere. His officiis præclare meriti sunt de piis multi magni heroes, Gedeon, Ezechias, Josias, Constantinus, et plerique alii. Quare existimabis et tui officii esse, cavere ne obruantur ea quæ pie et utiliter patefacta et emendata sunt a bonis et doctis viris, ne impii abusus autoritate tua stabiliantur. Psalmus inquit, *Propter templum tuum in Jerusalem, reges offerent tibi munera.*

Sunt autem propria regum munera in ecclesiam conferenda, inquirere veram doctrinam, et curare, ut boni doctores præficiantur ecclesiis, dare operam, ut rite dijudicentur ecclesiasticæ controversiæ, non delere piam doctrinam, sed excitare potius ac propagare, et defendere, concordiam ecclesiæ recte constituere et tueri. His veris muneribus, potes nunc, optime Imperator, ornare Christi ecclesiam, quæ quidem a te præcipue et Christus requirit ipse, et petunt ecclesiæ, quibus opus est pace. Postremo, cum humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maxime in ecclesia, in qua longe pluris fieri debent salus piorum, dilectio, et pax publica, quam

ullæ traditiones humanæ, multo satius est dissimulare abrogationem hujus traditiunculæ de cœlibatu, quam confirmare libidines, dissipare conjugia, suscipere sævitiam in sacerdotes et eorum conjuges ac liberos, opprimere piam doctrinam, vastitatem efficere in ecclesiis.

Etsi autem mundus omnibus ætatibus dedit insignes pœnas libidinum, ut historiæ testantur de diluvio, de Sodomis, de Davide, denique innumerabiles ethnicæ historiæ, tamen homines prophani leviter curant judicium Dei, rident libidines, ideo tolerant pollutos et contaminatos sacrificulos. Ad hoc accedit, quod cœlibes facilius possunt tueri opes ecclesiasticas, et hunc splendorem, qui nunc est procerum ecclesiasticorum, quem, quia reges sibi ornamento esse putant, majore studio cœlibatum defendunt. Sed Evangelium jubet nos anteferre mandatum Dei prophanis judiciis et utilitatibus, ostendit late vagari pœnas libidinum per totas gentes, et pollutos cœcitate et æternis suppliciis puniri. Jubet uti conjugio et ordinationi Dei obtemperari, qui ita condidit naturam hominum, ut perpetua societas sit duorum conjugum, maris et fœminæ. Monet cultus Dei esse obtemperare ordinationi et voci Dei, et fugiendas esse superstitiones pugnantes cum ordinatione divina. Ideo sustulimus prohibitionem conjugii, et sentimus abolendam esse in tota ecclesia. Et quia non dubitamus peccare omnes qui defendunt prohibitionem illam, nos sacerdotibus legitima et pia matrimonia concedimus. Nec opus est in hac causa disputatione longiore: opus est judice qui non ridet libidines, sed iram Dei metuit, et vera pietatis officia intelligere studet; deinde qui odit injustam crudelitatem, quæ hoc tempore adversus sacerdotes maritatos et eorum conjuges ac liberos exercetur. Rogamus igitur Imperatorem, ne pontificiam legem de cœlibatu, pugnantem cum mandatis Dei, et cum veteribus synodis, defendat, nec sit autor aut adjutor injustæ crudelitatis, nec truci-

datis piis sacerdotibus polluat se parricidiis. Nam cum cæteras injustas cædes Deus atrociter punit, tum maxime irascitur his, qui sævitiam in sacerdotes pios exercent, ut inquit 4 Regum ix. *Ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum*, &c. Quid est indignius, quam imperia quæ divinitus instituta sunt, ut veram doctrinam de Deo, veros Dei cultus, honesta conjugia, bonos mores tueantur, transferri ad delendam veram doctrinam, ad dissipanda conjugia, ad confirmandas et augendas flagitiosas libidines pontificum, sacerdotum, et monachorum? Quam miserabile spectaculum est, cum reges, qui debebant esse imago Dei in terris, non Deo serviunt, sed furori Diaboli confirmantis horribilia peccata, idolomaniam, libidines, et injustam crudelitatem? Porro cum de ecclesiæ et piorum defensione scriptum sit, *Beatus qui miseretur super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*, optamus ut omnes reges et principes adficiantur hac voce cœlesti, et tegant pios sacerdotes, et eorum conjuges ac liberos, quos quidem Deo curæ esse non dubitamus.

De Votis Monachorum.

QUID de votis monachorum apud nos doceatur, melius intelliget si quis meminerit qualis status fuerit monasteriorum, quam multa contra canones in ipsis monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia; postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiam si non deessent anni, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant cogebantur manere, etiam si quidam be-

neficio canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in monasteriis virginum quam monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas et adolescentes in monasteria detrudi propter victum, videbant quam infœliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientiis injiceret. Dolebant autoritatem canonum in re periculosissima omnino negligi et contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis monachis, si qui paulo cordatiores fuerunt, docebant vota paria esse baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, et justificationem coram Deo. Imo addebant, vitam monasticam non tantum justitiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia servaret non modo præcepta, sed etiam consilia evangelica.

Ita persuadebant monasticam professionem longe meliorem esse baptismo, vitam monasticam plus mereri quam vitam magistratuum, vitam pastorum et similium, qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus suæ vocationi serviunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in monasteriis? Olim erant scholæ sacrarum literarum, et aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles ecclesiæ, et sumebantur inde pastores, et episcopi. Nunc alia res est; nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conveniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam remissionem peccatorum et justificationem, immo prædicant esse statum perfectionis, et longe præferunt omnibus aliis vitæ generibus a Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non

sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei, *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Neque mandatum solum, sed etiam creatio et ordinatio Dei, cogit hos ad conjugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud, *Non est bonum homini esse solum.* Igitur non peccant isti qui obtemperant huic mandato et ordinationi Dei.

Quid potest contra hæc opponi? exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei. Canones docent in omni voto jus superioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quod si obligatio votorum nullas haberet causas cur mutari possit, nec Romani pontifices dispensassent. Neque enim licet homini obligationem quæ simpliciter est juris divini rescindere. Sed prudenter judicaverunt Romani pontifices æquitatem in hac obligatione adhibendam esse. Ideo sæpe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de rege Arragonum revocato ex monasterio, et extant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adversarii seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte et consulto conceptum? At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas non est ignotum. Et quotusquisque sponte et consulto vovit? Puellæ et adolescentes, priusquam judicare possunt, persuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.

Plerique canones rescindunt vota ante annum 15 contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum esse judicii, ut de perpetua vita constitui possit.

Alius canon, plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18 votum fieri. Sed utrum sequemur, maxima pars habet excusationem cur monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt. Postremo, etiam si voti violatio reprehendi posset, tamen non videtur statim sequi, quod conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolvi 27. quæst. 1. cap. Nuptiarum, cujus non est levis autoritas, etiamsi alii postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur plerosque liberare a votis, tamen afferunt nostri et aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus et electus ad promerendam remissionem peccatorum et justificationem, impius est, sicut Christus ait, *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et Paulus ubique docet, justitiam non esse quærendam ex nostris observationibus et cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem credentibus se habere Deum placatum et propitium propter Christum, non propter ulla nostra merita.

Constat autem monachos docuisse, quod factitiæ religiones mereantur remissionem peccatorum et justificationem, et quod pro peccatis satisfaciant. Quid hoc est aliud quam de gloria Christi detrahere et obscurare, ac negare justitiam fidei? Sequitur igitur ista vota usitata impios cultus fuisse; quare sunt irrita. Nam votum impium, et factum contra mandata Dei non valet, neque enim debet votum vinculum esse iniquitatis, ut canon dicit.

Paulus dicit, *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini, a gratia excidistis*; id est, qui sentiunt quod mereantur propriis operibus remissionem peccatorum, et quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec sentiunt quod propter Christum gratis accipiant fide donatam remissionem peccatorum per misericordiam Dei, et quod

propter Christum placeant Deo, hi amittunt Christum, quia fiduciam debitam Christo et promissioni Dei transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Christum, sed propria opera, quare honorem debitum Christo transferunt ad opera nostra. Constat autem monachos hoc docere, quod suis observationibus mereantur remissionem peccatorum, quod habeant Deum propitium propter has observationes; quare docent confidere suis operibus, non propitiatione Christi. Hæc fiducia est impia, et cum evangelio pugnat, et in judicio Dei deprehendetur esse inanis. Non enim possunt opera nostra opponi iræ ac judicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam propter Christum promissam fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiduciam non in Christum, sed in opera propria collocant.

Præterea monachi docuerunt suum vitæ genus statum esse perfectionis, quia observarent non solum præcepta, sed etiam concilia. Hic error maxime pugnat cum evangelio, quod finxerunt se præceptis ita satisfacere, ut amplius etiam facerent. Et hinc natus est horribilis error, quod finxerunt se habere merita supererogationis. Hæc applicaverunt pro aliis, ut satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiose velit exagitare, quam multa commemorare possit, quorum jam ipsos monachos pudet.

Non est leve scandalum in ecclesia, populo proponere certum cultum ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, et docere, quod talis cultus justificet homines. Quia justitia fidei in Christum, quam maxime oportet tradi in ecclesia, obscuratur, cum illæ mirificæ religiones angelorum, simulatio paupertatis et humilitatis, et cœlibatus, offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, et verus cultus Dei, cum audiunt homines solos monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est

serio timere Deum, et rursus concipere magnam fidem, et confidere propter Christum quod habeamus Deum placatum, petere a Deo, et certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem; interim foris diligenter facere bona opera, et servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, et verus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut veste sordida. Ac populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falsis præconiis vitæ monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideo cum offensione conscientiæ versatur in conjugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negotiatur. Audit consilium evangelicum esse de non vindicando, ideo alii in privata vita non verentur ulcisci, audiunt enim consilium esse non præceptum; alii, omnes magistratus et civilia officia judicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum, qui, deserto conjugio, deserta reipublicæ administratione, abdiderunt se in monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, et quærere vitæ genus quod Deo magis placeret, nec videbant Deo serviendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum et perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem monachorum de perfectione, et testatur suis temporibus novam vocem fuisse, quod vita monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod mereantur remissionem peccatorum et justificationem, quod sint perfectio Christiana, quod servent consilia et præcepta, quod habeant opera supererogationis. Hæc omnia, cum sint falsa et inania, faciunt vota irrita.

De Potestate Ecclesiastica.

MAGNÆ disputationes fuerunt de potestate episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem ecclesiasticam, et potestatem gladii. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum pontifices, freti potestate clavium, non solum novos cultus instituerunt; reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt; sed etiam regna mundi transferre et imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii et eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen ecclesiasticæ potestatis, et potestatis gladii, et docuerunt utramque propter mandatum Dei religiose venerandam et honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem episcoporum, juxta evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata, et administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit apostolos, *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Marc. xvi. *Ite, prædicate evangelium omni creaturæ*, &c.

Hæc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando evangelium, et porrigendo sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus Sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere, nisi per ministerium verbi et sacramentorum, sicut Paulus dicit, *Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Itaque cum potestas ecclesiastica concedat res æternas, et tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi

nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quam evangelium. Magistratus defendit, non mentes, sed corpora et res corporales, adversus manifestas injurias, et coercet homines gladio, et corporalibus pœnis, ut justitiam civilem et pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates, ecclesiastica et civilis; ecclesiastica suum mandatum habet, evangelii docendi et administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Item, *Quis constituit me judicem aut divisorem super vos?* Et Paulus ait Philipp. iii. *Nostra politia in cœlis est.* 2 Corinth. x. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes,* &c. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, et jubent utramque honore afficere et agnoscere, utramque Dei donum et beneficium esse.

Si quam habent episcopi potestatem gladii, hanc non habent ut episcopi ex mandato evangelii, sed jure humano donatam a regibus et imperatoribus, et administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est quam ministerium evangelii.

Cum igitur de jurisdictione episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum evangelium, seu ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit episcopis ut episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi et sacramentorum, nisi remittere peccata; item, cognoscere doctrinam, et doctrinam ab evangelio dissentientem rejicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere a communione ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic

necessario, et de jure divino, debent ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.*

Verum cum aliquid contra evangelium docent aut statuunt, tunc habent ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matt. vii. *Cavete a pseudoprophetis.* Gal. i. *Si angelus de cœlo aliud evangelium evangelizaverit, anathema sit.* 2 Corin. xiii. *Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* Item, *Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem.* Sic et canones præcipiunt. 2. q. 7. cap. Sacerdotes, et cap. Oves. Et Augustinus contra Petiliani epistolam inquit, "Nec catholicis episcopis consentiendum est, "sicuti forte falluntur, aut contra canonicas Dei "scripturas aliquid sentiunt."

Si quam habent aliam vel potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, &c. hanc habent humano jure, ubi, cessantibus ordinariis, coguntur principes vel inviti suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc disputatur, utrum episcopi seu pastores habeant jus instituendi ceremonias in ecclesia, et leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus, &c. condendi. Hoc jus qui tribuunt episcopis, allegant testimonium, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Allegant etiam exemplum apostolorum, qui prohibuerunt abstinere a sanguine, et suffocato. Allegant sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur quam mutatio sabbati. Magnam contendunt ecclesiæ potestatem esse, quod dispensaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quod episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra evangelium, ut supra ostensum est. Docent

idem canones 9. Distin. Porro contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, ut per eam observationem mereamur remissionem peccatorum et satisfaciamus pro peccatis. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus observationibus conamur mereri remissionem peccatorum et justificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in ecclesia pene in infinitum crevisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide et justitia fidei, quia subinde plures feriæ factæ sunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, novi honores sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur se autores talium rerum, his operibus mereri remissionem peccatorum et justificationem. Sic olim creverunt canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item plerique scriptores fingunt in Novo Testamento oportere cultum similem esse Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus apostolis et episcopis. Et videntur scriptores exemplo legis Mosaicæ decipi, quasi justitia Novi Testamenti sit externa observatio certorum rituum, sicut justitia legis erat externa observatio certorum rituum. Sicut igitur in lege peccatum erat edere suillam carnem, &c. ita in Novo Testamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in vestitu, et similibus rebus. Et existimant sine his rebus justitiam Novi Testamenti non posse existere. Hinc sunt illa onera, quod certi cibi polluant conscientiam, quod horas canonicas omittere sit mortale peccatum, quod jejunia mereantur remissionem peccatorum, quod sint necessaria ad justitiam Novi Testamenti, quod peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reservantis, cum quidem ipsi canones tantum de reservatione pœnæ canonicæ loquantur, non de reservatione culpæ.

Unde habent jus episcopi has traditiones imponendi ecclesiis ad gravandas conscientias? Extant

enim clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones, vel ad promerendam remissionem peccatorum, vel tanquam necessarias ad justitiam Novi Testamenti, aut ad salutem.

Paulus Coloss. ii. *Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei festi, novilunio aut sabbatis.* Item, *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes, quæ omnia pereunt usu, et sunt mandata et doctrinæ hominum, quæ habent speciem sapientiæ.* Item ad Titum aperte prohibet traditiones; *Non attendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium veritatem.* Et Christus Matth. xv. inquit, de his qui exigunt traditiones, *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum.* Et improbat tales cultus: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

Si jus habent episcopi onerandi ecclesias infinitis traditionibus, et illaqueandi conscientias, cur toties prohibet Scriptura condere et audire traditiones? cur vocat eas traditiones dæmoniorum? num frustra hæc præmonuit Spiritus Sanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes institutæ tanquam necessariæ, aut cum opinione promerendæ remissionis peccatorum, pugnent cum evangelio, quod non liceat ullis episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necesse est enim in ecclesiis retineri doctrinam de libertate Christiana, quod non sit necessaria servitus legis ad justificationem, sicut in Galatis scriptum est, *Nolite iterum jugo servitutis subjici.* Necesse est retineri præcipuum evangelii locum, quod remissionem peccatorum et justificationem per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, et similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent,

quod liceat episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in ecclesia, non ut per illas mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes convenit ecclesias propter charitatem et tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine et sine tumultu omnia fiant in ecclesiis. Verum ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac judicent se peccare, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, et similium feriarum, et rituum. Nam qui judicant Ecclesiæ autoritate, pro sabbato institutam esse diei Dominici observationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura concedit, ut observatio sabbati nunc sit libera. Docet enim ceremonias Mosaicas post revelatum evangelium non necessarias esse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus quando convenire deberet, apparet ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianæ libertatis, et scirent nec sabbati nec alterius diei observationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de ceremoniis novæ legis, de mutatione sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, quod oporteat in ecclesia cultum esse similem Levitico. Et quod Christus commiserit apostolis et episcopis excogitare novas ceremonias, quæ sint ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in ecclesiam, cum

justitia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant diei Dominici observationem non quidem juris divini esse, sed quasi juris divini; præscribunt de feriis, quatenus liceat operari. Hujusmodi disputationes quid sunt aliud nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epiikizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur justitia fidei, et libertas Christiana.

Apostoli jusserunt abstinere a sanguine, quis nunc observat? neque tamen peccant qui non observant, quia ne ipsi quidem apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Est enim perpetua voluntas evangelii consideranda in decreto. Vix ulli canones servantur accurate, et multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissime defendunt traditiones. Nec potest conscientiis consuli, nisi hæc æquitas servetur, ut sciamus eos sine opinione necessitatis servari, nec lædi conscientias, etiamsi traditiones exolescant.

Facile autem possent episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare traditiones, quæ bona conscientia servari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi jurent se puram evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt ecclesiæ ut episcopi honoris sui jactura sarciant concordiam, quod tamen decebat bonos pastores facere. Tantum petunt ut injusta onera remittant, quæ nova sunt, et præter consuetudinem ecclesiæ catholicæ recepta. Fortassis initio quædam constitutiones habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas esse, quare pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, ut

ostendunt ipsi canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam apostolicam sequi, quæ præcipit, Deo magis obedire, quam hominibus. Petrus vetat episcopos dominari, et ecclesiis imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur evangelium pure doceri, et relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinacia sua causam schismati præbent.

Epilogus.

Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam, quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen ut fugeremus prolixitatem præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile judicari possunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentiis, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Infinitæ contentiones erant pastoribus cum monachis, de jure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinariis concionibus, et de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia prætermisimus, ut illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breviter proposita, facilius cognosci possent. Neque hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata sunt, quæ videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit in doctrina ac ceremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut ecclesiam catholicam, quia manifestum est, nos diligentissime cavisse, ne qua nova et impia dogmata in ecclesias nostras serperent.

Hos articulos supra scriptos, voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus Confessio nostra extaret, et eorum qui apud nos docent doctrinæ summa

cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, juxta scripturas exhibere.

Cæsareæ Majest. V.

Fideles et subditi,

Joannes dux Saxoniæ elector.
Georgius marchio Brandenburgensis.
Ernestus dux Luneburgensis.
Philippus landgravius Hessorum.
Joannes Fredericus dux Saxoniæ.
Franciscus dux Luneburgensis.
Volfgangus princeps ab Anhalt.
Senatus magistratusque Nurnbergensis.
Senatus Reutlingensis.

CONFESSIO SAXONICA.

PRÆFATIO.

NECESSE est interrogatos recitare doctrinam, præsertim cum accusantur ecclesiæ, quod vel errore falsa dogmata sparserint, aut receperint, vel petulantia moveant seditiones, et a communi sensu temere discedant propter ambitionem, odia, avaritiam, cupiditatem vindictæ, aut alios pravos affectus. Itaque et jussi, vere et bona fide iterum recitabimus doctrinam in ecclesiis nostris sonantem; quam etsi alii magis, alii minus erudite aut perspicue tradunt, tamen sine discordia in fundamento omnes pastores in ecclesiis nostris amplectuntur. Quanquam autem scimus periculosam esse veritatis confessionem, tamen propter multas honestas causas eam non gravatim repetimus. Primum, quia cum multa falsa crimina apud reges et apud exteras nationes in nos conferantur, et odia contra nos variis calumniis accensa sint, hæc commemoratio mendacia illa refutabit, et aliquorum iracundiam leniet. Deinde, sæpius repetere veram doctrinæ explicationem, Deo gratum est: et aliqui, cognitis fontibus, ad veritatem invitantur. Necesse est nos etiam ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus, ne posteritas de nobis secus judicet: et ut aliqui his nostris testimoniis commonefacti, veritatem inquirant, et in veris sententiis confirmentur. Speramus etiam, eos qui considerabunt historiæ seriem et initia horum certaminum, intellecturos esse nos nec errore, nec ulla prava cupiditate hanc doctrinam amplexos esse, et tueri. Nullum majus scelus est, quam agnitæ veritati adversari; sicut scriptum est: *Blasphemia Spiritus non remittetur*. Nos igitur, cum audivissemus perspicuam veritatem de rebus necessariis, de pœniten-

tia, de fide accipiente remissionem peccatorum, de lege, de gratia, de vera invocatione, de discrimine verorum et falsorum cultuum, de usu sacramentorum, et aliis necessariis doctrinæ partibus, adsentiri, et Deo gratias agere pro hoc immenso beneficio oportuit, quod, reddita evangelii luce, plures ad se convertit. Cum enim scriptum sit, *Pater, sanctifica eos in veritate tua; sermo tuus est veritas:* ecclesia colligitur non falsis opinionibus et superstitionibus, sed incorrupta evangelii voce. Itaque si constabit genus doctrinæ, quod amplexi sumus, verum, et necessarium esse ecclesiæ, non sophisticum, non seditiosum, non existimemur aut errore lapsi, aut curiositate, aut odio disciplinæ, ac levitate et licentiæ dulcedine, aut aliis pravis cupiditatibus impulsi, ut novis opinionibus adplauderemus.

Initium autem his disputationibus præbuit contentio de indulgentiis: quas cum monachus Tecelius in his regionibus venales circumferret, et in earum præconiis multa tetra mendacia scurrili impudentia spargeret, officii ratio pios doctores cogebat hos furores reprimere. Edidit igitur D. Lutherus propositiones pie et modeste scriptas, ad erudiendas et commonefaciendas ecclesias de tota doctrina pœnitentiæ. Hic pugnare Tecelius incepit, non solum clamosis concionibus, et suorum satellitum scriptis, sed etiam fulminibus condemnationum et excommunicationum. Ac cito ex Germania Romam perlata est fama horum certaminum, et duos statim belli socios habuit Tecelius, Romæ magistrum Palatii, et in Germania Eccium, qui Leonis bullam Roma attulit. Lutherus, quia veritatis defensionem abjicere non potuit, et tot modis irritabatur, edidit defensiones copiose scriptas, in quibus ut causarum magnitudo et varietas poscebat, de multis partibus doctrinæ ecclesiasticæ dici necesse fui.

Cum igitur multi errores et abusus in ecclesia multis jam seculis hæreant, quos multi docti et pii etiam ante hæc tempora et deplorarunt et taxave-

runt, fieri non potuit, quin hi errores et abusus reprehenderentur, cum de fontibus harum controversiarum dicendum esset. Quanquam autem et fuerunt, et sunt, et erunt dissimilia hominum judicia: tamen res ostendit, Deum voluisse depulsis tenebris apud multos restituere ministerium evangelii, et veram invocationem, et hac repurgatione doctrinæ passim sibi æternam ecclesiam colligere. Nec vero dici potest, nullos fuisse aut esse errores in doctrina et traditionibus adversariorum.

Maxime necessarium est in ecclesia extare doctrinam de pœnitentia, et de fide accipiente remissionem peccatorum incorruptam et perspicuam. Manifestum est autem, de hac præcipua parte doctrinæ ecclesiasticæ multos pernitiosos errores et labyrinthos tradi et confirmari ab adversariis. Extant enim libri, qui inde usque a trecentis annis in multorum manibus sunt. Quanta contumelia est adversus Filium Dei, quod dicunt homines mereri remissionem peccatorum propriis operibus, et justos esse impletione legis? Deinde cumulant errores, cum nemo sciat, quando satis habeat operum, jubent homines perpetuo dubitare, an habeant remissionem peccatorum, et an placeant Deo. Hic de Mediatore Filio Dei, et de fide accipiente gratuitam remissionem peccatorum, et vincente dubitationem, silentium est in adversariorum scriptis. Hi errores prorsus ethnica somnia sunt, et complectuntur aliud magnum chaos errorum. Fingunt depravationem in humana natura, quæ nominatur mala concupiscentia, non esse peccatum, id est, non esse malum pugnans cum lege Dei. Fingunt obedientiam, quæ præstari potest in hac vita, esse impletionem legis, et hominem hac impletione legis coram Deo justum esse. Postea in doctrina pœnitentiæ finxerunt inextricabilia deliramenta, oportere contritionem sufficientem esse, et hanc mereri gratiam.

De confessione flagitant enumerationem singulo-

rum delictorum: quæ est carnificina conscientiarum, impediens fidem et invocationem.

Nomen satisfactionum non intellectum, falso transtulerunt ad compensationes pro peccatis: et finxerunt opera non debita cultus Dei esse, et compensationes. Postea res ad quæstum translata est. Excogitatæ sunt indulgentiæ, ne ab ipsis quidem intellectæ, qui venales circumferebant. Et hæ præstigiæ obscurabant doctrinam de Filio Dei, de vera conversione, de fide, de invocatione, de veris cultibus.

Erat ignota tota hæc consolatio, necessaria omnibus, quomodo conversus ad Deum sit justus, et placeat Deo: qua de re in scriptis monachorum leguntur tantum pharisaicæ opiniones, nec ostenditur discrimen justitiæ fidei et disciplinæ. Præterea in multis regionibus aut silent conciones fere toto anno, aut si quæ fiunt, plenæ sunt vanitatis. Non enim continent doctrinam de beneficiis Filii Dei, sed indocti recitant fabulosas historias de sanctis, aut superstitiosas nænias traditionum, et doctiores ostentant philosophiam: nunc utrique, docti et indocti, tantum conviciantur Lutheranis, et damnant incognita. Præterea intueantur oculi ea quæ fiunt in ipsorum templis. Omnia plena sunt invocatione hominum mortuorum. In multis locis adhuc prostrati ad statuas, invocant alii alia numina, et aliis de causis. Ab Anna petuntur divitiæ, ut a Junone: a Georgio victoriæ, ut a Marte; denique ab aliis alia. Hi furores manifeste contumeliosi sunt adversus Deum. Quantum manifestæ turpitudinis oritur ex lege de cœlibatu? Quam multi homines tot seculis, alioqui amantes virtutem, polluti sunt horrendis peccatis, propter hoc vinculum, qui tandem desperatione et æternis pœnis oppressi sunt?

Vita monastica plena est falsarum opinionum et superstitionum, et multæ bonæ mentes pereunt ibi, ignorantes evangelium, et implicitæ laqueis stulta-

rum et impiarum traditionum. Ita et in reliqua ecclesia, multæ falsæ opiniones de humanis traditionibus a monachis et antea sparsæ sunt, quæ fidem et invocationem, et veros cultus alios a Deo mandatos obscuraverunt.

In templis etiam palam cernitur multiplex prophanatio cœnæ Domini, quam summa reverentia administrari oportuit. Legunt missas, et offerunt, ut loquuntur, plurimi sacrificuli, ignorantes quid agant: tantum consuetudini obtemperant, aut serviunt ventri. Alii superstitiosi, qui plus cogitant de hoc suo opere, fingunt se opus facere toti Ecclesiæ necessarium, quod mereatur facienti et aliis remissionem peccatorum. Postea fit aucupium maximi quæstus, fiunt sacrificia pro mortuis. Et templa magis occupata sunt funerum cæremoniis, quam voce concionum, aut exercitiis viventium. Nec populus recte docetur apud adversarios de usu sacramenti: quia docent monachi, sumentes ex opere operato, ut loquuntur, accipere remissionem peccatorum. Et una pars sacramenti populo adimitur: altera pars etiam extra usum institutum circumfertur, et adoratur contra rationem sacramenti: et additæ sunt falsæ opiniones multæ. Nihil dicunt hi de justitia fidei, et de vero usu sacramentorum: quæ non sunt merita, sed testimonia confirmantia fidem, ut suo loco dicemus. Hos morbos in ecclesia si quis aut dissimulare, aut excusare vult, facit injuste, et inter eos est de quibus dicitur: *Væ vobis qui dicitis malum bonum*, &c. Sunt enim publice noti omnibus non fascinatis tetra hypocrisi.

Diximus pauca de erroribus doctrinæ, et cultuum. Jam episcoporum aulæ aspiciantur, ubi non de communibus aularum vitiis et miseriis querimur, quales sunt in omnibus etiam parvis familiis, sed de neglectione præcipui officii. Ordinatio ministrorum, inspectio ecclesiarum, gubernatio studiorum doctrinæ, cura disciplinæ; hæ summæ res initio commendatæ fuerunt episcopis, quas fere ubique ab eis neg-

ligi manifestum est. Ita tenebræ, idola, disciplinæ laxatio pervaserunt in ecclesiam episcopis negligentibus sui muneris officia. Nunc magis negligunt, quam antea: et addunt tyrannidem adversus homines innocentes, ut idola et impias leges stabiliant.

Est et omnibus doctis nota vanitas constitutionum et opinionum, quæ tribuunt Romano episcopo etiam authoritatem regiam: qua opinione inflati pontifices, sæpe magna bella accenderunt. Non igitur nobis objici potest, nos falso queri de ecclesiastica gubernatione, et seditiose adversari gubernatoribus, sine justis causis: ac nos potius serere novas ac perniciosas opiniones. Multi enim tetri errores, et multi abusus adeo manifesti sunt, ut facillime agnosci et judicari ab omnibus communi sensu præditis possint. In talibus cum regulæ servandæ sint, *Non habebis deos alienos:* item, *Blasphemia Spiritus non remittitur:* item, *Si quis aliud evangelium docet, anathema sit:* necesse est nos dissentire ab iis qui mendacia et idola stabiliunt, et sonare nostram confessionem: qua in re et intra justas metas mansimus. Fideliter universam doctrinam Ecclesiæ, inquisitis fontibus, tradidimus, et tantum docendo eam propagavimus. Non fuimus tubæ seditionum: imo scriptis Lutheri magis illustrata et ornata est politica potestas, quam ullis scriptis aliorum post apostolos. Ut autem antea in multis scriptis sine ulla ambiguitate simpliciter recitavimus doctrinam et cæremonias ecclesiarum nostrarum, ita et nunc eandem commemorationem sine ambiguitate et sine corruptelis exhibemus: in qua satis conspicient omnes vere judicantes hoc tempore, et ad posteros, nos fideliter retinere consensum Ecclesiæ catholicæ Domini nostri JESU Christi, et illustrare doctrinam necessariam ad agnitionem Filii Dei, et ad salutem hominum: et non movere curiosas aut inutiles quæstiones. Et offerimus nos ad piam declarationem, in quacunque parte flagitabitur.

CONFESSIO DOCTRINÆ

SAXONICARUM ECCLESIARUM

SYNODO TRIDENTINÆ

OBLATA,

ANNO DOMINI MDLI.

In qua, Christiane lector, videbis, quinam e Catholicæ Ecclesiæ gremio resilierint: et per quos stet, quo minus Ecclesiæ pia concordia sarciatur.

I. *De Doctrina.*

CUM certissimum sit, Deum sibi in genere humano, propter Filium, et per eum, colligere æternam Ecclesiam voce doctrinæ, quæ scripta est in libris prophetarum et apostolorum: adfirmamus clare coram Deo et universa Ecclesia in cœlo et in terra, nos vera fide amplecti omnia scripta prophetarum et apostolorum: et quidem in hac ipsa nativa sententia, quæ expressa est in symbolis, Apostolico, Nicæno, et Athanasiano. Et hæc ipsa symbola, et eorum nativam sententiam sine corruptelis semper constanter amplexi sumus, et Deo juvante, perpetuo amplectemur. Et in hac fide verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia sua, misso Filio, et additis illustribus testimoniis, invocamus cum omnibus sanctis in cœlo et in terra. Et extant nostræ enarrationes in symbola, comprehendentes totum doctrinæ corpus et fundamentum, quæ ostendunt hanc nostram asseverationem verissimam esse.

Damnamus etiam constantissime omnes furores,

qui pugnant cum symbolis: ut sunt Ethnicorum, Judæorum, Mahometistarum, Marcionis, Manichæorum, Samosateni, Arii, Pneumatomachorum, portentosæ opiniones, et aliæ, condemnatæ veris Ecclesiæ judiciis. Cum autem controversiæ quæ exortæ sunt, præcipue pertineant ad duos articulos symboli, videlicet ad articulum, CREDO remissionem peccatorum; item, CREDO Ecclesiam sanctam catholicam: ostendemus harum controversiarum fontes, quibus consideratis intelligi poterit, nostras declarationes ipsam Evangelii vocem esse, et ab adversariis corruptelas in Ecclesia sparsas esse. Ac primum de articulo,

Credo remissionem peccatorum.

Hic multæ et magnæ corruptelæ adfinguntur ab adversariis: Credo, imo dubito, inquiunt: item, Tunc credam cum satis habebo meritorum: item non dicunt, Credo remissionem propter Filium Dei certo dari gratis, non propter ulla nostra merita, aut ullam dignitatem nostram: item non recte enarrant peccatum, et fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, et legis impletione justum esse coram Deo in hac vita. Ideo primum de peccato, et causa peccati, fideliter retineamus doctrinam veræ Ecclesiæ Dei.

Cum essentia divina sit unica, æternus Pater, coæternus Filius imago Patris, et coæternus Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedens, immensæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, verax, justa, benefica, casta, liberrima, sicut ipse sese describit in lege sua: et condiderit angelos et homines ideo, ut suam lucem, sapientiam, et bonitatem in omni æternitate eis communicaret, et essent templa Dei, in quibus Deus habitaret, ut esset Deus omnia in omnibus, ut Paulus loquitur: *Condidit initio eos justos, et bonos;* id est, congruentes cum mente et voluntate divina, et placentes ipsi: ac dona attribuit, videlicet illustrem notitiam de Deo, et de voluntate ejus, ut intelligerent se conditos esse a Deo, et ad obedien-

tiam ipsi præstandam: attribuit et libertatem voluntatis, ut nominant: et revera voluit obedientiam, sicut scriptum est, *Non volens Deus iniquitatem tu es: sed diaboli et homines libertate suæ voluntatis abusi, defecerunt a Deo, et hac inobedientia facti sunt rei iræ Dei, et amiserunt rectitudinem, in qua conditi erant.*

Itaque libera voluntas in diabolis et hominibus causa fuit ejus lapsus, non voluntas Dei, qui nec vult peccatum, nec approbat, nec adjuvat, sicut scriptum est, *Cum mendacium loquitur Diabolus, ex proprio loquitur, et pater est mendacii:* et 1 Joan. iii. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat.* Est autem peccatum, quicquid est contrarium justitiæ Dei, quæ est ordo in mente divina, quem et postea sua voce in Lege et Evangelio expressit: sive sit inobedientia originalis, sive actualis, propter quam et rea est persona iræ Dei, et damnatur æterna pœna, nisi fiat remissio in hac vita propter Filium Mediatorem.

Damnamus etiam furores Marcionis, Manichæorum, et similes, pugnantes cum vero consensu Ecclesiæ Dei in hac tota quæstione.

De Peccato Originis.

DE peccato originis perspicue etiam adfirmamus, nos retinere consensum veræ Ecclesiæ Dei inde usque a primis patribus, prophetis, apostolis, et ab apostolorum discipulis, usque ad Augustinum et deinceps traditum: et expresse damnamus Pelagium, et omnes qui similia deliramenta Pelagianorum in ecclesiam sparserunt. Ac dicimus, omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur ex commixtione maris et fœminæ, nascentes secum adferre peccatum originis, sicut Paulus inquit Rom. v. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum,*

et per peccatum mors: et Eph. ii. *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.*

Nec nobis displicet definitio usitata, dextre intellecta: Peccatum originis est carentia justitiæ originalis, debitæ inesse: quia justitia originalis non tantum fuit acceptatio generis humani coram Deo, sed etiam in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter adsentiri verbo Dei poterat: et conversio voluntatis ad Deum, et obedientia cordis congruens cum judicio legis Dei, quæ menti insita erat. Ac fuisset homo templum Dei, ut antea dictum est.

Hæc omnia complexam esse justitiam originis, potest ex hoc dicto intelligi: *Homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei,* quod interpretatur Paulus inquiens, *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate vera.* Ubi certe intelligit sanctitatem veram, omnes virtutes fulgentes in natura nostra divinitus, non arte adscitas, aut disciplina comparatas: ut nunc umbræ virtutum qualescunque sunt in hominibus ascitæ. Cum autem consideratur quid significet justitia originalis, deinde minus obscura est opposita privatio.

Est itaque peccatum originis, et propter lapsum primorum parentum, et propter hanc depravationem quæ lapsum secuta est, nascentes reos esse iræ Dei, et dignos æterna damnatione, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Et hæc depravatio est, carere jam luce Dei, quæ in nobis fulsisset: et est aversio voluntatis nostræ a Deo, et contumacia cordis repugnans legi mentis, ut Paulus loquitur: et hominem non esse templum Dei, sed miseram massam, sine Deo, et sine justitia.

Hos defectus, et hanc totam depravationem, dicimus esse peccatum, non tantum pœnam peccati, et rem indifferentem: sicut multi sententiarii dicunt, hæc mala tantum pœnam esse, et rem indifferentem, et non peccatum: et extenuant malum origi-

nis, et fingunt postea, homines posse legi Dei satisfacere, et propria legis impletione justos esse.

Vitandæ sunt in ecclesia ambiguitates. Ideo expresse nominamus hæc mala depravationem, quæ sæpe ab antiquis scriptoribus nominatur mala concupiscentia.

Discernimus autem appetitiones in natura conditas, a confusione ordinis, quæ post lapsum accessit, sicut Jerem. xvii. dicitur, *Pravum est cor hominis:* et Paulus inquit, *Sensus carnis inimicitia est adversus Deum.* Hanc malam concupiscentiam dicimus esse peccatum: et adfirmamus hanc totam doctrinam de peccato, sicut in ecclesiis nostris proponitur et declaratur, perpetuum esse veræ Ecclesiæ Dei consensum.

De Remissione Peccatorum, et Justificatione.

DICTUM est supra, has controversias pertinere ad explicationem duorum articulorum symboli: *Credo remissionem peccatorum*, et, *Credo Ecclesiam sanctam catholicam.* Nec de rebus non necessariis aut levibus dicimus. Maxime necessarium est, in ecclesia recte proponi doctrinam de peccato, et intelligi quid sit peccatum, et conspici discrimen inter judicia politica et judicium Dei.

Cum autem non recte ostendant adversarii quid sit peccatum, ut jam dictum est, confirmant malam securitatem in hominibus, et multas falsas opiniones. Postea etiam quid est tristius, quam hoc summum beneficium, remissionem peccatorum, et liberationem a morte æterna, vel obscurare, vel ignorare? Cumque nec discrimen sit inter Ecclesiam et alios homines, extincta luce de gratuita remissione peccatorum propter Filium, et de fide qua accipi remissionem oportet, nec consolatio sit alia retrahens nos ex morte æterna, nec invocatio vera sine hac consolatione fieri possit: et Deus ipse toties

præceperit audiri Filium, et custodiri Evangelium, quod est mirandum decretum prolatum ex arcano consilio divinitatis, cum ignotum esset omnibus creaturis: maxime necessarium est, veram de remissione doctrinam retineri incorruptam.

Sed omnibus ætatibus inde usque a primis patribus sparsæ sunt præstigiæ a diabolis, contra veram doctrinam de Filio Dei, præsertim in hoc articulo: quos tamen subinde refutavit Deus, excitatis rursus bonis doctoribus, ne funditus interiret Ecclesia. Ostenderunt Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, et alii deinceps, verum discrimen Ecclesiæ Dei, et aliorum hominum: et docuerunt, Ecclesiæ traditam esse promissionem de Mediatore Filio Dei, et de remissione peccatorum: et hanc fide accipiendam esse gratis, propter Mediatorem.

Et alligaverunt invocationem ad hunc Deum, qui se patefecerat edita promissione de Mediatore: et habuerunt externos ritus divinitus traditos, qui erant signa promissionis, et nervi publicæ congregationis.

Hos ritus, omissa doctrina promissionum et fidei, magna pars multitudinis imitata est: et cum adfingeret hanc persuasionem, homines his ritibus mereri remissionem peccatorum, cumulavit ritus, et paulatim processit audacia, ut fit, ut alii alia numina fingerent. Ita discesserunt ethnici a vera Dei Ecclesia, et ab agnitione veri Dei, et promissione Redemptoris. Idem accidit post Moysen. Institutæ erant ceremoniæ hanc ipsam ob causam, ut essent commonefactiones de Mediatore: sed multitudo oblita promissionis de Mediatore, de doctrina fidei, de gratuita remissione propter Mediatorem, finxit remitti peccata propter sacrificia, et ritus illos, et hac superstitione cumulavit sacrificia, et oblita est Mediatoris, et fuit sine vera consolatione, et sine vera invocatione. Idem accidit post apostolos amissa luce evangelii, in qua proponitur gratuita remissio propter Mediatorem accipienda fide: quæsita est remissio per exercitia monastica, per cœlibatum,

per varias observationes, per oblationem in missa, per intercessionem hominum mortuorum, et multæ monstrosæ superstitiones excogitatæ sunt, ut historiæ totius Ecclesiæ post apostolos ostendunt.

Adversus hos errores immensa misericordia Deus subinde vocem Evangelii restituit, ac ut in populo Israel subinde prophetas excitavit, qui doctrinam repurgarent: ita in ecclesia, post apostolos, cum scripta Origenica, et Pelagiana, et populi superstitio puritatem Evangelii corrupissent, tamen velut in caligine rursus accensa est lux ab Augustino: et hunc secuti sunt Prosper, Maximus, et alii qui falsas opiniones in hoc articulo taxaverunt.

Postea natis monachis, cum rursus late vagaretur opinio, quæ fingit homines mereri remissionem operibus, fuerunt tamen aliqui rectius sentientes, etiamsi fundamento stipulas adderent: ut Hugo, Bernhardus, Gilibertus, Guilhelmus Parisiensis, Taulerus, Ambrosius, Wessellus, et alibi alii. Et nunc voce Lutheri magis illustrata est, et perspicue restituta Evangelii doctrina, et monstratus agnus, sicut Baptista inquit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui non credit, manet ira Dei super eum.* Hanc ipsam vocem Evangelii incorruptam sonant etiam ecclesiæ nostræ: et expresse discernimus disciplinam, seu justitiam, quam potest efficere homo non renatus, a justitia fidei, et novitate de qua concionatur Evangelium. Dicimus, omnes homines disciplina coercendos esse: id est, illa justitia, quam etiam non renati præstare debent, et utcunque possunt, quæ est obedientia in externis actionibus, juxta omnia præcepta Dei ad omnes homines pertinentia. Quia Deus in homine post lapsum reliquit hanc libertatem, ut rationi et voluntati possint utcunque obedire externa membra, in externis motibus ciendis vel omittendis: ut Achilles potest gladium stringere, aut recondere in vaginam: Scipio

potest coercere membra, ne attingat alterius sponsam: ut hæc suo loco recte et copiose declarantur.

Hanc disciplinam a Deo præceptam esse, et puniri ejus violationem præsentibus pœnis et æternis, in his qui non convertuntur ad Deum, certissimum est; juxta illa dicta, *Lex est posita injustis:* item, *Qui gladium acceperit, gladio peribit:* item, *Scortatores et adulteros judicabit Deus:* item, *Væ qui spolias, quia spoliaberis.*

Etsi autem omnes homines hac disciplina suos mores regere debent, et Deus imperia severe hanc disciplinam tueri jubet, et ipse horribilibus pœnis declarat iram suam adversus hanc externam contumaciam: tamen hæc externa disciplina etiam sicubi est honestissima, nequaquam est impletio legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est justitia illa qua coram Deo accepti sumus: nec lux illa fulgens in natura hominum, sicut fulsit in nobis justitia in vita æterna. Sed tota hæc disciplina est qualiscunque externa gubernatio, similis folio ficus quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum. Nec magis tollit peccatum, et naturæ corruptionem et mortem quam tollebant illæ frondes fici. Ideo Paulus toties clamat, non tolli peccatum lege, Rom. iii. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram eo.* Et Rom. viii. *Cum legi impossibile esset justificare,* &c. Et Galat. ii. *Si per legem justitia est, frustra Christus est mortuus.* Et ad Tit. iii. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvavit nos.*

Et contumelia est Filii Dei fingere ulla nostra opera merita esse, seu precium remissionis peccatorum, et esse propitiationes pro peccato. Ideo pharisaica illa et Pelagiana deliramenta clare damnamus, quæ fingunt disciplinam illam esse impletionem legis Dei: item mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno, vel esse justitiam qua

homines coram Deo sint accepti. Sed Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, qui est imago æterni Patris, constitutus est mediator, propitiator, redemptor, justificator, et salvator. *Hujus unius obedientia et merito placatur ira Dei*, ut Rom. iii. dicitur: *Quem posuit propitiatorem per fidem in sanguine ejus:* et Heb. x. *Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata.* Ipse autem unicam pro peccatis offerens hostiam, in perpetuum sedet ad dexteram Dei, &c.

Etsi autem causas hujus mirandi consilii, cur hoc modo redimendum fuerit genus humanum, nondum in hac infirmitate cernimus, sed postea discendæ erunt in omni æternitate, tamen hæc initia nunc discenda sunt.

Conspiciuntur in hac victima justitia et ira Dei adversus peccatum, et immensa misericordia erga nos, et amor in Filio erga genus humanum. Tanta est justitiæ severitas, ut non sit facta reconciliatio, nisi pœna persolveretur. Tanta est iræ magnitudo, ut æternus Pater non sit placatus nisi deprecatione et morte Filii. Tanta misericordia, ut Filius pro nobis datus sit. Tantus amor in Filio erga nos, ut hanc veram et ingentem iram in se derivaverit. Harum maximarum et arcanarum rerum considerationem in pectoribus accendito tu, Fili Dei, Spiritu tuo Sancto, ut vere expavescamus agnitione iræ, et rursus vera consolatione erigamur, et te in omni æternitate celebremus.

Ut autem beneficia hujus Mediatoris nota essent generi humano, et nobis applicarentur, edita est promissio statim initio post lapsum primorum parentum, et deinde sæpius repetita, et voce prophetarum declarata: sed clarissime recitata per ipsum Filium, et deinde per apostolos: et institutum est ministerium docendi, et propagandæ promissionis, et condita ecclesia, et subinde instaurata hac ipsa voce de Filio Dei propitiatore. Per hoc ministe-

rium semper fuit, est, et erit efficax Filius Dei in credentibus, sicut Rom. i. dicitur: *Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.* Et instaurat ipse hoc ministerium, cum inquit, *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos: Ite prædicantes pœnitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo.* Vult argui peccatum in toto genere humano, sicut inquit, *Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.* Et Rom. i. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum.* Vult Deus agnosci iram suam adversus peccata omnia, et præcipue adversus contemptum Filii, sicut in Psal. inquit, *Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis de via,* &c. Vult nos vere expavescere agnitione tenebrarum, et horrendæ pravitatis et contumaciæ nostræ. Et quidem ipse Deus iræ suæ sensu corda opprimit, ut inquit Ezech. *Sicut leo contrivit omnia ossa mea.* Et ad hoc judicium non solum voce ministerii Legis et Evangelii utitur, sed etiam omnes calamitates humanæ sunt quasi vox legis, de ira Dei nos admonens, et omnes ad pœnitentiam invitans. Cum autem hac voce peccata arguente mens perterrefacta est, audiat promissionem Evangelii propriam de Filio Dei, et statuat sibi remitti peccata gratis propter Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum propitiatorem, per misericordiam, non propter contritionem aut dilectionem nostram. Hac fide cum erigitur, certum est donari remissionem peccatorum, reconciliationem et imputationem justitiæ, propter ipsius Christi meritum: et Christum in nobis efficacem esse, et suo Spiritu Sancto vivificare credentes et ex æterna morte nos liberare, et facere nos simul hæredes vitæ æternæ. Ita inquit Paulus Rom. iii. *Decernimus fide justificari hominem, sine operibus legis.* Item, *Justificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus.* Et Act. x.

Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.

Sunt autem nota vocabula. Fides significat non tantum historiæ notitiam, qualis et in diabolis est, de quibus dicitur, *Dæmones credunt et contremiscunt:* sed significat amplecti omnes articulos fidei, et in his hunc articulum, *Credo remissionem peccatorum:* Nec tantum aliis eam dari credo, sed mihi quoque.

Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, juxta illud: *Justificati fide, pacem habemus.* Ita loquitur Paulus de fide, quæ adsentiens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur et amplectitur, copulat enim fidem et promissionem. Rom. iv. *Ideo ex fide, ut sit firma promissio.*

In declaratione vocabuli *justificari*, usitate dicitur: *justificari* significat, ex injusto justum fieri, quod recte intellectum, hic quoque quadrat. Ex injusto, id est, reo et inobediente, et non habente Christum, fieri justum, id est, absolutum a reatu, propter Filium Dei, et apprehendentem fide ipsum Christum, *qui est justitia nostra*, ut dicunt Jeremias et Paulus, quia ejus merito habemus remissionem, et Deus justitiam nobis imputat, et propter eum nos justos reputat, et dato Spiritu suo Sancto nos vivificat, et regenerat, sicut et Joan. v. dicitur: *Hæc est vita in Filio ejus. Qui habet Filium, habet vitam æternam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Et Rom. iii. *Ut sit ipse justus et justificans.* Quanquam autem simul inchoatur novitas, quæ in vita æterna erit perfecta, ad quam redemti sumus: tamen persona in hac vita non propter novas qualitates aut opera est justa, id est, Deo accepta, et hæres vitæ æternæ; sed propter ipsum Mediatorem passum, resuscitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem et vivificantem. Quanquam enim sunt inchoatæ virtutes, tamen adhuc sunt imperfectæ, et hærent in nobis re-

liquiæ peccati. Ideo tenenda est hæc consolatio, placere personam propter Filium Dei, imputata nobis ipsius justitia, sicut Rom. iv. dicitur, *Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad justitiam:* item, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Itaque et correlative intelligenda est hæc oratio, *Fide justificamur*, hoc est, fiducia Filii Dei justificamur, non propter nostram qualitatem, sed quia ipse est propitiator, in quo cor acquiescit, fiducia promissæ misericordiæ propter eum, quam fiduciam ipse Spiritu suo Sancto exsuscitat, sicut inquit Paulus: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

Hic et de particula exclusiva dicendum est. Toties repetit Paulus vocabulum *gratis*, qua voce certissimum est excludi conditionem meritorum nostrorum. Ideo in ecclesiis nostris dicitur: *Fide sola justificamur:* quod sic intelligimus, et declaramus: gratis, propter solum Mediatorem, non propter nostram contritionem, seu alia nostra merita, donamur remissione peccatorum, et reconciliatione. Etsi enim contritio et aliæ virtutes multæ cum fide, seu hac fiducia simul accenduntur: tamen hæ virtutes non sunt causa, seu meritum remissionis peccatorum, nec propter eas persona placet: juxta illud, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* sed habet remissionem et placet persona certo propter Mediatorem, quem fide apprehendi oportet, ut ad Ephes. cap. iii. dicitur: *Per quem audemus accedere in fiducia, quæ est per fidem in eum.* Hæc tota doctrina fit illustrior in vera conversione et quotidiana invocatione piorum. Cum expavescimus agnitione iræ Dei, hæc una est firma consolatio, confugere ad Filium Dei, qui inquit, *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Item, *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Item, *Gratia exuberat supra peccatum.* In his doloribus si

doces hominem, dubitandum esse de remissione peccatorum, vincet dolor, et sequentur tristissimi fremitus adversus Deum, et desperatio, et mors æterna. Sed si doceas, fide vincendam esse dubitationem, intelliget jam vocabulo *fidei* non tantum significari notitiam historiæ, intelliget fiduciam niti solo Mediatore, intelliget quid dicatur his verbis, Gratis propter Mediatorem sola fide accipitur remissio, et placet persona.

Hæc lucta omnibus temporibus aliquos erudiit, ut has veras consolationes aliquo modo intelligerent. Etsi enim Origenes, et multi scriptores et sententiarii, aliud genus doctrinæ insincerum pepererunt: tamen in Augustino, et aliis quibusdam, leguntur dicta quæ ostendunt, eos ex his veris fontibus etiam hausisse consolationes.

Quanquam autem interdum improprie loquuntur, aut dissimilia dicunt, quia in loquendo negligentiores fuerunt: tamen quæ fuerit eorum perpetua sententia, si dextre judicare volumus animadverti potest. Augustinus in Psal. xxxi. inquit, "Qui "sunt beati? non illi, in quibus non inveniet pec- "cata: nam in omnibus invenit. *Omnes enim* "*peccaverunt, et carent gloria Dei.* Si ergo in "omnibus peccata inveniuntur, remanet quod non "sunt beati, nisi quorum remissa sunt peccata. "Hoc ergo apostolus sic commendavit: *Credidit* "*Abraham Deo, et imputatum est ei ad justitiam.*" Hic certe Augustinus fidem intelligit fiduciam, quæ accipit remissionem peccatorum: et quod est dictum in Genesi, et in Paulo, prorsus intelligit sicut nos enarramus. Alibi de Spiritu et litera inquit: "Ex lege timemus Deum, et fide confugimus ad "misericordiam." Bernardus in concione de Annunciatione: "Necesse est primum omnium cre- "dere, quod remissionem peccatorum habere non "possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde, ut "credas et hoc, quod per ipsum peccata tibi donan- "tur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus

" Sanctus in corde tuo, dicens: *Remissa sunt tibi* " *peccata tua.* Sic enim arbitratur Apostolus, gratis " justificari hominem per fidem." In hoc dicto perspicue et proprie citatur sententia ecclesiarum nostrarum, et extant similia testimonia apud hunc authorem. Basilius etiam propriissime recitat nostram sententiam, in concione de humilitate, his verbis: " Qui gloriatur in Domino glorietur, dicens " quod Christus nobis factus sit sapientia a Deo, et " justitia, et sanctificatio, et redemptio, sicut scrip- " tum est: *Qui gloriatur in Domino glorietur.* " Hæc est enim perfecta et integra gloriatio, in Deo, " quando neque propter suam justitiam quisquam " effertur, sed agnoscit se indigere vera justitia, fide " autem sola in Christum justificari."

Cum igitur ex his quæ jam dicta sunt, manifestum fit, quid significet vocabulum *fidei*, in hac propositione, fide justificamur: hinc intelligi potest, perniciose errare monachos, et alios qui jubent conversos ad Deum dubitare an placeant Deo.

Hunc vulgarem errorem de dubitatione manifeste refutant hæc dicta: *Justificati fide, pacem habemus.* Item, *Ideo ex fide, ut sit firma promissio.* Donec enim excruciantur dubitatione corda, fugiunt Deum, non acquiescunt in Deo, non invocant. Et promissio fit eis inanis sonitus, quia non adsentiuntur ei.

Postremo Dei mandatum est æternum et immotum, ut credamus Filio Dei, juxta hoc dictum: *Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.* Item, 1 Johan. v. *Qui non credit Deo, accusat eum mendacii.* Est autem insulsa cavillatio, quod dicunt, dubitandum esse propter nostram indignitatem, non propter misericordiam. Ideo enim edita est promissio, ideo Filius Dei Mediator constitutus est, quia nos indigni sumus: et ut Pater propter ipsum passum, resuscitatum, et deprecantem pro nobis, et habitantem in nobis, ac vestientem nos sua justitia, certe sit propitius huic miseræ massæ, in-

dignæ, et plenæ sordium, juxta illud: *Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Jesu ambulant.* Absurdum est etiam, quod dicunt, nostræ indignitatis causa dubitandum esse. Non enim dubitandum est an displiceat indignitas, sed veris gemitibus fateamur nos indignos esse, et apponamus promissionem, cui adsentiri mandatum Dei est. Nec recte accommodatur ad hanc dubitationem, sententia in Ecclesiaste ix. *Nescit homo, an amore vel odio dignus sit.* Amentia est fingere Salomonem hoc velle, nec justos, nec injustos debere statuere, an placeant, an displiceant Deo: cum certissimum sit, perseverantes in sceleribus contra conscientiam, displicere Deo. Sed abducit nos Salomon a spectaculis externis ad verbum Dei, quasi dicat: Ex rebus secundis non statuas te placere Deo, nec propter res adversas displicere. Non ideo placet Alexander, quia vincit, et magno imperio potitur: Job in calamitate, David in exilio, non ideo statuunt se abjectos esse a Deo, quia sunt ærumnosi. Non ex his eventibus, seu externis spectaculis judicent, sed ex verbo Dei. Etiam in media calamitate affertur consolatio: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris*, &c. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat*, &c. Denique error de dubitatione, prorsus ethnica imaginatio est, ac Evangelium abolet, et in conversione veram consolationem iis qui sentiunt iram Dei adimit.

Docendi sunt potius homines, hanc certo vocem Evangelii esse ut Filio Dei credamus, ac statuamus gratiam exuberare supra peccatum: ideoque repugnemus dubitationi, et eluctemur, et fide eam vincamus, ut accedere ad Deum, invocare eum, et ei gratias agere possimus. Hi summi cultus horribiliter impediuntur, quandocunque animi concutiuntur fluctibus dubitationum, ut experientia ostendit. Hinc perspicuum est, quare decretum Tridentinæ synodi, quod confirmat errorem de dubitatione, taxari necesse sit.

Ex his omnibus etiam intelligi potest, juste reprehendi synecdochen eorum qui sic interpretantur Paulum: *Fide justificamur*, id est, formata dilectione, ut ipsi loquuntur. Nam vocabulum fidei intelligunt tantum de notitia, et cogitant hanc esse sententiam: *Fide justificamur*, id est, præparamur ad justitiam: id est, ad cæteras virtutes, quæ sunt obedientia et impletio legis. Ita tantum hoc dicunt: hominem esse justum propter proprias virtutes: deinde jubent dubitare, an sit ornatus illis habitibus, de quibus loquuntur.

Ostendimus autem supra, fide significari fiduciam acquiescentem in Filio Dei propitiatore, propter quem recipimur et placemus, non propter nostras virtutes, aut legis impletionem. Cum autem in hac ipsa consolatione, fiducia, qua acquiescimus in Filio Dei, vere sit motus accensus a Spiritu Sancto, quo vivificatur cor, et liberatur ex æterna morte, dicitur hæc conversio, regeneratio, Joan. iii. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu.* Et fit homo jam vere domicilium Dei, qui est in eo efficax, ut Joan. xiv. dicitur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.* Æternus Pater, et Filius, Spiritu suo Sancto vivificant, et renovant corda. In hac consolatione, cum fide eriguntur, sicut Paulus inquit Gal. iii. *Ut promissionem Spiritus accipiatis per fidem.*

Non igitur loquimur de otiosa notitia: et errant imperiti, qui existimant remissionem peccatorum contingere otiosis, sine aliquo motu animi, sine certamine, et sine sensu consolationis in veris doloribus, in ea ætate quæ jam intelligere vocem doctrinæ potest; juxta illud: *Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.* Et quia conscientiis in pœnitentia consolationem proponimus, non addimus hic quæstiones de prædestinatione, seu de electione: sed deducimus omnes lectores ad verbum Dei, et jubemus ut voluntatem Dei ex verbo ipsius discant,

sicut æternus Pater expressa voce præcipit, *Hunc audite*. Non quærant alias speculationes.

Certissimum est, prædicationem pœnitentiæ ad omnes homines pertinere, et accusare omnes homines. Ita et promissio universalis est, et omnibus offert remissionem peccatorum, juxta illa dicta universalia: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, ego reficiam vos.* Item Joan. iii. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat.* Rom. x. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* Item, *Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum.* Rom. xi. *Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur.*

In hanc universalem promissionem singuli se includant, et non indulgeant diffidentiæ, sed luctentur ut adsentiantur verbo Dei, et obsequantur Spiritui Sancto, et juvari se petant, sicut dictum est, Lucæ xi. *Quanto magis dabit Spiritum Sanctum petentibus?*

V. *De libero Arbitrio.*

JAM hic nota sit etiam doctrina de libero arbitrio. Semper in ecclesia homines recte eruditi distinxerunt disciplinam et novitatem Spiritus, quæ est initium vitæ æternæ: et docuerunt, in homine libertatem voluntatis talem esse, ad regendos externos motus membrorum, qua etiam non renati utcunque disciplinam, quæ est externa obedientia juxta legem, præstare possunt. Sed homo nequaquam potest se liberare a peccato, et morte æterna, viribus naturalibus: sed hæc liberatio et conversio hominis ad Deum, et novitas spiritualis, fit per Filium Dei vivificantem nos Spiritu suo Sancto, ut dictum est, Rom. viii. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et voluntas, accepto Spiritu Sancto, jam non est otiosa. Ac Deo gratias agimus pro hoc immenso beneficio, quod nobis propter Filium, et per eum, dat Spiritum Sanctum, et nos suo Spiritu

regit: et damnamus Pelagianos et Manichæos, ut hæc suo loco copiosius explicamus.

VI. *De nova Obedientia.*

TOTUM beneficium Filii Dei considerandum est. Ita vult peccatum et mortem tollere, et nos ex regno Diaboli eripere, ut prorsus abolito peccato et deleta morte, restituat in nobis æternam vitam, in qua nobis Deus communicet sapientiam, justitiam, et lætitiam suam, et in qua sit Deus omnia in omnibus. Hoc summum beneficium inchoat in hac misera massa, in hac vita, sicut scriptum est: *Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur:* item, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Itaque cum accipimus remissionem peccatorum, et reconciliati sumus, et obsignati Spiritu Sancto, hæc bona effundere horrendus furor est: sicut describuntur effundentes, in parabola de domo mundata. Et in 2 Epistola Petri dicitur: *Si hi qui effugerunt condemnationem mundi, per agnitionem Domini et Salvatoris Jesu Christi, his rursus impliciti succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.*

Effunduntur autem hæc bona, si quis non retinet fundamentum, id est, articulos fidei, sive sciens, sive deceptus, impia dogmata, seu idola recipiet. Item, si quis alioqui contra conscientiam ruit. Hæ regulæ sæpe repetitæ sunt, ut Galat. v. *Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Necessaria igitur est cura vitandi tales lapsus. Hæc manifesta necessitas proposita summa pœna, videlicet amissione vitæ æternæ, si quos non movet ad bene operandum, hi sunt jam ex his de quibus dicitur: *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Et sunt necessitatis causæ plures. Debitum, id est, ordo immutabilis, ut creaturæ Deo obtemperent: ideo Paulus inquit, *Debitores estis.* Item, cura vitandi pœnas præsentes: quia certissimum est, plurimos etiam electorum

lapsos horribiliter puniri in hac vita, ut inquit Ecclesia apud Micheam vii. cap. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Et omnium temporum historiæ horrenda exempla pœnarum continent: ut David, Salomon, Manasses, Josias, Nabuchodonozor, et alii innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quod in ipsis pœnis multa nova peccata cumulantur: ut in seditione mota contra Davidem, in dilaceratione regni propter delictum Salomonis. Et de necessitate bene operandi, inquit Dominus Matth. v. *Nisi abundaverit justitia vestra plus supra quam Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Considerata autem necessitate, quæ multiplex est, sequuntur hæ quæstiones: quæ opera sint facienda, quomodo fieri possint, quomodo placeant Deo: quæ habeant præmia, quod sit discrimen peccatorum: quæ excutiunt Spiritum Sanctum, et quæ non excutiunt.

VII. *Quæ Opera facienda sint.*

VULT Deus et fidem et opera regi suo verbo. Ideo tenenda est norma de bonis operibus, interioribus et exterioribus, quæ in his præceptis Dei continetur, quæ ad nos pertinent, sicut Ezechielis xx. dicitur: *In præceptis meis ambulate.* Et hæc opera interiora et exteriora fiunt cultus Dei, cum fiunt in fide, et referuntur ad hunc finem, ut Deus hac obedientia celebretur. Dictum est autem supra, externam obedientiam seu disciplinam præstare posse etiam non renatos, ut, honeste vivit Cicero, et bene meretur de toto genere humano in laboribus gubernationis: sed mens plena est dubitationum de providentia, nec novit, nec alloquitur verum Deum in invocatione, nec novit promissiones, et semper dubitat an exaudiatur, præsertim in calamitatibus: in quibus etiam Deo irascitur, cogitat injuste se adfligi, cum fuerit civis honestus, et utilis reipublicæ. Tales

les tenebræ in mente sunt magna peccata, quæ ratio sine luce divina non satis judicare potest. Oportet igitur in renatis etiam interiorem obedientiam inchoari, veram Dei agnitionem, timorem Dei, dolores in pœnitentia, fiduciam misericordiæ propter Filium Dei promissæ, invocationem, spem, dilectionem, lætitiam in Deo, et alias virtutes: et oportet eas referre ad debitum finem, scilicet ut Deo præstetur obedientia. Hi veri cultus non possunt præstari sine luce Evangelii, et sine fide: quos adversarii, qui volunt videri eximii præcones bonorum operum, nec intelligunt, nec flagitant, cum omittunt doctrinam de fide, quæ est fiducia misericordiæ, acquiescens in Filio Dei, qui est præcipuum opus et summus cultus Dei.

De operibus non mandatis a Deo, infra dicemus. Et regula tenenda est: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Sæpe autem in ecclesia accidit, ut majori cura serventur humani ritus, quam præcepta Dei: imo ut authoritas Pharisaicarum et injustarum traditionum anteferatur mandatis divinis, ut multis seculis, propter injustam et impiam legem de cœlibatu, præceptum Dei de vera castitate horribiliter violatum est. Considerandum est igitur discrimen legis, de quo rursus infra dicemus.

VIII. *Quomodo possint fieri bona Opera.*

MAGNA est infirmitas hominum: et Diabolus est acerrimus hostis, qui odio Dei grassatur in humanum genus, ac præsertim Ecclesiam Dei conatur dissipare, quantum potest, ut scriptum est a Petro; *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret.* Ideo quanquam externam disciplinam homines naturalibus viribus utcunque præstare possunt, tamen sæpe vincuntur hac communi infirmitate. Sæpe Diabolus etiam non feros homines impellit in tetra sce-

lera: ut decepit Evam, impulit fratres Joseph, Davidem, et alios innumerabiles. Quæ igitur potest esse diligentia, vel circumspectio, par astutissimo hosti? Hic teneamus dulcissimam consolationem: *apparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli:* custos est Filius Dei Ecclesiæ suæ, sicut inquit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Ipse protegit nos, et simul Spiritu suo Sancto confirmat mentes in veris sententiis: et ut inchoat æternam vitam, ita et motus bonos, fidem, dilectionem Dei, veram invocationem, spem, castitatem, et alias virtutes in cordibus accendit. Nequaquam sumus Pelagiani, sed reverenter gratias agimus Deo æterno, Patri Domini nostri Jesu Christi, et Filio ejus Jesu Christo, et Spiritu Sancto, cum pro toto beneficio salutis restitutæ hominum, tum vero pro hoc ipso beneficio, quod in Ecclesia habitat Filius Dei, et eam sua dextra protegit, et depellit a nobis diabolos, et in hac tanta infirmitate nostra nos sustentat, et regit mentes et corda suo Spiritu Sancto, ut luceat in nobis veri Dei agnitio, et excitetur vera invocatio.

Hæc beneficia nobis præstari certo scimus, sicut dulcissime dictum est apud Zachariam cap. xii. *Effundam super domum David, et habitatores Jerusalem, Spiritum gratiæ et precum.* Nominat spiritum gratiæ, quia in hac consolatione testificatur Filius Dei, obsignans nos Spiritu Sancto, quod simus in gratia, et quod liberemur ex doloribus inferorum. Deinde nominat spiritum precum, quia cum agnovimus remissionem peccatorum, jam non fugimus Deum, non fremimus adversus Deum: sed accedimus ad eum vera fide et spe, petimus et expectamus ab eo auxilium, diligimus eum, et nos ei subjicimus: ita fit inchoatio obedientiæ. Eodem modo inquit Dominus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Accendit Spiritus Sanctus lucem veritatis in mentibus, et novos motus in cordibus congruentes cum lege Dei: ut

hoc tantum donum agnoscamus, et grati retinere studeamus, et assidue nos in tantis vitæ periculis juvari petamus. Nec est otiosa voluntas, accepto Spiritu Sancto.

IX. *Quomodo placeat nova Obedientia.*

PHARISÆUS apud Lucam admiratur sese, et sibi placet, fascinatus hac persuasione, quod legi satisfaciat, et propter hanc qualemcunque disciplinam Deo placeat. Tales sunt multi in genere humano, securi propter qualemcunque umbram disciplinæ.

Sed horum arrogantiam sæpe accusat vox divina, ut inquit Dominus, Lucæ xiii. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et apud Joan. *Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, mendaces sumus.* Ideo inanis est imaginatio fingentium obedientiam placere sua dignitate, et esse meritum condigni, ut loquuntur, et justitiam coram Deo, quæ sit meritum vitæ æternæ. Postea tamen addunt, semper dubitandum esse an placeat obedientia: quia manifestum est, in singulis multum sordium esse, multa peccata ignorantiæ et omissionis, multos nævos non parvos. Hic necesse est recte erudiri conscientias de utraque re, de infirmitate nostra, et de consolatione. Necesse est in renatis esse justitiam bonæ conscientiæ, et inchoatam obedientiam, ut dictum est; et tamen in hac vita, in nostra natura, in anima, et in corde, adhuc valde multum est sordium, quas illi magis cernunt et deplorant, qui plus lucis habent, ut prophetæ et apostoli, ut nota est Pauli querela: *Video aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, et me captivum facit legi peccati.*

Magna adhuc in singulis caligo est, multiplex ignorantia, et multæ tristissimæ dubitationes, errores in conscientiis orti ex diffidentia, ex falsis opinionibus, et inani spe: multæ vitiosæ flammæ cupiditatum, multæ neglectiones officii, fremitus et indigna-

tiones adversus Deum in pœnis. Denique stupor et insania est, nolle fateri timorem et dilectionem Dei multo frigidiorem esse, quam esse debebat. Hæ confessiones repetitæ sunt in prophetarum et apostolorum concionibus. Psal. cxliii. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et in 1 Johan. i. *Si dicimus quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, et veritas non est in nobis.* Hæc confessio necessaria est, et arrogantia taxanda. Reprehendendus etiam error adversariorum, qui fingunt, homines in hac vita mortali legi Dei satisfacere posse. Item, qui dicunt, malum concupiscentiæ nobiscum nascens non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege Dei, seu voluntate Dei. Hos errores manifeste refutat Paulus, Rom. vii. et v. Postea etiam consolatio addenda est.

Primum statuat renatus, se reconciliatum esse Deo, sola fide, id est, fiducia Mediatoris, et quanquam jam habitant in eo Pater et Filius et Spiritus Sanctus, juxta illud, *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus*, tamen statuat, personam justam reputari propter Filium Dei mediatorem, et deprecatorem, gratis propter ipsius meritum. Et manet Christus Deus et homo postea quoque Propitiator et summus Sacerdos, assidue pro nobis interpellans. Secundo, confiteatur vero dolore, adhuc in renato multa peccata et magnas sordes esse, dignas ira Dei. Tertio, tamen sciat oportere inchoari obedientiam et justitiam bonæ conscientiæ: et hanc, quanquam procul abest a perfectione legis, tamen in reconciliatis placere Deo, propter Mediatorem deprecantem pro nobis, et suo merito tegentem nostras ingentes et innumerabiles miserias. Ita propter eum et persona recipitur, et postea placent opera, et in utroque fides lucet. Ideo Petrus inquit: *Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Jesum Christum.* Hæc consolatio proposita est in capite viii.

ad Rom. *Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Jesu ambulant.* Et Rom. vi. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Ibi hoc ipsum quæritur, an placeat obedientia, cum legi non satisfaciat? Respondet Paulus: Placere, *quia non sumus sub lege,* id est damnati lege; *sed sub gratia,* id est, reconciliati, et accepti in gratiam. Rom. viii. *Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, et pro nobis interpellat,* id est, placent sancti propter interpellantem Christum. Hæc dicta opponenda sunt dubitationi, ne fides et invocatio extinguatur; nam dubitatio languefacit invocationem.

Postquam igitur scimus, et necessariam esse novam obedientiam, et auxilium nobis certo donari, et placere hanc, quanquam mutilam et mendicam, obedientiam, agnoscamus immensam Dei misericordiam, et pro ea gratias agamus, et sit major cura regendi omnes actiones: quia scimus et juvari nos, et Deo hanc obedientiam propter Filium placere. Et semper in conspectu sit hæc necessitas; si effundantur beneficia Dei, justificatio et regeneratio, amitti vitam æternam, juxta illud: *Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.* Et Rom. viii. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ac semper in justificatione simul fit inchoatio novitatis. Latro pendens in cruce habet bona opera interiora et exteriora; dolet se peccasse, et fatetur se juste puniri: deinde et fide agnoscit Salvatorem, et petit ab eo salutem: ideoque audit claram absolutionem, et concionem de vita æterna, et promissionem: et acquiescit jam voci Messiæ, et se Deo subjicit, et non impatienter fert supplicium, sed lætatur agnitione Messiæ, et spe vitæ æternæ, et Deo gratias agit: præterea ut extet signum confessionis, refutat maledicentem Christo. Hæc in eo fiunt, ipso Christo socio supplicii effundente Spiritum Sanctum in cor ejus, qui novam lucem et agnitionem veram

Messiæ, veram fidem, invocationem, et veros pœnitentiæ motus, dilectionem Dei, spem vitæ æternæ, et alias virtutes in eo accendit.

X. *De Præmiis.*

PAULUS inquit, *Donum Dei est vita æterna per Christum Jesum Dominum nostrum:* et reconciliati seu justificati, simul sunt cohæredes filii Dei propter Christum, non propter propria merita. Nituntur Filio Dei Mediatore, non nostris meritis, et fides accipiens remissionem peccatorum ac justificationem, et spes vitæ æternæ, ut expresse dictum est: *Hæc est voluntas Patris, ut omnis credens in Filium habeat vitam æternam.* Et Rom. v. *Justificati fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus, et gloriamur spe vitæ æternæ.* Conjungit fidem et spem, et adfirmat utramque niti Mediatore. Et manifestum est, spem non debere niti nostris operibus, quia dictum est: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* sed, ut propter solum Filium Dei agentes pœnitentiam reputantur justi fide, et propter eam et per eam vivificantur; ita propter eum, et non propter nostra merita, donatur vita æterna: sicut latro in cruce audit hanc promissionem, *Hodie eris mecum in paradiso,* Lucæ xxiii.

Nec somniandum est, Filium Dei tantum præparationem ad vitam æternam nobis meruisse aut dare, nos postea nostris operibus mereri vitam æternam: sed sit in conspectu dictum dulcissimum, *O mors, ero mors tua; et pestis tua, o inferne!* Propter Filium Dei, et per eum, liberamur a morte æterna, et transferimur in vitam æternam: sicut ipse inquit, *Ego vitam æternam do eis.* Et 1 Joan. v. *Qui habet Filium, habet vitam æternam.* Ac sit spes certa et firma, sicut Petrus inquit: *Perfecte*

sperate, id est, non dubia opinione, sed firma spe expectate vitam æternam, videlicet propter Mediatorem. Et recte Augustinus inquit, "Totius fiduciæ " certitudo est in sanguine Christi." Utrumque certissimum sit, agentem pœnitentiam propter Filium Dei gratis fide accipere remissionem peccatorum, et justificationem, et hunc esse hæredem vitæ æternæ, sicut Paulus inquit: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: si autem filii, hæredes Dei*, &c. Et tamen simul verum est, eos qui effundunt Spiritum Sanctum, deficientes a fide, aut ruentes contra conscientiam, nec redeunt ad Deum per pœnitentiam, non esse hæredes, sicut dicitur ad Galat. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*; et 1 Timoth. i. *Milita bonam militiam, habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt*; et Matth. xxv. *Esurivi, et non dedistis mihi manducare. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Cæterum etsi vita æterna datur propter Filium Dei renatis, tamen simul etiam est merces bonorum operum, sicut dicitur: *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Ut patrimonium est merces laborum filii, etiamsi propter aliam causam filio attribuitur. Præterea addidit Deus bonis operibus suas quasdam promissiones: quare et pro bonis operibus sanctorum tribuit Deus etiam in hac vita multa spiritualia et corporalia dona, alias aliter, ut ipsi sua inenarrabili sapientia videtur. 1 Timoth. iv. *Pietas habet promissiones præsentis et futuræ vitæ.* Marci x. *Recipient centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, et post hanc vitam, vitam æternam.* Matth. x. *Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem.* Lucæ vi. *Date, et dabitur vobis.* Exod. xx. *Honora patrem et matrem, ut sis longævus supra terram.* Esa. xxxiii. *Panis ei dabitur, aquæ ejus erunt certæ: Regem in decore videbunt*, id est, pro obedientia et bonis operibus Deus dat tranquillas politias, honestam et pla-

cidam gubernationem, &c. Esaiæ lviii. *Frange esurienti panem tuum, et eris sicut hortus irriguus*, &c. Et notum est exemplum viduæ Sareptanæ; et Psaltes dicit: *Opes et divitiæ in domo ejus.* Quia enim in hac mortali et ærumnosa vita Deus ecclesiam colligit, et vult eam esse honestam congregationem; præbet ei aliqua hospitia mediocria, præbet nidos piis familiis, puerperis, educationi puerorum, propagationi doctrinæ; denique vult conservare generis humani societatem, œconomias et politias: et quidem ideo, ut colligi ecclesia possit. Quare propter sanctorum preces, et propter eorum diligentiam, et propter communem necessitatem, tribuit aliquando gubernationem minus turbulentam, pacem, fœcunditatem agrorum, et alia bona: ut propter Joseph, Naaman, Danielem, regna illa fœliciora erant. Et Jerem. cap. xxix. præcipit, ut exules in Babylone *petant hospitio pacem et salutarem gubernationem.* Sicut etiam sæpe propter ecclesiæ delicta cumulantur pœnæ: ut in pœna tribus Benjamin, Davidis, et aliis conspicitur. Vult autem Deus intelligi hæc beneficia corpori necessaria, et sciri vult ea divinitus tribui. Vult in eis petendis exerceri fidem, ut suo loco copiosius dicemus. Nunc ideo hæc pauca addidimus, ut in hac Confessione etiam extet testimonium in nostris ecclesiis, doctrinam de bonis operibus veram et necessariam fideliter proponi.

XI. *De Discrimine Peccatorum.*

CUM dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto Lucæ xi. *Vadit et adsumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi*, &c. et ex similibus dictis, manifestum est, aliquos renatos contristare et excutere Spiritum Sanctum, et rursus abjici a Deo, ac fieri reos iræ Dei, et æternarum pœnarum. Et Ezech. xxxiii. scriptum est: *Cum recesserit justus*

a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in ea: et cum recesserit impius ab impietate sua, et fecerit judicium et justitiam, vivet in ea. Necesse est igitur discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum Sanctum, ab aliis peccatis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei et æternarum pœnarum. Et Paulus discernit peccatum regnans, et non regnans: et alibi inquit, *Si secundum carnem vivetis, moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.* Tradit autem regulam in Epistola ad Timotheum: *Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.* Cum igitur homines non retinent fidem, sed aliquam fundamenti partem, id est, aliquem articulum fidei, sive scientes, sive errore amittunt, aut idola adprobant, (ut multi qui falsis dogmatibus decipiuntur,) aut non sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione aut desperatione, aut violant ullum præceptum Dei contra conscientiam, effundunt Spiritum Sanctum, et rursus fiunt rei iræ Dei, et pœnæ æternæ: et nisi fiat conversio, tales morientes abjiciuntur in æternas pœnas. De his inquit Paulus, *Si secundum carnem vivetis, moriemini.* Et 1 Cor. vi. *Nec scortatores, nec adulteri, nec idololatræ,* &c. *possidebunt regnum Dei.* Et juramentum clare dicit: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* In juramento partes duæ copulatæ sunt, conversio et vita. Postulat Deus, et quidem juramento, conversionem. Quare non placent ei retinentes propositum peccandi. Complectimur autem in hoc numero, et peccata omissionis adfectatæ, id est, adfectatam negligentiam in officio, quæ pugnat cum dicto: *Hoc requiritur, ut fideles simus:* et ignorantiam adfectatam, qualis est Pharisaica, et infinitæ multitudinis, quæ veram Ecclesiæ doctrinam non studet inquirere, et ignara retinet idola, aut etiam sævitiam adjuvat in defensione idolorum.

Dictum est de lapsibus, quibus excutitur Spiritus

Sanctus. Alia sunt peccata in renatis retinentibus fidem et bonam conscientiam, quæ non sunt corruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam, sed sunt reliquiæ peccati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ vitiosorum adfectuum, et omissionis, vel ignorantiæ non adfectatæ. Hæc mala extenuant quidam, et nominant deformitates præter legem Dei. Sed hæc cæcitas valde reprehendenda est, et utrumque considerandum: magnitudo mali in hac tota immunditie, quæ est contraria legi et voluntati Dei: et rursus magnitudo misericordiæ et beneficii Filii Dei, tegentis hæc tristia et magna vulnera in hac misera natura.

Jubet autem Paulus his malis repugnare spiritu: id est, Atticus, Scipio, frenant vitiosos motus, ratione: sed Joseph, Paulus, frenant spiritu: id est, Spiritus Sancti motibus, vero dolore, vera fide, timore Dei, et invocatione. Dolet Paulus, sentiens dubitationes, aut alios errantes motus: et fide statuit, hanc immunditiem tegi a Mediatore: et timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut aliis errantibus motibus. Et simul invocat Deum, et petit auxilium: *Cor mundum crea in me Deus.* Cum hoc modo repugnamus pravitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur hæc mala, et dicitur peccatum non regnans, seu veniale: et non effunditur Spiritus Sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum veram, perspicuam, et Ecclesiæ necessariam esse manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris adversariorum, multi norunt.

Postquam vero breviter exposuimus summum doctrinæ de justificatione, nunc et argumenta, quæ contra hanc sententiam objiciuntur, explicanda et refutanda erant. Sed quia alii alia objiciunt, Confessionem nostram recitavimus, et offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris Confessionis.

XII. *De Ecclesia.*

VULT Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed a Deo conditum esse: et conditum, non ad æternum exitium, sed ut colligat sibi in genere humano Ecclesiam, cui in omni æternitate communicet suam sapientiam, bonitatem, et lætitiam. Et vult conspici Filium, propter quem, et per quem inenarrabili sapientia et immensa misericordia hanc miseram naturam hominum restituit. Ideo semper in genere humano cœtum esse voluit, cui tradidit doctrinam de Filio, et in quo Filius ipse instituit et conservavit ministerium custodiendæ et propagandæ ejus doctrinæ, per quam et efficax fuit, est, et erit. Et multos ad se convertit, sicut manifeste inquit Paulus: *Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.*

Sed mirandum et dolendum est, maximam partem generis humani horribili furore contemnere vocem et testimonium Dei, et Filium Dei: et in ipso cœtu, qui nomen habet Ecclesiæ, multas dilacerationes semper factas esse, et veram Ecclesiam ab externis et domesticis hostibus oppugnatam esse. Hæc dissidia cum homines intuentur, et quidem vident imperiis, multitudine, et gloria antecellere eos, qui alias doctrinas pugnantes cum Evangelio amplectuntur, dubitant an sit aliqua Dei Ecclesia, quænam, et qualis, et ubi sit. Ac prophanis dijudicatio difficilis est: sed vera Ecclesia scit ex testimoniis divinis, unde sint tanti hominum furores, et inter eos tamen servari Ecclesiam Dei: et discernit eam a cæteris gentibus, et scit quænam, qualis, et ubi sit.

Ut igitur contra has dubitationes magis confirmarentur omnes sancti, articulus in symbolo propositus est: "Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam." Hac professione adfirmamus, non abjectum esse totum genus humanum a Deo, sed esse, et mansuram esse aliquam veram Ecclesiam, ratas esse Dei promissiones, adhuc regnare Filium Dei, recipere et

salvare invocantes. Et hac erecti consolatione, Deo gratias agimus, et eum invocamus: et petimus, accipimus, et expectamus æterna bona. Propter hanc commonefactionem et consolationem, articulus in symbolo recitatur, cum quidem hæc ipsa doctrina de conservatione Ecclesiæ sæpissime repetita sit in concionibus divinis: ut Esaiæ lix. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum.* Et Dominus inquit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Est et hæc dulcis consolatio, quod non alibi sint hæredes vitæ æternæ, nisi in cœtu vocatorum: juxta illud: *Quos elegit, hos et vocavit.*

Non vagentur animi, intuentes hoc lacerum corpus Ecclesiæ, et somniantes fortassis alibi aliquos qui ignorant Evangelium, tamen esse sanctos et domicilium Dei, Fabium, Scipionem, Aristidem, et similes; sed huc refer oculos. In hoc cœtu vocatorum certo scias aliquos electos esse, et ad hunc cœtum te adjungito, confessione et invocatione. Sicut dicit Psal. xxvi. *Unum petii a Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluntatem Domini, et visitem templum ejus.* Non igitur de Ecclesia, tanquam de idea Platonica loquimur; sed Ecclesiam monstramus, quæ conspici et exaudiri potest: juxta illud: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Vult exaudiri Filium æternus Pater in toto genere humano, sicut inquit: *Hunc audite.* Et Psal. ii. *Ego constituo regem meum in monte Sion, prædicabo præceptum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et nunc reges intelligite,* &c. Dicimus igitur, Ecclesiam visibilem in hac vita cœtum esse amplectentium Evangelium Christi, et recte utentium sacramentis, in quo Deus per ministerium Evangelii est efficax, et multos ad vitam æternam regenerat. In quo tamen cœtu multi sunt non

sancti, sed de vera doctrina consentientes: ut Mariæ tempore erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Joseph, Elizabeth, Maria, Anna, pastores, et alii multi qui de pura doctrina consentiebant, et audiebant non Sadducæos aut Pharisæos, sed Zachariam, Simeonem, Annam, Mariam, et similes, &c. Nam etiam cum valde exiguus cœtus est, tamen Deus aliquas reliquias servat, quarum vox et confessio exauditur, et subinde ministerium instaurat, juxta illud: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus*, &c.

Itaque quæ sit Ecclesia, et qualis sit, et ubi sit, hæc descriptio indicat, sumpta ex manifestis testimoniis divinis. Nihil dubium est, Ecclesiam alligatam esse ad Evangelium, ut Paulus inquit: *Si quis aliud evangelium docet, anathema sit.* Et Joan. x. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et Joan. xiv. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.* Et Joan. xvii. *Sanctifica eos in sermone tuo, sermo tuus est veritas.*

Non sunt igitur membra Ecclesiæ Dei, etiamsi titulum et imperia tenent, Sadducæi, Pharisæi, et similes, pontifices, et alii qui aliam doctrinam proponunt, dissentientem ab Evangelio, et stabiliunt idola pertinaciter. Manifestum est autem aliud genus doctrinæ, dissentiens ab Evangelio, adversarios tradere et propugnare, qui docent legem Dei impleri obedientia nostra in hac vita, et hanc obedientiam mereri remissionem peccatorum; item, hac obedientia homines justos esse coram Deo; item, pravam concupiscentiam non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege Dei: item, dubitandum esse conversis, an sint in gratia, et hanc dubitationem non esse peccatum: item, invocandos esse homines mortuos: item, cultus Dei esse discrimina ciborum, vota monastica, et alios ritus sine mandato Dei electos: item, oblationem in missa mereri fa-

cienti et aliis vivis et mortuis remissionem peccatorum, et alia; item alias prophanationes sacramenti multiplices, et horrendas.

Item, Episcopos posse instituere cultus Dei, et peccata mortalia esse violationem cultuum, qui ab eis instituuntur: item, posse legem de cœlibatu imponere ulli ordini hominum: item, enumerationem singulorum delictorum necessariam esse ad remissionem peccatorum: item, satisfactiones canonicas, compensationes esse pœnarum purgatorii: item, synodos, in quibus soli episcopi dicunt sententias, non posse errare: item, qui consecrant olea, et alias res, sine mandato divino, et tribuunt eis vim divinam contra peccata et diabolos et morbos: item, qui invocationes ad certas statuas adprobant, quasi ibi plus sit auxilii: item, qui interficiunt homines honestos, tantum quia hos errores improbant, et veritatem profitentur. Hæc cum sint plane ethnica et idololatrica, manifestum est, defensores eorum non esse membra Ecclesiæ, sed dominari sicut Pharisæi et Sadducæi dominabantur. Interea tamen fuerunt, sunt, et erunt in Ecclesia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamsi alii plus, alii minus lucis habuerunt, habent, et habebunt, et interdum sancti etiam stipulas extruunt supra fundamentum, cum præsertim in hac temporum miseria multis qui habent initia fidei, non concedatur, ut erudiri, et cum doctioribus colloqui possint. Hi sunt tamen in eorum numero, quibus jubet Deus parci. Ezech. ix. *Qui gemunt et dolent, propterea quod errores stabiliuntur.* Præcipue igitur et voce doctrinæ judicandum est, et judicari potest, quæ, et ubi sit vera Ecclesia, quæ voce veræ doctrinæ, deinde et legitimo usu sacramentorum ab aliis gentibus discernitur: et quæ sit vox veræ doctrinæ, ostendunt ipsa scripta prophetica et apostolica, et symbola. In his non est ambigua doctrina de fundamento, videlicet de articulis fidei, de essentia et voluntate Dei, de Filio redemptore, de lege, de promissionibus, de usu sa-

cramentorum, de ministerio: et manifestum est, nulli creaturæ, non angelis, non hominibus concessum esse, mutare doctrinam a Deo traditam. Qualis autem sit Ecclesia, ostendit Filius Dei, inquiens: *Regnum meum non est de hoc mundo:* item, *Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos.* Colligitur voce ministrorum Evangelii æterna Ecclesia Deo, et quidem hac voce Deus est efficax, et multos ad se convertit. Hoc immensum beneficium Dei agnoscere, et grati celebrare debemus. Quanquam autem Ecclesia est cœtus, qui conspici et exaudiri potest, tamen discernendus est ab imperiis politicis, seu gerentibus gladium: nec jure divino habent episcopi potestatem puniendi non obedientes, nec imperia mundi occupandi. Et tamen in ea ordo est, juxta illud: *Ascendit, dat dona hominibus, apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores.* Filius Dei est summa Sacerdos, unctus ab æterno Patre, qui ut non funditus intereat Ecclesia, ministros Evangelii ei attribuit, partim a se immediate vocatos, ut prophetas et apostolos, partim vocatione humana electos. Nam et Ecclesiæ electionem adprobat, et immensa bonitate efficax est, etiam sonante Evangelio per electos suffragiis, aut nomine Ecclesiæ. Retinemus igitur et in nostris ecclesiis publicum ritum ordinationis, quo commendatur ministerium Evangelii viris electis, quorum mores et doctrinam prius exploramus. Et de dignitate ministerii fideliter docemus ecclesias. Nihil majus dici potest, quam quod Filius Dei inquit: *Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos.* Ostendit et quæ mandata det, *prædicate Evangelium:* et adfirmat, se per vocem illorum efficacem fore, sicut Pater ostendit se efficacem esse per Filium. Proponimus et mandata Dei: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit:* item, *Obedite præpositis vestris.* Nec tamen hæc dicta regnum constituunt extra Evangelium, sed obedientiam præcipiunt, debitam voci Evangelii. Et ad ministerium

hæc pertinent; docere Evangelium, administrare sacramenta, vocem absolutionis impertire petentibus, qui non perseverant in manifestis delictis, ordinare ministros Evangelii rite vocatos et exploratos; exercere judicia Ecclesiæ legitimo modo de iis qui manifestorum criminum in moribus aut doctrina rei sunt, et contra contumaces sententiam excommunicationis ferre, et conversos rursus absolvere et recipere. Hæc ut rite fiant, etiam consistoria in ecclesiis nostris constituta sunt.

Diximus autem in descriptione Ecclesiæ, multos in hac visibili Ecclesia esse non sanctos, qui tamen externa professione veram doctrinam amplectuntur: quia Donatistas improbamus, qui finxerunt, ministerium eorum qui non sunt sancti, non esse efficax. Improbamus et colluviem anabaptisticam, quæ finxit Ecclesiam visibilem, in qua omnes sint sancti. Ac fatemur, de Ecclesia visibili in hac vita sentiendum esse, sicut inquit Dominus Matth. xiii. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, qua boni et mali pisces colliguntur.* Sed tamen hi qui fiunt hostes veræ doctrinæ, desinunt esse membra hujus visibilis congregationis, juxta hoc dictum: *Si quis aliud evangelium docet, anathema sit.*

XIII. *De Sacramentis.*

DISCERNUNT Ecclesiam a cæteris gentibus et ritus quidam divinitus instituti, qui nominantur usitate sacramenta: ut Baptismus, et Cœna Domini: quæ tamen non sunt tantum signa professionis, sed multo magis (ut vetustas dixit) signa gratiæ: id est, sunt ceremoniæ additæ promissioni Evangelii de gratia, id est, de gratuita remissione peccatorum, et de reconciliatione, et de toto beneficio redemptionis, quæ ita instituta sunt, ut singuli eis utantur: quia sunt pignora et testimonia, quæ ostendunt, ad singulos pertinere beneficia in Evangelio promissa.

Nam vox evangelii generalis est. Hanc testatur hic usus pertinere ad singulos qui sacramentis utuntur.

XIV. *De Baptismo.*

BAPTISMUS est integra actio, videlicet mersio, et verborum pronunciatio: *Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* In his verbis summam doctrinæ Evangelii comprehensam sæpe enarramus. *Ego baptizo te:* id est, Ego testificor hac mersione te ablui a peccatis, et recipi jam a vero Deo, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te per Filium Jesum Christum redemit, et sanctificat te Spiritu Sancto. In hujus veri Dei nomen, id est invocationem, te baptizo, quem agnosces et invocabis, et discernes ab omnibus commentitiis numinibus: et certo statues tibi tribui beneficia quæ in Evangelio promisit, te esse membrum Ecclesiæ Dei, quæ per Filium redempta est, et sanctificatur a Spiritu Sancto. Hunc intellectum hujus fœderis teneant hi, quorum ætas jam doctrinæ capax est: et hac testificatione confirmati, credant sibi remitti peccata, et se vere esse membra Ecclesiæ Dei, et vera fide verum Deum invocent: sicut Abraham cogitans de circumcisione, intuebatur promissionem venturi seminis. Intelligebat se membrum esse Ecclesiæ Dei, et tolli maledictionem a se quoque per hoc semen, de quo dictum erat in promissione: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sic et Petrus docet, *Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Jesu Christi, qui est ad dexteram Dei.* Nominatim ait esse stipulationem, qua Deus tecum fœdus facit, et te sanatis vulneribus tuæ conscientiæ recipit: et tu vicissim cum Deo facis fœdus, ut hunc verum Deum invoces, et credas te per Filium Dei resuscitatum ex morte, et regnantem, salvari. Ita efficax est in te hic Filius Dei, sedens ad dexteram æterni Patris,

sicut et Paulus inquit ad Galat. *Qui baptizati estis, Christum induistis.* Et dari Spiritum Sanctum in baptismo adfirmat ad Titum, cum ait: *Per lavacrum regenerationis, et renovationis per Spiritum Sanctum.* Et in Joan. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum cœlorum.* Docemus igitur, necessarium esse baptismum, et semel tantum baptizamus singulos, sicut circumcisio semel tantum in singulis fiebat: sed doctrinam de significatione et fœdere mutuo utilissimam sæpe commemoramus.

Retinemus et infantium baptismum: quia certissimum est, promissionem gratiæ etiam ad infantes pertinere, et ad eos tantum qui Ecclesiæ inseruntur. Quia de his dictum est: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum.* Et Origenes scribit in 6. cap. ad Rom. Ecclesiam ab apostolis accepisse morem baptizandi infantes. Nec judicamus hunc morem tantum otiosam cæremoniam esse, sed vere tunc a Deo recipi et sanctificari infantes: quia tunc inseruntur Ecclesiæ, et ad tales promissio pertinet. Extant autem de hac re multa scripta in nostris ecclesiis edita, quibus refutantur anabaptistæ.

XV. *De Cœna Domini.*

ET Baptismus, et Cœna Domini, sunt pignora et testimonia gratiæ, ut antea dictum est, quæ de promissione et tota redemptione nos commonefaciunt, et ostendunt beneficia Evangelii ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur. Sed tamen hoc discrimen est: per Baptismum singuli inseruntur Ecclesiæ, sed Cœnam Domini simul etiam voluit Dominus esse nervum publicæ congregationis. Vult enim Deus ministerium Evangelii publicum esse, non vult in latebris tantum inclusam teneri vocem Evangelii, sed exaudiri eam vult a toto genere humano: vult se agnosci et invocari: ideo vult publi-

cos et honestos esse congressus, et in his vult sonare Evangelii vocem, vult se ibi invocari et celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus testes esse confessionis, et sejunctionis Ecclesiæ Dei ab aliarum gentium sectis et opinionibus. Convenit Joannes Ephesi cum suo cœtu, et docet Evangelium, et usu sacramentorum totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, et hunc Deum invocare, qui Evangelium tradidit, et sejunctum se esse a Dianæ, Jovis, et aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici et audiri suam Ecclesiam in mundo, et vult sejunctam esse multis publicis signis a reliquis gentibus. Sic haud dubie suos cœtus habuerunt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: et deinceps politia Israel habuit multos ritus, ut sejunctio illa a gentibus esset conspectior. Addidit etiam peculiarem promissionem congregationi: *Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum.* Item: *Quicquid petent consentientes fiet eis.* Et in Psal. *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Sintque promissiones, in quibus adfirmat Deus se Ecclesiam servaturum esse, eo dulciores, quia intelligimus eum publicum ministerium in congressibus honestis conservare et restituere: sicut et in ipsis verbis cœnæ Domini inclusa est hæc promissio, cum jubet annunciari mortem Domini, et hanc cœnam distribui, donec venerit.

Ut igitur reverentia major sit in hujus sacramenti usu, veræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, et ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei vult in publica et honesta congregatione sonare vocem Evangelii. Hujus congregationis vinculum vult esse hanc sumptionem, quæ summa reverentia facienda est, cum ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini et sumentium: de qua reverentia Paulus loquitur, inquiens: *Qui sumit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

Secunda: Vult et concionem, et ipsum ritum prodesse ad conservationem et propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, et beneficiorum suorum.

Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia Evangelii, cum concio sit communis: et hoc testimonio, hac sumptione ostendit, te ipsius membrum esse, et te ablutum esse sanguine suo, et facere se hoc fœdus: *Manete in me, et ego in vobis.* Item: *Ego in eis, et hi in me.*

Quarta: Vult hanc publicam sumptionem, confessionem esse, qua ostendis quod doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adjungas. Vult et gratias agi publice et privatim in hac ipsa ceremonia Deo æterno, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, cum pro cæteris beneficiis, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemptionis et salvationis. Vult et ipsis Ecclesiæ membris inter sese vinculum esse mutuæ benevolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione invitantur homines ad sacramenti reverentiam et usum. Et docemus, quomodo prosit usus. Aperte damnamus portentosum errorem monachorum, qui scripserunt, sumptionem mereri remissionem peccatorum, et quidem ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, *Justus sua fide vivet.* Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad cœnam Domini oportere pœnitentiam, seu conversionem adferre, et accensa jam fide in cogitatione de morte et resurrectione et beneficiis Filii Dei, quærere hic confirmationem hujus fidei: quia in usu sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia Filii Dei. Fit et testificatio, quod te sibi membrum adjungat, et quod sit in te, sicut dicit Joan. xvii. *Ego in vobis*, &c.

Monemus etiam, ne existimet propter hoc opus, seu hanc obedientiam remitti peccata, sed ut fiducia

intueatur mortem et meritum Filii Dei, et resurrectionem ejus. Et statuat propter ipsum nobis peccata remitti, et velle eum hanc fidem hac commonefactione et testificatione confirmari. Cum hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiæ et gratiarum actio crescunt, prodest sumptio. Nec admittuntur ulli ad communionem, nisi prius a pastore aut collegis ejus auditi sunt, et absoluti. In hac exploratione interrogantur, et sæpe erudiuntur rudiores de tota doctrina: et deinde absolutio promulgatur. Docentur etiam homines, sacramenta esse actiones divinitus institutas, et extra usum institutum res ipsas non habere rationem sacramenti, sed in usu instituto in hac communione vere et substantialiter adesse Christum, et vere exhiberi sumentibus corpus et sanguinem Christi: Christum testari quod sit in eis, et faciat eos sibi membra, et quod abluerit eos sanguine suo, sicut et Hilarius inquit: "Hæc accepta et hausta efficiunt, ut et nos in "Christo, et Christus in nobis sit."

In ipso autem ritu servamus morem usitatum universæ Ecclesiæ veteris, Latinæ et Græcæ. Non fiunt privatæ missæ, hoc est, tales in quibus non fiat distributio corporis et sanguinis Christi: sicut nec vetus Ecclesia aliquot seculis post apostolos, tales missas habuit: ut descriptiones veteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, et apud alios ostendunt. Et Paulus expresse jubet, simul fieri multorum communionem.

Itaque in publica et honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes, et symbolum, et lectiones cum sacris canticis distributæ in dies festos, usitato more. Deinde fit concio de beneficiis Filii Dei, et de aliqua doctrinæ parte, ut series temporum præbet argumentum. Postea recitat pastor gratiarum actionem, et precationem pro universa Ecclesia, pro potestatibus, et pro præsenti necessitate: et orat Deum, ut propter Filium, quem voluit fieri victimam pro nobis, remittat nobis peccata, et

nos salvet, colligat et servet Ecclesiam. Deinde recitat in loco consueto verba Christi de Cœnæ institutione, et sumit ipse, et distribuit sumentibus integrum sacramentum; qui reverenter accedunt, antea explorati et absoluti, et ibi suas preces ad publicas adjungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio. Hunc ritum, et hanc communionem plurium, congruere cum scriptis apostolorum, et consuetudine veteris Ecclesiæ, fere usque ad Gregorii ætatem, norunt omnes non prorsus ignari antiquitatis. Quod cum ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum ecclesiarum consuetudo: sed adversarii improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alii magis tetros, alii novis jam artificiis fucatos. Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in missa pro vivis et mortuis, et mereri eam facienti et aliis remissionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum persuasio fuit, et adhuc est, similis pharisaicæ et ethnicæ. Nam eodem modo pharisæi et ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi et aliis remissionem peccatorum, pacem, et alia multa bona. Aut etiamsi qui minus cæci verecundius loquebantur, etsi dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse merita et pretium. Hac opinione cumulabantur sacrificia, et crescebant aucupia quæstus. Talis est et missarum mercatus, et prophanatio cœnæ Domini, fere in toto orbe terrarum.

Vult autem Deus, vitiosos cultus taxari et aboleri. Ideo vocem divinam simpliciter et vere proponimus, quæ errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo et tota Ecclesia in cœlo et in terra, tantum fuisse unicum sacrificium propitiatorium, seu quo ira æterni Patris adversus genus humanum placata est: scilicet, totam Filii Dei Domini nostri Jesu Christi crucifixi et resuscitati obedientiam. Hic unicus est agnus, qui tollit peccata mundi. De hoc unico sacrificio dictum est Heb. x.

Unico sacrificio consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur: et hoc sacrificium singulis sua fide applicatur, cum audiunt Evangelium, et sacramentis utuntur, ut Paulus inquit: *Quem posuit propitiatorem in sanguine per fidem*, et, *Justus fide sua vivet.* Et in 1 Petri: *Sanctificati Spiritu, ad obedientiam et conspersionem sanguinis Jesu Christi.* Cætera sacrificia in Veteri Testamento fuerunt typica, de quibus suo loco copiosius dicitur, et nequaquam merebantur remissionem peccatorum, et omnes justitiæ sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, sunt, et erunt sacrificia laudis, seu εὐχαριστικὰ, quæ non merentur facienti aut aliis remissionem, sed sunt cultus debiti in singulis, et placent propter Mediatorem et summum Sacerdotem Filium Dei, ut dicitur ad Heb. *Per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo.* Hanc esse immotam et æternam veritatem, manifestissimum est. Quod vero citantur contra tam claram lucem veritatis centones, quos nominant canones missæ, etiam manifestum est dissimiles esse canones Græcos et Latinos: et Græcos ipsos dissentire inter sese de re maxima: et in hoc Latino, qui usitatus est, apparet paulatim adsutas esse lacinias ab ignotis autoribus.

Vetus Ecclesia utitur nominibus sacrificii et oblationis: sed intelligit totam actionem, precationem, sumptionem, recordationem, fidem, spem, confessionem, et gratiarum actionem. Hæc tota actio interior et exterior, in quolibet converso ad Deum, et in tota Ecclesia, est revera sacrificium laudis, seu εὐχαριστικὸν, et λογικὴ λατρεία: et cum inquit Dominus, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* adfirmat, in Novo Testamento non præcipi externa sacrificia, quæ fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus Spiritus Sancti: sicut in lege necesse erat cæremoniam paschatos servari.

Sed de cœna Domini dicitur: *Probet se unusquisque*, &c. Ita prodest utenti cœna Domini, cum adfert pœnitentiam et fidem, et non prodest ei alie-

num opus. Præterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum verbis institutionis cœnæ, in quibus dicitur: *Accipite, manducate*, &c. *Hoc facite in mei recordationem.* Quid hoc ad mortuos, vel absentes? et tamen in magna parte Europæ plurimum missarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo prorsus ignorans quid agat legit missas propter mercedem. Cum autem hæc omnia manifeste sint impia, facere oblationem, ut loquuntur, ut mereantur vivis et mortuis: aut facere nescientem quid agat: horribiliter peccant, qui hæc scelera retinent et defendunt. Et cum ritus extra usum institutum non habeat rationem sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pii et eruditi. Est et manifesta profanatio, partem cœnæ Domini circumgestare, et adorare: ubi prorsus transfertur pars ad usum toto genere diversum ab institutione, cum textus dicat: *Accipite, manducate:* cum quidem et recens sit hoc spectaculum. Postremo, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum et monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: *Probet se unusquisque;* item; *Quicunque indigne sumit, reus erit corporis et sanguinis Domini!* Etsi autem pontifices et hypocritæ, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum est, Deum horribiliter irasci his sceleribus, sicut in Israel irascebatur sacrificiorum profanationibus. Et videmus iræ exempla manifesta; tot regnorum ruinas, vastationem orbis terrarum quam faciunt Turcæ, confusiones opinionum, et multas tristissimas dissipationes ecclesiarum. Te autem, Fili Dei, Domine Jesu Christe, crucifixe pro nobis, et resuscitate, summe Sacerdos Ecclesiæ tuæ, veris gemitibus oramus, ut propter tuam et æterni Patris tui gloriam deleas idola, errores et abominationes: et sicut ipse precatus es, *sanctifices nos in veritate tua*, et in pectoribus plurimorum accendas lucem Evangelii tui, et veram invocationem, et corda nostra ad veram obedientiam

flectas, ut grati te in omni æternitate celebremus. Omnium angelorum et hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quæ profanatio Cœnæ Domini tot jam seculis parit. Et nos, cum par oratio tantæ rei nulla possit esse, breviores sumus, et in hoc ingenti dolore Filium Dei oramus, ut ipse hæc mala emendet: et simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire volunt. Sed in hac quæstione præcipue fieri cernimus hoc quod ait Solomon: *Perinde facere canentem carmina pravo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.* Has de sacrificio persuasiones sciunt adversarii nervos esse suæ potentiæ et opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam astute jam lenire absurda discunt. Non est, inquiunt, meritum oblatio, sed applicatio: struunt insidias verbis, et eosdem abusus retinent. Diximus autem etiam antea, unumquemlibet fide sua facere sibi applicationem sacrificii Christi, et cum audit Evangelium, et cum utitur sacramentis. Et scriptum est: *Probet unusquisque se ipsum.* Non igitur sentit Paulus, cæremoniam alteri non utenti prodesse: et Filius Dei ipse se obtulit, ingrediens in sanctum sanctorum: id est, in arcanum consilium divinitatis, cernens voluntatem æterni Patris, ingentem iram sustinens, et causas hujus mirandi consilii intelligens. Hæ res magnæ significantur, cum dicit Paulus ad Heb. *Sese obtulit:* et cum inquit Esaias: *Ponet animam suam hostiam pro peccato.* Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt se offerre Christum? nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant: dicunt nos delere juge sacrificium; sicut faciebat Antiochus, qui typus est antichristi.

Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Ecclesiæ apostolicæ: et juge sacrificium est, sonare doctrinam incorruptam Evangelii, et recte invocare Deum: denique, ut Dominus inquit, est *adorare Patrem in spiritu et veritate.* Complec-

timur hic etiam verum usum sacramentorum. Hæc omnia cum fidelissime retineamus, summa reverentia retinemus juge sacrificium: illi abolent, qui veram invocationem et cœnam ipsam Domini multis modis corrumpunt, qui jubent invocare homines mortuos, qui missas venales habent, qui jactitant se oblatione sua aliis mereri, qui doctrinæ de pœnitentia et remissione peccatorum multos tetros errores immiscent: qui jubent dubitare agentes pœnitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus et idolis Ecclesiam polluunt. Hi sunt Antiochi similes, non nos, qui obedire Filio Dei studemus, dicenti: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

Postremo et de usu integri sacramenti pauca quædam dicenda sunt. Removeatur sophistica a judiciis Ecclesiæ. Norunt omnes, Cœnam Domini ita institutam esse, ut detur populo integrum sacramentum, sicut scriptum est, *Bibite ex hoc omnes.* Nota est et consuetudo veteris Ecclesiæ, Latinæ et Græcæ. Ideo fatendum est, prohibitionem unius partis injustam esse. Legitima hominum testamenta violare injustum est: cur Filii Dei testamentum, sanguine ipsius obsignatum, episcopi violant? Dolendum est autem, tantam esse impudentiam quorundam, ut contra hoc gravissimum argumentum, tamen fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus.

XVI. *De Pœnitentia.*

DEI beneficio hæc pars doctrinæ in primis magna perspicuitate in nostris ecclesiis illustrata est, cum sententiarii eam inextricabilibus labyrinthis involverint. Primum enim clare damnamus Catharos et Novatianos, qui finxerunt, nec labi posse electos in delicta contra conscientiam, nec lapsos post emendationem recipiendos esse: et extant nostræ refuta-

tiones contra hos furores. Nolumus autem de vocabulo Pœnitentiæ serere λογομαχίας. Si quis mavult, utatur nomine Conversionis, quo et prophetæ sæpe usi sunt. Libenter etiam retinemus usitatum vocabulum Contritionis: et dicimus partem pœnitentiæ seu conversionis primam esse contritionem, quæ est, vere expavescere agnitione iræ Dei adversus peccata, et dolere quod Deum offenderis: et dicimus in his qui convertuntur, aliquos tales veros pavores et dolores esse oportere, nec agere pœnitentiam eos qui manent securi et sine dolore, ut 2 Cor. vii. *Contristati estis ad pœnitentiam.* Et Ezech. xx. *et displicebitis vobis in conspectu vestro,* agnoscetis vos dignos esse pœna et exilio: et hi veri dolores sunt sensus iræ Dei, ut et suo loco copiosius dicitur. Hic autem taxamus adversarios, qui fingunt contritionem mereri remissionem peccatorum, et oportere contritionem sufficientem esse. In utroque errore magnæ tenebræ sunt. Nam remissio datur propter Mediatorem gratis. Et quæ potest esse contritio sufficiens? Imo quo magis crescit dolor sine fiducia misericordiæ, eo magis corda fugiunt Deum, et sustinere nulla natura hanc magnitudinem doloris potest, de qua dicitur Esai. xxxviii. *Sicut leo contrivit omnia ossa mea.* Sed illa otiosa somnia scriptorum, ostendunt et vitæ securitatem in eis, et inscitiam Evangelii.

Fiunt autem hi veri dolores, cum arguitur peccatum, ut in Evangelio ostenditur contemptus Filii Dei: *Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.* Et voce legis moralis arguuntur et alia peccata, ut inquit Paulus, Rom. iii. *Per legem agnitio peccati.*

De confessione privata facienda pastoribus, adfirmamus ritum privatæ absolutionis in Ecclesia retinendum esse: et constanter retinemus, propter multas graves causas. Sed simul docemus, non præcipiendam esse, nec postulandam enumerationem delictorum in illo privato colloquio: quia nec divini-

tus mandata est illa delictorum recitatio, nec possibilis est: et adducit pias mentes in dubitationem, et fidem languefacit. Magis vero hoc taxamus, quod nusquam adversarii in doctrina de pœnitentia vel conversione, mentionem faciant fidei justificantis, de qua supra dictum est: qua sola vere accipitur remissio peccatorum, et cor in sensu iræ Dei erigitur, et liberatur ex doloribus inferorum, sicut scriptum est Rom. v. *Justificati fide pacem habemus.* Sine hac fide, dolores fiunt pœnitentia Saulis, Judæ, Orestis, et similium in tragœdiis.

Nec docent Evangelium, sed legem et humanas traditiones, adversarii, hanc fidem vel omittentes, vel etiam oppugnantes. Cum autem in vera conversione fiant hæ mutationes, mortificatio et vivificatio, ut Rom. vi. et sæpe alias dicitur; docendi causa distribuimus conversionem, vel pœnitentiam, in tria membra: in contritionem, fidem, et novam obedientiam. Nam has res complectitur vera conversio, ut vox divina et vera ecclesiæ experientia ostendunt. Nec tamen de modis loquendi, aut numero partium contentiones movemus, sed res necessarias in conspectu omnibus esse volumus. Et maxime necessarium est ecclesiæ, extare veram doctrinam, planam, maxime perspicuam de tota conversione, quæ quidem et in concionibus divinis summa cum perspicuitate, et sine ullis labyrinthis sæpissime repetita est, ut Baptista et Christus inquiunt: *Agite pœnitentiam, et credite Evangelio.* Item, *Agite pœnitentiam: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et Paulus Rom. iii. *Omnes carent gloria Dei.* Hic de contritione concionatur, postea de remissione: *Justificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem in Christo per fidem.* Necesse est igitur, in doctrina de conversione, seu pœnitentia, fieri mentionem fidei. Nec satis est quod dicunt adversarii, se quoque de fide loqui, et hanc anteire pœnitentiam. Loquuntur enim de notitia doctrinæ: credo remissionem peccatorum aliis dari, sic-

uti et diaboli norunt symbolum, sed Evangelium postulat hanc veram fidem, quæ est fiducia misericordiæ propter Filium Dei promissæ, et acquiescens in Filio Dei, quæ inquit: Credo remissionem peccatorum mihi quoque dari, et quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter ulla mea merita, sed propter Filium Dei, qui immensa bonitate et sapientia divinitatis constitutus est mediator et propitiator; scio mandatum Dei esse immutabile, ut singuli in his doloribus statuant se certo propter eum recipi. Hæc est propria vox Evangelii, hoc decretum ex sinu æterni Patris prolatum est per Filium, et sanguine et resurrectione ejus obsignatum est. Huic voluntati et decreto nolle adsentiri, est contemnere Filium Dei. Et de hoc peccato inquit Joan. cap. iii. *Qui non credit Filio, manebit ira Dei super eum.* Sed qui credit sibi remitti peccata propter hunc mediatorem, jam certo accipit remissionem peccatorum, propter Christum, qui efficax est in eo, et vivificat et sanctificat eum Spiritu suo Sancto: et reconciliatus jam, certo reputatur justus, propter mediatorem, et est hæres vitæ æternæ. Hanc necessariam consolationem in doctrina de conversione vel omittere vel corrumpere, vel improbare, est manifeste delere Evangelium. De hac fide et commonefacere nos absolutio debet, et eam confirmare. Sicut confirmabatur David, audita absolutione, *Dominus abstulit peccatum tuum:* ita tu scias tibi quoque annunciari remissionem peccatorum, quæ in absolutione tibi nominatim proponitur. Non fingas, nihil ad te pertinere Evangelium, sed scias ideo editum esse, ut hoc modo salventur homines, fide amplectentes Evangelium: et mandatum Dei æternum et immotum esse, ut ei credas. Qui non hac fide amplectitur evangelium, sed manet in dubitatione, frustra audit absolutionem.

Cum hac consolatione corda vivificantur, et sunt jam domicilium Dei, certe et novam obedientiam inchoari necesse est, ut supra dictum est. At red-

ire ad scelera est excutere Deum, et rursum amittere justitiam et vitam, sicut Joan. inquit: *Qui facit justitiam justus est: qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Recitavimus autem supra summam doctrinæ de nova obedientia.

XVII. *De Satisfactione.*

QUALE vero chaos sit doctrinæ de satisfactionibus, quas nominant opera indebita, indicta ab Ecclesia, longum esset recensere, et pauci ante hæc tempora intellexerunt. Non dubitamus autem in Ecclesiis nostris et totam hanc partem vere et perspicue expositam esse. Fuit mos primis patribus, eos qui homicidiis, idolis, aut incestis libidinibus polluti fuerunt, arcere a sua consuetudine, et præcipue a sacrificiis. Hunc morem et synagoga retinuit, et retinuerunt in Asia et Græcia et aliæ gentes non prorsus efferæ. Interea polluti vagabantur, circumdati signis reatus: ut vagati sunt Orestes, Adrastus, et alii multi. Hunc morem initio et Ecclesia retinuit. Pollutos arcebat a communione. Deinde agentes pœnitentiam, ut intelligi posset serio eos petere veniam, et ut exemplum aliis prodesset, non subito recipiebat, sed aliquot diebus absolutio differebatur, ut publice petentes conspicerentur. Ita Corinthius incestus arcetur, et postea non sine deliberatione recipitur.

Hic totus mos exempli causa constitutus est, et politicus est, nihil omnino pertinens ad remissionem peccatorum. Crevit autem deinde superstitione, ut indicerentur jejunia, abstinentia a conjuge multis annis. Hæc onera cum nimium crevissent, episcopi ea rursus laxarunt. Hæc laxatio talium rituum nominabatur indulgentia. Harum rerum historiam cum monachi non considerarent, finxerunt fieri compensationem pœnæ æternæ in pœnas purgatorii, et in alias pœnas hujus vitæ. Et addi-

derunt, satisfactiones indici ab Ecclesia, ut illæ pœnæ mitigentur. Et quidem oportere satisfactiones esse opera non debita lege Dei. Has fabulas monachorum, quas ne ipsi quidem intellexerunt, rejicimus, et retinemus regulas firmissimas: pœnæ æternæ simul cum culpa remittuntur propter Filium Dei, non propter ullas nostras compensationes, juxta illud: *O mors, ero mors tua! O inferne, ero pestis tua!* Item: *Justificati fide pacem habemus.*

Secundo: Dicimus opera indebita, de quibus ipsi loquuntur, non esse cultus Dei, aut compensationes, sed pertinere ad hoc dictum: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et certe potestas clavium non habet mandatum indicendi tales pœnas. Dicimus etiam, hanc applicationem indulgentiarum, qua papa aliis applicat merita sanctorum, commentitiam esse: et indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi laxationes canonum, quæ nihil pertinebant ad eas compensationes, de quibus monachi loquuntur.

Aliud autem est, loqui de satisfactione debita: ut de restitutione furti, usurarum, alienæ conjugis, famæ. Hæc restitutio est opus debitum, pertinens ad novam obedientiam, ut Paulus inquit: *Qui furatus fuerat, jam non furetur.* Qui retinet alterius conjugem, nec contritionem, nec fidem, nec novam obedientiam habet. Nec miscenda sunt illis næniis satisfactionum præcepta Dei de restitutione debita, quam dicimus esse faciendam.

Fatemur et hoc, plurimas horrendas pœnas in hac vita vagari per Ecclesiam, per imperia, per familias, propter certa delicta multorum hominum, etiam electorum: ut seditio mota contra Davidem, non leviter adflixit totam illam ecclesiasticam politiam, et multas sanctas familias. Discernimus igitur pœnam æternam, et pœnam hujus vitæ. Et dicimus pœnam æternam, tantum propter Filium Dei remitti, cum fide justificamur et vivificamur. Etsi autem et pœnæ temporales, præcipue propter Filium Dei mitigantur, qui est umbraculum Eccle-

siæ, quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset, sicut Daniel orat: *Propter Dominum exaudi nos, et respice nostrum exilium*, &c. Tamen et hoc docemus, propter ipsam totam conversionem quoque mitigari pœnas: quia in sanctis promissiones legales additæ operibus, non sunt irritæ, sed habent sua præmia: qualis est, *Date, et dabitur vobis:* et cum Paulus inquit, *Si judicaremus nos ipsi, non judicaremur;* loquitur de tota pœnitentia, non de illis vanissimis umbris, quas disputant etiam valere, si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Excogitantur autem et in hac materia novæ præstigiæ. Fatentur satisfactiones non esse compensationes, sed dicunt admittendas esse satisfactiones castigatorias, sicut Paulus Corinthium punit. Ea castigatio erat excommunicatio, et fatentur reos manifestorum scelerum a legitimo judicio et ordine excommunicandos esse, nec est inane fulmen justa excommunicatio. Sed tamen potestas Ecclesiæ non punit vi corporali, carcere, aut inedia. Carcer et supplicia publica ad politicas gubernationes pertinent. Tanta est autem perversitas quorundam, ut quanquam evidentia veritatis convinci se intelligant, tamen quærant sophismatum ludos, ne, si cederent, prodidisse socios existimentur. Deus, qui est inspector cordium, scit nos simplici studio veritatem quæsivisse.

XVIII. *De Conjugio.*

SEMPER in sola Ecclesia mansit incorrupta veritas de conjugio. Scit enim Ecclesia, Deum in genere humano vagas libidines severissime prohibere, et velle intelligi et præstari castitatem, sicut ipse eam ordinat, ut ipsum quoque sciamus mentem puram et castam esse: et a diabolis discernamus, qui odio Dei delectantur confusionibus libidinum; et hanc

infirmam naturam hominum impellunt, ut horribiliter contaminetur. Quare et ubique ethnici quædam tetra exempla admiserunt, et semper hæretici portentosas opiniones de conjugio sparserunt, ut narrant Clemens Alexandrinus et Epiphanius: et magnam deformitatem in hac extrema mundi senecta fecerunt Turcici mores, et lex papæ de cœlibatu. Affirmat autem Paulus, signum esse malorum spirituum, prohibere conjugia. Quare summa cura doctrinam Dei de conjugio incorruptam servamus, et Dei beneficio magistratus politici in sua gubernatione judicia conjugiorum instituerunt et tuentur: et severe puniunt scelera pugnantia cum lege Dei: et sciunt mandato divino præcipi sibi curam tuendæ castitatis, et conjugii. Tenemus autem veram definitionem, mandatis divinis et consuetudini Ecclesiæ apostolicæ congruentem. Conjugium est legitima et indissolubilis conjunctio tantum unius maris et unius fœminæ, observanda propter mandatum Dei, qui vult hoc modo consociatum esse genus humanum, et castitatem intelligi, et non vagari libidines.

Hunc ordinem sanxit Deus initio, in hoc dicto: *Erunt duo in carnem unam*, videlicet unicus mas et unica fœmina inseparabiliter juncti. Et rursus sancita est hæc prima norma a Christo, Matth. xix. Ut autem sit legitima conjunctio, servamus personarum discrimina immutabiliter: ne concedatur commixtio personarum, quibus jure divino non concessa est commixtio. Servantur et regulæ juris canonici de aliis propioribus gradibus, ut extant ordinationes gravi deliberatione traditæ in consistoriis. Scimus autem voluntatem Dei esse, ne prohibeatur conjugium ullis personis, quæ sunt idoneæ ad conjugium: et quæ extra conjugium non viverent absque periculo conscientiæ: sicut Gen. ii. Matt. xix. 1 Cor. vii. scriptum est. Ideo conceditur apud nos conjugium sacerdotibus, et aliis personis, quæ pie in

conjugio vivere malunt, quam in cœlibatu habere sauciatas conscientias, ne Deum invocare et pie vivere possint.

In desponsationibus, etiam juxta vetera jura, parentum consensum accedere volumus, cum probabili ratione parentes moventur. De divortiis firmissime tenetur regula: peccare eos, qui vel adulterio, vel desertione, initium faciunt distractionis, et adulteri et adulteræ: et desertores et desertrices condemnamus voce docentium in ecclesiis, et judicum in consistoriis, et a magistratibus severe puniuntur. Sed personæ innocenti, cum re cognita pronuntiatur esse libera, non prohibetur conjugium, ut Deum invocare et pie vivere possit. Cum enim expresse liberet Dominus personam innocentem, Matth. xix. cum altera polluta est adulterio, intelligenda est liberatio, non tantum nomine, sed re: et Paulus eodem modo loquitur, in casu desertionis. Hæc nostra consuetudo et cum veteri Ecclesia congruit. Cæteræ leges in consistoriis nostris congruunt cum jure canonico, et populo recte proponimus totam doctrinam de conjugio et castitate. Adfirmamus peccata esse damnata a Deo, mortalia, et expellentia Spiritum Sanctum, omnes commixtiones, seu seminis effusiones extra conjugium: et multas tristes pœnas in hac vita vagari per genus humanum propter libidines, sicut scriptum est: *Scortatores et adulteros judicabit Deus:* et de his pœnis extat comminatio, Levit. xviii.

Castitatem vero nominamus, et in vita cœlibe puritatem, et servare jura conjugii: et conjugium, ut antea descripsimus, adfirmamus esse societatem a Deo institutam, et sancitam, et placere Deo hanc ipsam societatem et officia vitæ conjugalis: et damnamus fanaticos omnes, Basilidem, Tatianum, Carpocratem, et similes, quorum alii aliis modis vel damnarunt conjugium, vel tetras confusiones adprobaverunt. Damnamus et legem pontificiam, quæ prohibet sacerdotibus conjugia, et causam præbet

exitii magnæ multitudini hominum, et ob eandem causam vota monastica cœlibatus improbamus. De cæteris causis vero infra loquemur: pugnant enim illæ pontificiæ leges et vota cum divino decreto. Dixit Dominus, *Non est bonum homini esse solum:* dixit, id est, sua inenarrabili sapientia decrevit, genus humanum hoc modo condere ut ex societate maris et fœminæ propagetur: et duos condidit, ut esset Ecclesia: et sanxit has metas, ne vagarentur libidines. Vult enim, intellectum castitatis esse in genere humano. Hæc cum dixerit ac decreverit Deus, dicunt contrarium Tatianus, papa, monachi: qui, cum prohibent conjugium, causam præbent multis hominibus, alioqui ad virtutem idoneis, cumulandi multa horrenda peccata, propter quæ plurimi in æternum exitium ruunt, et ira Dei adversus totum genus humanum magis irritatur. Lex humana pugnans cum decreto divino, et ipso Dei opere in creatione instituto et condito; deinde et cum præceptis divinis; et quæ fons est magnorum scelerum, propter quæ et multi pereunt, et ira Dei magis accenditur; imo quam legem Spiritus Sanctus oriri a Diabolo adfirmat, nequaquam Ecclesiæ imponenda est, sed omnium piorum consensu abolenda est. Non raro autem his 30 annis accidit, ut sacerdotes, quorum mores inculpati fuerunt, et honesti, præcipue propter conjugium, interfecti sint. Ita Diabolus suam legem etiam parricidiis stabilire conatur; et habet organa, scriptores impudentissimos, Eccium, Fabrum, Pygium, qui expresse scripsit, minus peccare sacerdotem si sit mœchus, quam si ducat uxorem. Talia scribi et dici ab iis qui nominari Christiani volunt, indignum est. Vident sapientes, in hac mundi senecta et naturam hominum languidiorem esse, et paulatim majores disciplinæ laxationes et confusiones fieri, et semper ante excidia urbium et ruinas regnorum proxime antecessit licentia in hoc genere. Ideo gubernatores debebant esse vigilantiores, et severiores in tuenda disciplina,

in muniendis conjugii legibus, in puniendis et prohibendis vagis libidinibus: de qua re extare nostras commonefactiones ad omnem posteritatem, gaudemus. Simul etiam oramus Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, custodem Ecclesiæ, vere amantem castitatis, ut Spiritu suo casto in multorum cordibus accendat castitatem, et flectat mentes gubernatorum ad salutaria consilia, et reprimat Diabolum, flammas libidinum accendentem, et impediat ne impia exempla late vagentur. Expavescant omnium piorum animi et pectora, cum tetra et horrenda exempla ethnica legunt, vel audiunt, quæ quidem deinceps et cæcitas in mentibus, et alii furores exitiosi totis gentibus comitati sunt: ut in historiis gentium omnibus obvia sunt exempla. Scedasi duas filias Spartani stupratas in puteum abjecerant: postea quasi in illo ipso vestigio trucidatus est exercitus Laconicus, et imperii mutatio facta est. Sed multa sunt omnium ætatum exempla. Meminimus ipsi, episcopos aliquot præstantes nobilitate et ingeniis in adulteriis interfectos esse. Sed oramus Filium Dei, ut hanc ipsam ob causam plurimos custodiat, et ad castitatem flectat, ut a pluribus recte invocari possit. Quæ vero pro defensione cœlibatus ab adversariis citantur, perinde ad causam accommodata sunt, ut quod Tatianus citabat, ex Evangelio secundum Ægyptios dictum Christi ad Salomonem: "Veni solvere opera mulieris." Id interpretabatur Tatianus: Veni solvere, id est, abolere conjugium, cum Christi verba loquerentur de Hevæ lapsu, et miseriis secutis eum lapsum, sicut et Joan. scribit: *Venit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli.*

XIX. *De Confirmatione, et Unctione.*

NOTUM est, formas consecrandi oleum, magicas et execrandas esse: ideo nec unctiones illæ, in quibus usus est ejus olei, tolerandæ sunt. Et vetustas

hos ritus longe aliter exercuit, quam nunc exercentur. In ritu confirmationis, fiebat exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, et palam profitebantur se improbare furores ethnicos et hæreticos, et velle se esse et manere veræ Ecclesiæ membra, et non discessuros a vera sententia, quam tunc profitebantur. Hic mos erat utilis ad erudiendos homines, et retinendos in vera agnitione Dei. Ac in ecclesiis nostris similia fiunt in catechesi juniorum, et in privata confessione, in qua pastores doctrinam populi explorant. Sed ritus confirmationis, quem nunc episcopi retinent, quid est nisi inanis umbra? Præterea unctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio; ut ex Jacobi Epistola perspicuum est. Nunc spectaculum est plenum superstitionis. Dicunt remitti peccata, per istas unctiones; et addunt invocationem mortuorum, quam etiam necesse est improbare. Ideo hi ritus non servantur in nostris ecclesiis, nec ante hæc tempora Ecclesia sensit esse necessarios. Cæterum pro ægrotis fiunt publice et privatim piæ precationes, sicut promisit Deus se etiam corporales ærumnas petentibus mitigaturum esse, juxta illud: *Invoca me in die tribulationis tuæ, et ego eripiam te.*

Fiunt et funera, honesta congregatione, et piis commonefactionibus, et canticis.

XX. *De Traditionibus, id est, Ritibus in Ecclesia institutis, Authoritate humana.*

NATURA rationalis ordinem intelligit, et intellectus ordinis non obscurum testimonium est de Deo, nec vivere homines sine aliquo ordine possunt: sicuti in familiis videmus oportere distincta esse tempora laborum, quietis, cibi, somni. Et optima quæque natura in tota vita maxime est amans ordinis. Ac Paulus jubet omnia in Ecclesia fieri decore

et ordine. Fuit igitur semper, inde usque ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congressuum: fuit aliqua temporum et aliorum quorundam rituum distinctio, haud dubie plena gravitatis et elegantiæ, apud illa excellentia lumina generis humani, quando in eodem horto aut tugurio consederunt Sem, Abraham, Isaac, et horum familiæ: et audita concione Sem, de vero Deo, de Filio Dei, de distinctione Ecclesiæ, et aliarum gentium, postea simul fecerunt invocationem. Quanquam igitur esse ritus aliquos honestos ordinis causa oportet, tamen homines proni ad superstitionem facile depravant hos ritus, ac fingunt tales observationes esse merita remissionis peccatorum, et justitiam coram Deo: vertunt signa in numina, sicut multi statuis tribuunt numen, et multi vel superstitione vel tyrannide cumulant ritus: ut superstitio in Ecclesia auxit ritus satisfactionum, ut nominant. Nabuchodonozor, Antiochus, quia judicant consensum in religione prodesse ad regni concordiam et tranquillitatem, cultus instituunt, quos pariter a subditis observari volunt. Ibi non superstitione, sed tyrannide novæ leges et nova nomina proposita sunt. Hæc ita fieri in genere humano, turbari et mutari veras et falsas religiones vidimus, et causas miramur, cur non constanter perseverent homines in veritate a Deo monstrata. Sed vox divina adfirmat, a diabolis impelli homines, ut a Deo deficiant: et natura hominum cæca, curiosa, levis, amat ludos variarum opinionum. Adversus hæc magna mala præmunit et confirmat Ecclesiam Deus: dedit ei doctrinam expressam et certam, quæ quidem comprehensa est in libris prophetarum et apostolorum, et symbolis. Quare necesse est considerare quales sint leges seu ritus, et unde sint.

Est igitur prima regula: Nulli creaturæ, non angelis, non hominibus, non regibus, non episcopis licet condere leges aut ritus pugnantes cum verbo Dei. Ut horribiliter peccavit rex Babylonicus,

quanquam excellens sapientia et virtute, jubens adorari statuam. Et peccant omnes homines, qui talibus edictis aut legibus obtemperant: sicut Heva peccabat, discedens a mandato divino propter Diaboli mendacium. Sed universaliter regula servanda est: *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Talia sunt edicta, quæ præcipiunt invocari homines mortuos, aut amplecti falsam doctrinam, aut observari impios cultus. De his omnibus tenenda est regula primi præcepti, 1 Cor. x. *Fugite idola.* Talis est et lex de cœlibatu sacerdotum, quem plurimi sine peccato observare non possunt. Etsi autem scimus, quid de legum mutationibus viri politici judicent: tamen Deus sic ordinavit obedientiam, ut velit nos cum ipso copulatos esse, et congruere cum sapientia et justitia: unde hæ regulæ sunt immotæ et æternæ: *Non habebis deos alienos:* item, *Oportet Deo magis obedire quam hominibus:* item, *Si quis aliud evangelium docet, anathema sit.*

Secunda regula: Cum usitatum sit, superstitiones addere operibus, quæ alioqui suo genere erant indifferentia; ut nos vesci carnibus, aut non vesci carnibus: necesse est superstitiones et errores, qui adduntur, taxare; et doctrinæ exempla in usu libertatis modeste ostendi possunt. Est autem error non obscurus, quem stultitia multorum docentium, et populi plerumque, addit, quod docent et existimant, jejunia et similia opera mereri remissionem peccatorum, tum culpæ, tum pœnæ: ut et Thomas scribit de satisfactionibus, et plurimi sic loquuntur. Hæc Pharisaica imaginatio facile capit animos, et obscurat lucem doctrinæ de beneficiis Christi propriis, et de gratuita remissione, et de fide. Cum enim putant homines mereri se remissionem peccatorum his suis ritibus, transferunt honorem debitum Christo, in hos ritus, et aliquantisper inani fiducia tument. Postea tamen in veris doloribus ruunt in dubitationes, quæ sunt eis exitio. Et per sese magnum peccatum est, non nosse beneficia Filii Dei. Prop-

ter hanc causam Paulus tam acriter dimicat de abrogatione circumcisionis, et aliarum cæremoniarum legis Mosaicæ, ne vera cognitio Mediatoris extingueretur, si existimarent se mereri remissionem peccatorum, et justos esse hac observatione legis et cæremoniarum Moysi, sicut Pharisæi contendebant. Et sæpe monet Paulus, ut caveamus, ne novis cæremoniis humanis lux Evangelii obscuretur.

Secundus error minus conspicuus est, sed tamen perniciosus. Postquam vident aliqui, non posse defendi hunc pharisaicum errorem, delabuntur huc: Etsi, inquiunt, non merentur hæ cæremoniæ remissionem peccatorum, tamen quia sunt bona opera et cultus Dei, defenduntur hæ traditiones: ut in lege Moysi Nazareorum abstinentia, etsi non merebatur remissionem peccatorum, tamen Deo placebat, et erat cultus Deo gratus. Hoc fuco recenter quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his mediis rebus dimicant, sed alios tetros errores et opinionem de potestate episcoporum stabilire conantur.

Necesse est autem, pios hic cavere doctrinæ insidias. Magnus error in hoc ipso fuco inest; non recte citatur exemplum ex Moyse. Longe differunt opera a Deo instituta et ordinata, ab operibus non mandatis et non ordinatis a Deo, sed tantum consilio humano excogitatis. Erant cultus Dei opera in lege Dei ordinata, etsi remissionem peccatorum non merebantur. At ἐθελοθρησκείαι excogitatæ ab hominibus sine mandato Dei, nec fuerunt, nec sunt cultus Dei. Nequaquam probat Deus hanc audaciam hominum, quæ tamen semper usitata fuit, fingendi cultus, id est, opera, quorum finis immediatus sit ut Deus per ea honore adficiatur. Ideo exclamat vox divina, *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et passim in prophetis et apud Paulum taxatur hæc audacia. Sed veri cultus sunt opera a Deo mandata, quæ fiunt in agnitione et fiducia mediatoris, hoc fine, ut Deo præstetur obedientia, et profitea-

mur hunc vere esse Deum, quem sic colimus. Ita Ezech. xx. revocat nos ad præcepta divina, inquiens: *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, sed in præceptis meis ambulate.* Et sæpe repetitæ sunt hæ conciones. Et in Psal. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et in Numer. cap. xv. *Non sequantur cogitationes suas.*

Tertius error est: Hypocritæ fingunt talia opera perfectionis esse, ut monachi sua vota plena vanitatis anteferunt vitæ politicæ et œconomicæ: cum Deus mirando consilio sic consociaverit genus humanum, ut in his laboribus et periculis velit conspici fidem, invocationem, confessionem, mutuam beneficentiam, tolerantiam, et alias virtutes.

Quartus error, est opinio necessitatis, ut scribunt, quod jejunium quadragesimæ necessarium est: alia arbitraria sunt. Nec tantum carnificina est conscientiæ, judicare non esse Christianum, non esse membrum Ecclesiæ Dei, comedentem carnes die sexta, aut non servantem jejunium quadragesimæ; sed error est obscurans res maximas, doctrinam de justitia Evangelii, et de Ecclesia, qualis sit, et quomodo discernenda sint membra Ecclesiæ, non cibo et potu, sed fide, invocatione, et cæteris virtutibus. Ac contra opinionem necessitatis expresse dicitur, Coloss. ii. *Nemo vos judicet in cibo et potu:* et Galat. v. *In libertate qua Christus vos liberavit, state, nec rursus jugo servitutis implicemini.* Et opinio necessitatis magnas discordias semper peperit: ut olim contentiones fuerunt de die paschatis, de fermento, et nunc similes contentiones multæ exortæ sunt.

Quintus error accedit ad priores opiniones. Hic error, quod episcopi sibi sumunt potestatem instituendi novos cultus, et obligandi conscientias: ut Gregorius constituit, ut mariti translati ad ordinem presbyterorum, relinquerent consuetudinem conjugum, et constitutio de confessione præcipit enumerationem, et decreta facta sunt de discrimine cibo-

rum et jejunio, &c. De talibus traditionibus etiam libri extant recentes pleni labyrinthorum, in quibus scribitur, " Peccata mortalia esse violationes talium " rituum, etiam extra casum scandali." Gerson quæsivit ἐπιεικείας: sed vera consolatio est vox Evangelii, quæ vult hunc intellectum libertatis in Ecclesia notum esse et conservari, videlicet remotis illis erroribus, de quibus dictum est: Ritus humanos honestos, ordinis causa factos, servari posse sine opinione meriti, cultuum et necessitatis, ut supra dictum est ex Coloss. ii. *Nemo vos judicet in cibo aut potu*, &c. et Petrus inquit: *Quid tentatis Deum, imponentes jugum cervicibus discipulorum, quod neque patres vestri, neque nos portare potuimus?*

Tertia regula: Remotis erroribus illis, de quibus doceri Ecclesiam necesse est, postea ritus aliquos honestos, boni ordinis causa factos, et servamus, et servandos esse docemus: ut sine ordine homines vivere non possunt: et Paulus inquit, *Omnia fiant decore et ordine.* Et extat Athanasii dictum: " Utiles sunt cæremoniæ, sed cum cognitione veri- " tatis et mediocritate." Hanc vocem apparet oppositam esse superstitioni, quæ nunc quoque augebat cæremonias, et obscurabat veritatem, et onerabat conscientias et ecclesias.

Agimus autem gratias Deo, æterno Patri Domini nostri Jesu Christi, qui propter Filium, et per eum, æternam Ecclesiam colligit, quod inde usque ab initio generis humani conservavit publicum ministerium Evangelii, et honestos congressus; qui ipse etiam distinxit quædam tempora: et oramus eum, ut deinceps servet et regat Ecclesiam. Et studiose docemus, ut omnes adjuvent conservationem publici ministerii, et vitent scandala et dissipationes, ut suo loco copiosius dicetur.

XXI. *De Vita Monastica.*

OMITTIMUS longiorem commemorationem de veteribus historiis eorum, qui vel in solitudinem discesserunt, ut Antonius; vel collegia similia scholis instituerunt, extra civitatum frequentiam, ut Basilius. Aliæ enim aliis causæ fuerunt secedendi. De præsentibus monachis jam loquamur, qui minime sunt in solitudine. Collegia sunt hominum, vel doctorum, vel indoctorum, in media luce et frequentia commodius viventium, quam vivunt alii homines. Habent voluptates quas expetunt, alii alias; et multo plus ocii, quam cæteri homines, in vita politica et œconomica. Ne ipsi quidem jam illa ridicula encomia de perfectione, et de vita contemplativa ad se transferunt, ut olim aliqui fecerunt. Et cum magna sit dissimilitudo hominum in illis sodalitiis, non volumus concionari malis, qui propter culinas et licentiam illas latebras amant: sed sanabiles obtestamur propter gloriam Dei, et suam salutem, ut cogitent hæc dicta: *Non habebis deos alienos: Fugite idola.* Qualis nunc est vita monastica? plurimum habet impiorum cultuum et vanitatis: missas habent venales pro vivis et mortuis, et hic quæstus est in plerisque monasteriis maximus. Usitata est ibi et mortuorum invocatio, cumulata multis tetris superstitionibus, statuarum adorationibus, indulgentiis, et aliis imposturis. Studia doctrinæ aut nulla sunt, aut corrupta. Hæ solæ causæ satis magnæ sunt cur homines non profani ex illis sodalitiis discedere debeant. Quia vota quæ implicant te generi vitæ, in quo est cultus idolorum, sunt haud dubie irrita, juxta primum mandatum, quod est immotum et æternum, et regula omnium aliorum præceptorum: *Non habebis deos alienos.*

Citant ex Paulo de viduis: *Primam fidem irritam fecerunt.* Sed responsio firma et perspicua est. Etiamsi loqueretur Paulus de votis, tamen talia vota nullo modo probaret, quæ conjuncta sunt cum cultu

idolorum, et multis erroribus. Sunt autem et alia multa mendacia in votis. Promittunt castitatem et paupertatem. Quam multi sint idonei ad vitam cœlibem, ipsi norunt; deinde de paupertate, scimus multo plures quærere ibi culinas instructas, quam inopiam et famem. Jam hoc quoque considerandum est: excusent et laudent vitam monasticam homines diserti ut volent, tamen semper hæc opinio in hominibus non profanis hoc exemplo confirmatur; Quod talia opera electa humano consilio sint cultus Dei, id est, opera per quæ Deus judicet se honore adfici. Hæc opinio taxanda est, et hominum mentibus evellenda est, et retrahendi sunt homines ad mandatum Dei, juxta hoc dictum: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Item: *Non in præceptis patrum vestrorum, sed in præceptis meis ambulate.* Hæc reprehensio vitæ monasticæ vera et illustris est. Jam si adfingunt merita et perfectiones, magis obscuratur Evangelium de justitia fidei, et veris cultibus. Quia tetrum et horribile mendacium est, observationes monasticas mereri remissionem peccatorum, aut tantundem valere quantum valet baptismus: sicut Thomas expresse dicit. Nec fuit ignota antiquitati hæc reprehensio. Extat enim narratio seu vera, seu docendi causa scripta, quæ tamen judicia piorum indicat. Scribunt, Antonio cupienti scire quantum apud Deum profecisset in illis exercitiis solitudinis, monstratam esse domum sutoris Alexandrini, vicinam portæ. Ingressus igitur, alloquitur patremfamilias, interrogat de doctrina et de exercitiis pietatis. Hic recte de doctrina respondet. Postea ait, se mane brevi precatione Deo gratias agere, et pro cæteris beneficiis, et quod Filium miserit. Deinde petere se remissionem peccatorum propter Filium, et orare ut Ecclesiam servet et suam familiam, orare et Filium ut pro nobis intercedat, et hac fide acquiescere, et lætum facere domesticas operas, et curare ut filii recte

doceantur. Non alia, inquit Antonius, habes exercitia duriora? Parumne sustinet laboris, inquit iste, qui familiæ victum quærit? et multa subinde incidunt, quæ patremfamilias duriter excruciant, et accedunt onera communia civium. Non vides, quantum sit privatarum et publicarum miseriarum in vita? quas recte ferre, et in his exercere fidem et patientiam, satis duram militiam esse existimes. Abiit Antonius, et intellexit se commonefieri, ne anteferret sua exercitia officiis vitæ communis. Tales narrationes, et aliæ, leguntur: quæ etiamsi docendi causa scripta sunt, tamen ostendunt eruditorum judicia. Nec jam longiorem disputationem addere opus est, præsertim cum nemo in illis locis ubi sunt monachi, ignoret, plurimum esse pravarum superstitionum in monasteriis, et studia doctrinæ vel nulla, vel corrupta esse. Deliberationem vero de modo emendationis relinquimus iis qui præsunt.

In multis locis desunt pastores ecclesiis, aut deest victus pastoribus. His primum opitulandum erat ex reditibus monasteriorum locupletium. Postea pauperum quoque studia inde juvanda sunt, et in aliquibus scholæ constitui possunt, præsertim cum necesse sit, Ecclesiam multis pauperibus præbere sumptus ad discendum, ut ex eo numero legantur pastores et ministri qui doceant Ecclesias. Hospitalia etiam inde juvanda sunt, in quibus pauperes, qui diuturnis morbis laborant, ali necesse est.

Ad tales usus vere pios, ad alendos pastores, pauperes, et scholasticos, ad constituendas scholas, ad juvanda hospitalia magna pars redituum in monasteriis, in his regionibus Dei beneficio translata est. Reliquum in œconomiam in quolibet monasterio impenditur, et stultitia est existimare œconomias non esse sumptuosas. Abbates vero ditiores hoc tempore, in quales usus profundant reditus, exempla multorum ostendunt, quos nominare possemus: qui pariter literas, religionem et virtutem oderunt,

et helluantur de his eleemosynis, et aut nullos pastores ecclesiis suis præficiunt; aut, si quos habent, esurire sinunt.

XXII. *De Invocatione Hominum piorum, qui ex hac Vita discesserunt.*

IN capite Esaiæ xlii. scriptum est: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Gloria Dei propriissima est invocatio, ut Matth. iv. inquit Dominus: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et immotum ac æternum decretum est primi præcepti: *Non habebis deos alienos.* Necesse est igitur in Ecclesia doctrinam de invocatione purissime extare, ad quam corrumpendam inde usque ab initio generis humani Diabolus variis modis semina sparsit et sparget. Quare vigilantiores esse debemus, et majori cura retinere modum invocationis, seu adorationis, propositum in verbo Dei, juxta dictum: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciet.* In his verbis sancitus est modus, quem constantissime tueri debemus: non miscere alios modos, pugnantes cum voce divina, aut qui nullo exemplo probato in scripturis firmati sunt. Nulla major virtus est, nulla efficacior consolatio, quam vera invocatio. Necesse est igitur taxari eos, qui veram invocationem vel negligunt, vel corrumpunt; et sunt corruptelæ variæ. Multi non discernunt suam invocationem ab ethnica, ac ne cogitant quidem quid alloquantur. De his inquit Dominus Johan. iv. *Vos adoratis quod nescitis.* Vult Ecclesiam cogitare quid alloquatur, inquiens: *Nos adoramus quod scimus.* Multi non cogitant, an, et quare exaudiantur. Recitant precationes, et dubitant tamen, cum scriptum sit: *Postulet in fide, nihil hæsitans.* De his materiis alibi dicemus: hoc loco reprehendimus hanc corruptelam ethnicam, quod defenditur consuetudo alloquentium

homines, qui ex hac vita discesserunt, et petitur ab eis vel auxilium, vel intercessio. Talis invocatio aberrat a Deo, et tribuit vel efficaciam creaturis, vel auxilium, vel intercessionem. Nam qui verecundius locuti sunt, de sola intercessione dixerunt. Sed humana superstitio longius procedit, et efficaciam tribuit, sicut multæ cantiones publicæ ostendunt: "Maria mater gratiæ, Tu nos ab hoste protege, In "hora mortis suscipe." Hos versiculos audivimus doctorem theologiæ monachum præfari morienti, et sæpe repetere, cum quidem nullam Christi mentionem faceret, et possent exempla multa recitari. Accedunt et alii furores. Alii apud alias statuas existimantur esse magis propitii. Hi furores cum palam similes sint ethnicorum, et haud dubie valde irritent iram Dei, et a docentibus taxandi sunt, et a piis magistratibus severe puniendi.

Reprehensio autem perspicua argumenta hæc tria continet. Creaturis tribuere omnipotentiam, est impietas: invocatio creaturæ, quæ est extra hanc vitæ consuetudinem, tribuit ei omnipotentiam: quia confessio est, quod intueatur omnium corda, et discernat gemitus veros a simulatis. Hæc tantum tribuenda sunt æterno Patri, et Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, et Spiritui Sancto. Nequaquam igitur invocatio ad homines, qui ex hac vita discesserunt, facienda est. Dolendum est, hæc mala non intelligi. Sed te ipsum aspice, et considera quid agas. In hac invocatione discedis a Deo, nec cogitas quid invoces: et scis illos opitulatores, quos quæris, Annam, aut Georgium, non videre motus tui cordis: qui quidem si scirent se invocari, etiam cohorrescerent, nollent hunc honorem Deo debitum tribui ullis creaturis. Qualis autem est invocatio ad surdos? Etsi scimus quid respondeant adversarii, (finxerunt enim sophismata, ad eludendam veritatem,) tamen divina testimonia ipsorum responsioni desunt. Et precatio quæ est sine fide, hoc est, ubi non potes statuere, an talem invocationem adprobet

ac recipiat Deus, inanis est. Meminimus Lutherum sæpe dicere: " In Veteri Testamento illustre testi-" monium esse divinitatis Messiæ, quod adfirmat " eum invocari." Et hac proprietate Messias ibi a cæteris prophetis discernitur. Id gravissimum testimonium querebatur obscuratum et labefactatum esse, translata invocatione ad alios homines. Ac propter hanc solam causam, dicebat, consuetudinem alios invocandi improbandam esse.

Secundum argumentum est: Irrita est invocatio sine fide, et nullus cultus in Ecclesiam sine mandato divino invehendus est. Nulla autem extat sententia, quæ ostendat invocationem hanc, quam defendunt, ad homines factam, Deo placere, et efficacem esse. Est igitur irrita invocatio. Qualis est enim precatio, hoc modo accedere ad Annam, aut Georgium: Invoco, sed dubito utrum tua intercessio mihi prosit, dubito an me audias, an mihi opem feras.

Si homines hæc arcana peccata intelligerent, execrarentur tales precationes: ut revera sunt execrandæ, et sunt ethnicæ. Postea ex talibus vitiis quanti furores sequuntur? concursus et invocationes ad certas statuas, petitio certorum beneficiorum a singulis: ab Anna, ut a Junone, petuntur divitiæ: a Georgio, ut a Marte, victoriæ: a Sebastiano, Rocho, depulsio pestilentiæ: ab Antonio, defensio porcorum. Hæc etiamsi adversarii dicunt se non probare, tamen lucri causa retinent, ut manifestum est.

Adjungamus et tertium argumentum. Expresse scriptum est: *Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Hunc in omni invocatione intueri nos oportet, et Evangelii doctrinam de eo nosse: Quod nemo ad Deum accedere possit, nisi fiducia hujus Mediatoris, qui simul interpellat pro nobis, ut ipse inquit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium.* Et jubet ipse nos ad sese confugere, inquiens: *Venite ad me omnes qui laboratis, et*

onerati estis, et ego reficiam vos. Et modum invocationis ipse docet, cum ait: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Patrem nominat, ut sejungas tuam invocationem ab ethnica, et cogites quid alloquaris. Cogites hunc verum Deum esse, qui se patefecit misso Filio. Non vagetur animus, ut ethnica mulier in tragœdia dicit, " Invoco " te Deus, quicquid es, &c."

Sed hunc esse verum Deum scias, qui se patefecit misso Filio, crucifixo et resuscitato: et talem agnoscas, sicut se patefecit. Deinde scias, hunc ita certo recipere et exaudire invocantes, cum ad Mediatorem Filium, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, confugimus, et petimus nos propter eum recipi, exaudiri, juvari et salvari. Nec alio modo ullus homo recipitur a Deo, vel exauditur: nec incerta est hæc invocatio, sed jubet sic invocantes firma fide statuere, hunc cultum Deo placere, et sic invocantes certo recipi et exaudiri. Ideo inquit: *Quicquid petieritis in nomine meo*, id est, me agnoscentes, et nominantes, seu invocantes tanquam Redemptorem, summum Sacerdotem et Intercessorem.

Solus hic summus Sacerdos ingreditur in sanctum sanctorum: id est, in arcanum consilium divinitatis, et cernit pectus æterni Patris, et pro nobis interpellat, et nostros dolores, gemitus, et preces ad eum perfert, scrutans corda nostra. Hanc doctrinam de Mediatore obscuratam et corruptam esse, manifestum est, cum confugerent homines ad matrem Virginem, tanquam magis propitiam, et alii alios mediatores quærerent.

Ac manifestum est, nullum extare exemplum in prophetis, aut apostolis, ubi fiat compellatio ad homines: Exaudi me Abraham; vel, Exaudi me Deus propter Abraham. Sed compellatio fit ad Deum, qui se patefecit: videlicet ad æternum Patrem, Filium Dominum nostrum Jesum Christum, et Spiritum Sanctum, ut recipiat, exaudiat, et salvet propter Filium.

Fit et expresse ad Filium, ut 2 Thess. ii. *Ipse Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, confirmet vos,* &c. Gen. xlviii. nominat Jacob Deum, et Mediatorem Filium, cum ait: *Deus, coram quo ambulaverunt patres mei, et Angelus qui eripuit me de cunctis malis,* (id est, promissus Salvator,) *benedicat pueris istis.* Utimur igitur his formis: Invoco te omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Jesu Christi, Conditor cœli et terræ, et omnium creaturarum, una cum Filio tuo Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu Sancto tuo, sapiens, verax, bone, juste, liberrime, caste, et misericors, miserere mei, et me per et propter Jesum Christum, Filium tuum crucifixum pro nobis, et resuscitatum, exaudi et sanctifica me Spiritu Sancto tuo.

Invoco te Jesu Christe, Fili Dei, crucifixe pro nobis et resuscitate, miserere mei, intercede pro me apud æternum Patrem, et sanctifica me Spiritu tuo Sancto. In his formis scimus quid alloquamur. Et cum extent testimonia verbi Dei, quæ ostendunt hanc invocationem Deo placere, et exaudiri, talis invocatio fide fieri potest.

Hæc non sunt in invocatione quæ fit ad homines. Colligunt nonnulli testimonia ex Augustino, et aliis, ut ostendant beatis in cœlo curæ esse res humanas. Potest hoc illustrius ostendi ex colloquio Moysi et Eliæ cum Christo. Et non dubium est, beatos orare pro Ecclesia: sed tamen inde non sequitur, invocandos esse. Etsi autem docemus, non invocandos esse homines; tamen historias beatorum populo proponimus. Quia necesse est omnibus aliquo modo notam esse historiam Ecclesiæ, quibus testimoniis vocata et condita sit Ecclesia, et quomodo servetur, et quod genus doctrinæ per patres, prophetas, apostolos, et martyres propagatum sit. In his historiis jubemus, ut omnes agant gratias Deo, quod se patefecit, quod colligit Ecclesiam per Filium, quod doc-

trinam nobis tradidit, et quod misit doctores, et in eis testimonia de se ostendit.

Jubemus, ut doctrinam eorum considerent, et eis testimoniis, quæ Deus in eis ostendit, fidem confirment. Considerent item exempla judicii et pœnarum, ut excitetur in eis timor Dei: jubemus imitari fidem, patientiam, et cæteras virtutes. Discant in Deo non esse προσωπολημψίαν, et petant se quoque recipi, exaudiri, regi, salvari, et juvari: sicut Deus recipit Davidem, Manassem, Magdalenam, latronem in cruce.

Monemus etiam, quomodo exempla cuilibet in sua vocatione imitanda sint. Quia error in imitatione, et κακοζηλία, sæpe ingentium malorum causa est. Laudamus etiam ipsorum sanctorum diligentiam, qui curaverunt ne effunderent dona Dei. Denique non stulti amplissimam doctrinam ex his historiis promere possunt, quam proponi populo remota superstitione utilissimum est.

XXIII. *De Magistratu politico.*

DEI beneficio in ecclesiis nostris et hæc pars doctrinæ de dignitate magistratus qui gerit gladium, et de dignitate legum, judiciorum, et totius ordinis politici, pie illustrata est: et magno labore ac multis scriptis refutati sunt anabaptistarum et aliorum fanaticorum hominum multi et magni furores.

Docemus igitur, in tota doctrina Dei, per prophetas et apostolos tradita, adfirmari ordinem politicum, magistratus, leges, judicia, et legitimam societatem hominum nequaquam casu existere in genere humano. Et quanquam multum est horribilium confusionum, quæ a Diabolo et hominum furoribus oriuntur, tamen a Deo institutam esse legitimam gubernationem, et societatem hominum: et quantum ordinis reliquum manet immensa bonitate

Dei propter Ecclesiam conservari. Sicut Rom. xiii. dicitur, et in Psal. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, &c. Sunt igitur res suo genere bonæ, gerere magistratus, esse judicem, esse ministrum judiciorum, legitime uti judiciis, gerere bella legitima, et esse militem in bellis legitimis, &c. Et potest his rebus uti homo Christianus, sicut utitur potu, cibo, remediis, emptione, venditione. Nec peccat gerens magistratus juxta vocationem, exercens judicia, militans, legitimo supplicio adficiens condemnatos, &c. Et magistratui politico subditi debent obedientiam, sicut Paulus inquit: *Non solum propter iram*, id est, metu pœnæ corporalis, qua adficiuntur contumaces ab ipsis magistratibus: *sed etiam propter conscientiam*, id est, contumacia est peccatum offendens Deum, et avellens conscientiam a Deo.

Hanc sententiam divinam ecclesiis proponimus, quæ innuit potestatem legitimam, et totum ordinem politicum: et ostendimus discrimen Evangelii, et politicæ gubernationis. Vult Deus regi et coerceri politica gubernatione omnes homines, etiam non renatos: ac lucent in hac gubernatione quoque sapientia et justitia Dei, et bonitas, erga genus humanum. Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen virtutum et vitiorum, et consociatio hominum per legitima imperia, et contractus miranda sapientia ordinatos. Deinde justitia Dei conspicitur in politica gubernatione; quia vult puniri manifesta scelera a magistratibus: et cum ipsi, qui præsunt, non sumunt supplicia de sontibus, Deus ipse mirabiliter rapit eos ad pœnas, et regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac vita, ut dicitur: *Qui gladium acceperit, gladio peribit:* item, *Scortatores et adulteros judicat Deus*, &c. Vult in his pœnis conspici discrimen virtutum et vitiorum, et vult disci, Deum sapientem, justum, veracem, et castum esse. Conspicitur et bonitas Dei erga genus humanum; quia hoc modo societatem hominum conservat.

Ideo autem conservat, ut inde Ecclesia colligi possit: et vult politias esse hospitia Ecclesiæ. Et aliud est politica gubernatio, quæ coercet omnes etiam non renatos: aliud remissio peccatorum et justitia in cordibus, quæ est inchoatio vitæ et salutis æternæ, quæ voce Evangelii fit in credentibus. Utrumque bonum tribuit Deus generi humano: et discrimina justitiæ politicæ et lucis in cordibus vult intelligi. Nec Evangelium damnat aut dissipat politias, aut œconomias. Etsi autem non pertinet ad docentes in Ecclesia, leges particulares ferre de politica gubernatione: tamen in genere de officio potestatis hoc tradit vox divina. Primum: Vult Deus, sine ulla dubitatione, magistratus sonare vocem legis moralis in genere humano, quod ad disciplinam attinet, juxta Decalogum seu legem naturalem: hoc est, vult magistratuum voce primum proponi summas et immutabiles leges, prohibentes cultum idolorum, blasphemias, perjuria, injustas cædes, vagas libidines, violationem conjugii, furta et fraudes in pactis, contractibus et judiciis. Secundum officium: Harum legum divinarum et immobilium, quæ sunt testimonia de Deo, et summa norma morum, sit custos magistratus, in puniendis omnibus qui eas violant. Nam vox legis sine pœna et executione, parum valet ad frænandos et coercendos homines. Ideo dictum est a Paulo: *Potestas sit terrori malo operi, et honori bono:* et antiquitas recte dixit: Magistratus est custos legis, scilicet primæ et secundæ tabulæ, quod ad disciplinam attinet.

Tertium officium est magistratus politici, etiam addere naturali legi aliquas leges, quæ sunt determinationes circumstantiarum legis naturæ. Itaque et harum legum custos in puniendo sit, sed nequaquam ferat aut defendat leges pugnantes cum jure divino et naturali, sicut scriptum est Esaiæ x. *Væ iis qui condunt leges iniquas.* Quia imperia sunt ordinatio divina, in qua sapientia et justitia Dei, id est leges justæ dominari debent, sicut inquit rex

sapiens et Deum timens Josaphat: *Non hominum exercetis judicium, sed Dei, qui vobiscum est in judicio. Sit timor Dei vobiscum, et cum diligentia omnia agite.*

Quanquam autem multi in imperiis negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura esse debebat, audire et amplecti veram doctrinam de Filio Dei, et ecclesias fovere, sicut Psal. inquit: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Item: *Aperite portas principes vestras:* id est, Aperite imperia Evangelio, et præbete hospitium Filio Dei. Et Esaiæ xlix. *Et reges erunt nutritores tui, et reginæ:* id est, respublicæ sint nutrices Ecclesiæ, præbeant hospitia ecclesiis et piis studiis. Ipsi quoque reges et principes sint membra Ecclesiæ, et doctrinam recte intelligant, non adjuvent eos qui falsam doctrinam stabiliunt, et injustam sævitiam exercent, sed sint memores hujus dicti: *Glorificantes me glorificabo:* et Daniel regem Babylonicum hortatur ad agnitionem iræ Dei, et ad clementiam erga exulantem Ecclesiam, cum ait: *Redime peccata tua cum justitia et clementia erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum:* et cum sint inter præcipua Ecclesiæ membra videant ut judicia in Ecclesia recte exerceantur: sicut Constantinus, Theodosius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, et multi pii reges curaverunt recte exerceri judicia Ecclesiæ. Cæterum de discrimine utriusque gradus ministerii evangelicæ et politicæ potestatis, extant scripta in ecclesiis nostris multa, quæ ostendunt, nos neque fanaticas, neque seditiosas opiniones spargere, sed monstrare necessariam doctrinam in Evangelio traditam de utroque gradu, utilem pietati et paci communi.

Deo Gratia.

Hæc est summa doctrinæ, quam in ecclesiis nostris, Dei beneficio, una voce sonamus: quam quidem esse incorruptam sententiam doctrinæ divinitus

traditæ in scriptis propheticis et apostolicis et symbolis, nequaquam dubitamus: et ex vetustis scriptoribus sincerioribus intelligi potest, congruere eam cum veteri et puriore Ecclesia.

Ostendit autem res ipsa, nos non curiositate novas aut argutas disputationes quæsivisse, nec de potentia aut opibus contendere, sed tantum necessariam doctrinam ad veram invocationem Dei, ad veros cultus, ad veram cognitionem Filii Dei, et ad salutem animarum, ex magna caligine traditionum et opinionum evolvere, et simplicissime ac planissime eam ecclesiis proponere. Necesse est enim omnes sanos fateri, magnas fuisse doctrinæ tenebras, et multos errores in doctrina monachorum, et laqueos conscientiarum multiplices in pontificiis traditionibus. Et utra doctrina sit vera, plana, perspicua, utilis conscientiis et moribus, ostendit collatio. Non enim defugimus judicia piorum: imo semper veram Dei Ecclesiam, hoc est, omnes pios et eruditos, ubicunque sunt, volumus hæc quæ dicimus cognoscere: quos non dubitamus testes fore, hanc doctrinam esse veræ Ecclesiæ Dei catholicæ consensum. Offerimus etiam nos, quocunque tempore, ad copiosiorem declarationem, in singulis partibus: et hanc commemorationem doctrinæ nunc factam congruere cum Confessione Augustæ exhibita anno 1530. sentimus.

Cum igitur doctrina, quam recitamus, vera sit, et Ecclesiæ necessaria, oramus ne damnentur Ecclesiæ nostræ, quasi aut errores amplectantur, aut sine gravi causa stolide et seditiose tumultuentur. Veritas, et rerum magnitudo, hac injusta criminatione nos liberent. Deinde ipsam synodum pie monemus: vident veteres abusus, et errores multos et magnos hærere in Ecclesia. Quia omnibus ætatibus inde usque ab initio generis humani, Diabolus errorum semina spargit: et postea multa, inscitia hominum, aut superstitione confirmantur aut repullulant. Cum autem jam vanitas multarum supersti-

tionum nota sit, tempora flagitant emendationem: et nisi gubernatores curabunt extare illustratam veritatem, magnæ distractiones opinionum secuturæ sunt, præsertim cum in hac postrema mundi senecta plus confusionum impendeat. Ideo synodus videat, ne manifestam veritatem damnet. Et si pie deliberatura est, quomodo consulendum sit ecclesiis, et a nobis declaratio copiosior petetur; eligendi sunt viri eruditi, intelligentes et amantes veritatem, et timentes Deum, qui de his tantis rebus simul deliberent. Nec tantum numero suffragiorum nobiscum certetur; cum manifestum sit ex multis præjudiciis, quid Romanus pontifex et multi alii ei addicti sentiant, qui tot jam annos non solum edicta contra nos sanguine scripta ediderunt, sed etiam multos nobiscum sentientes interfecerunt: et multi doctrinam nec intelligant, nec curent, sed, profanis persuasionibus imbuti, existiment hoc præcipue dignum esse politicis viris, defendere præsentem formam, et tueri autoritatem suam; et ad hanc rem quærunt ministros idoneos, qui sophismatum præstigiis veritatem eludant. Quare jam testamur, nos veritatem non abjecturos esse, etiamsi talium hominum judiciis condemnata fuerit: et palam testamur, nos Tridentinæ synodi, quæ antea edidit decreta partim falsa, partim ambigua et sophistica, non adsentiri: sed flagitare, ut de iisdem rebus et audiamur, et errores antea confirmati decretis Tridentinis emendentur. Et reverenter oramus invictissimum imperatorem Carolum augustum, ne permittat adversariis, ut veritatem sua audacia opprimant, et crudelitatem quæ adversus innocentes exercetur confirment, et majora dissidia injustis decretis excitent.

Commendamus autem et Ecclesiam et nos ipsos Filio Dei Domino nostro Jesu Christo, quem scimus voce Evangelii colligere sibi æternam Ecclesiam: et eum oramus, ut nos regat, nec sinat extingui lucem Evangelii sui, nec deleri sinat cœtus ipsum recte invocantes.

NOS, quorum nomina adscripta sunt, qui nunc in ecclesiis et academiis, quarum infra fit mentio, docemus, affirmamus, et hoc scripto, quod dextre et non calumniose intelligi volumus, recitatam esse doctrinam communem quæ sonat in ecclesiis et academiis, in quibus Evangelium docemus; et sentimus vere hanc esse puram et incorruptam doctrinam Ecclesiæ Domini nostri Jesu Christi, congruentem cum scriptis propheticis, et apostolicis, et symbolis; ac necessariam esse ecclesiis. Et oramus Dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut has ecclesias clementer regat et protegat. Offerimus etiam nos ad declarationem in singulis articulis.

Hæc scripta sunt anno 1551. *die decima Julii, in oppido Witteberga, ubi vicinarum ecclesiarum pastores convenerant.*

Ego Johannes Bugenhagen Pomeranus, doctor, pastor Ecclesiæ Witebergensis, et superintendens in electoratu Saxoniæ, subscripsi hac mea manu. Johannes Pfeffinger, doctor theologiæ, pastor Ecclesiæ Christi in urbe Lipsia, et superintendens, manu propria subscripsi. Erasmus Sarcerius, pastor Ecclesiæ Lipsensis apud D. Thomam. Wolfgangus Pfentnerus, doctor, pastor Ecclesiæ Annæmontanæ. Caspar Zeunerus, pastor Fribergæ. Daniel Gresserus, pastor et superintendens Ecclesiæ Dresdensis. Antonius Lauterbarch, Ecclesiæ Pyrnensis pastor et superintendens. Nicolaus Picus, pastor et superintendens Ecclesiæ Chemnicensis. Georgius Hala, pastor Zuiccaviensis. Johannes Schreiner, pastor et superintendens Ecclesiæ Grymmensis. Augustinus Hymmel, pastor et superintendens Ecclesiæ Aldenburgensis. Jacobus Weigant, pastor et superintendens Welssenfelsensis. Johannes Buchner, pastor et superintendens Oschatzensis. Ego Johannes Rutilius Saltzo in Turingia superintendens, hanc Confessionem approbo, ut Christianam, in hujus signum me subscripsi. Johannes

Woitlender, pastor et superintendens in Eccersberg. Jacobus Klapius, Ecclesiæ Hainensis pastor et superattendens. Georgius Mohr, pastor et superintendens Torgau. Martinus Wolfius, pastor et superintendens Coldicensis. Valentinus Braun, pastor in Dobeln subscripsit. Sebastianus Froschelius, minister Ecclesiæ Wittebergensis. Lucas Hezer, minister et concionator Ecclesiæ Witebergensis subsc. Alexander Alesius Scotus, doctor theologiæ, et decanus collegii theologici in academia Lipsica. Bernardus Zieglerus, doctor theologiæ. Nicolaus Herco, S. theologiæ doctor. Georgius Zetler, doctor theologiæ. Johannes Mencelius, doctor theologiæ. Joachimus Camerarius Pabepergensis, studiorum liberalium professor Lipsiæ, οὕτω φρονῶ καὶ πιστεύω. *Johannes Forsterus, S. theologiæ doctor et professor Witebergensis. Georgius Maior, sacræ theologiæ doctor et professor in academia Witebergensi. Philippus Melanchthon, professor in academia Witebergensi. Paulus Eberus Kittingensis, professor artium in academia Witebergensi.*

SCRIPTUM legatorum illustrissimi principis, domini Johannis marchionis Brandeburgensis, &c. Germanice tantum extat. Actum Wittenberg. in ædibus domini Philippi die 26. Junii, anno 1551.

SCRIPTUM legatorum generosi comitis Gebharbi a Mansfelt, &c. Germanice etiam tantum extat. Actum Witebergæ, Calendis Augusti, anno 1551.

SCRIPTUM legatorum illustrissimi principis, domini Georgii Frederici marchionis Brandeburgensis, &c.

Ego Georgius Karg, pastor Suabacensis, et Johannes Serranus, alias Seger, pastor Rosfeldensis,

ab illustrissimi principis et domini, domini Georgii Frederici marchionis Brandeburgensis &c. domini nostri clementissimi senatu ablegati Witebergam, ad reverendos patres et præceptores nostros, D. Philippum Melanchthonem, et cæteros sacræ theologiæ doctores, ut cognosceremus Confessionem Fidei recens a D. Philippo Melanchthone scriptam, exhibendam concilio Tridenti congregato: testamur nos accurate legisse hoc scriptum, et affirmamus in eo doctrinam Evangelii Domini nostri Jesu Christi, prout in sacra scriptura utriusque Testamenti et in symbolis continetur, sincere et sine sophistica, modo dextre intelligatur, propositam, quæ et in ecclesiis nostris, aliquot jam annis prædicata nunc etiam docetur, auditur et approbatur ab omnibus vere piis et Spiritu Dei Sancto illuminatis. Et oramus Dominum nostrum Jesum Christum, propter peccata nostra a Deo Patre traditum, et propter justificationem nostram resuscitatum, ut ecclesias quoque nostras cum omnibus aliis clementer regat et protegat, nosque in ea fide et libertate, in qua stamus, confirmet, adeoque constanter ad finem usque vitæ nostræ per Spiritum suum Sanctum conservet, Amen. Actum Witebergæ, die 12. *Septembris, anno* 1551.

SCRIPTUM Legatorum Generosorum Comitum a Mansfelt.

CUM nostrorum comitum nomine Witebergam ablegati essemus ad petendum consilium de concilio indicto, a reverendis viris D. Philippo Melanchthone, cæterisque præceptoribus nostris observandissimis, forma ejus scripti, quod in concilio offerendum esset, nobis exhibita est. Summa igitur qua potuimus attentione, pro ingeniorum nostrorum tenuitate et pro temporis ratione, id scriptum legimus et consideravimus. Testamur itaque in isto scripto,

summam ejus doctrinæ quæ Dei beneficio in ecclesiis harum regionum incorrupte hactenus sonuit et sonat adhuc, perspicue comprehensam esse. Judicamus autem eam cum scriptis et perpetuo consensu prophetarum et apostolorum congruere, neque ulla sophistica labefactari posse. Agimus igitur Deo Patri Domini nostri Jesu Christi gratias, pro patefacta luce Evangelii, et precamur ardentibus votis, ut hanc sinceram doctrinam adversus omnes insidias et impetus Diaboli tueatur et conservet: et colligat sibi inter nos et alias quoque gentes Ecclesiam, se perpetuo agnoscentem, invocantem et celebrantem. Ut igitur huic scripto suffragium et testimonium nostrum adderemus, nomina nostra subscribere voluimus. Michael Cœlius, inclytorum ac generosorum comitum a Mansfelt concionator. Johannes Wigandus, minister verbi Dei in oppido Mansfelt. Johannes Prætorius, minister verbi Dei in arce Stolberg. Valentinus Sifridi, minister verbi Dei in oppido Ortemberg in comitatu Konigsteinensi, subscripsi.

SCRIPTUM ministrorum Ecclesiæ in inclyta urbe Argentorato, S. D.

Scriptum D. Philippi Melanchthonis, charissimi præceptoris nostri, quod dilectus frater et symmysta noster D. Johannes Marbachius attulit, vidimus, legimus, et exosculati sumus, bonaque fide de eo testamur quisque sua manu, quod consonum sit unicæ et veræ doctrinæ de Dei essentia et voluntate quæ a Deo patefacta est et commendata primis patribus et prophetis, postea illustrata voce Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, crucifixi pro nobis et resuscitati, et voce apostolorum et apostolicorum virorum; ac nequaquam recipiendas ullas opiniones pugnantes cum illa prima prophetica doctrina et voce Filii Dei. Gaspar Hedio, doctor theologiæ,

docens Evangelium in Ecclesia Dei, in inclyta urbe Argentorato, manu propria subscripsit, ut una sit vox multarum ecclesiarum. Johannes Marbachius, theologiæ doctor et pastor Ecclesiæ ad S. Nicolaum, Argentorati. Beatus Geringus, minister Evangelii Christi veteranus, pastor Ecclesiæ Dei quæ apud D. Thomam Argentorati. Theobaldus Nigri, minister in Evangelio Christi Ecclesiæ Argentoratensis. Lucius Kiberus, pastor. Johannes Lenglinus. Ludovicus Rabus. Christophorus Sœllius. Cunradus Hubertus. Leonhardus Fontanus minister.

SCRIPTUM ministrorum Ecclesiarum citerioris Pomeraniæ, salutem et pacem in Christo.

Cum illustrissimus princeps Philippus dux Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiorum, &c. dominus noster clementissimus a nobis peteret, ut juxta edictum invictissimi imperatoris Caroli, summam doctrinæ quæ in ecclesiis et scholis nostris magno consensu traditur, brevi scripto comprehensam, congruentibus omnium suffragiis Tridentinæ synodo offerremus: non gravatim id negotii, quod pietati, justitiæ, et præcepto Dei maxime consentaneum erat, suscepimus. Sed quum id etiam temporis, vestra confessio, illustrissimi principis jussu, nobis exhiberetur, ac animadverteremus recitari in ea doctrinam veram, piam et salutarem Ecclesiæ, plane congruentem cum scriptis propheticis et apostolicis, visum est omnibus ministris et doctoribus ecclesiarum, qui Grypswaldæ convenerant, ut instituto labore supersedentes, vestram Confessionem nostris omnium suffragiis comprobaremus, ac ut nostram, illustrissimo principi, et Tridentinæ synodo offerremus. Quare hic palam testamur, et affirmamus coram Deo et omnibus sanctis in cœlo et in terra, doctrinam quæ in vestra Confessione proponitur, verum et perpetuum esse consensum catholicæ Ec-

clesiæ Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, nosque eam toto pectore amplecti, ac sonare in nostris ecclesiis, academiis, et scholis, ac, Deo juvante, ad omnem æternitatem constanter professuros ac defensuros esse. Quod quum ita sit, reverenter oramus ut pro commemorabili vestra erga nos pietate et benevolentia, nostras ecclesias et eos qui harum ecclesiarum nomine isthuc emittuntur, doctrina, consilio, et omni genere officii juvetis, vobisque commendatos et conjunctos esse sinatis: ac omnino statuatis, nos quum de sacris cæremoniis in evangelio institutis, tum vero de universa doctrina cœlesti, deque ritibus ad eutaxiam Ecclesiæ pertinentibus, plane idem vobiscum sentire: nec, Deo dante, passuros ut ullis unquam temporibus ab hac sententia depellamur. Commendamus etiam Filio Dei Domino nostro Jesu Christo vestram salutem, eumque toto pectore et ardentibus votis oramus, ut actiones et conatus vestros regat et fortunet ad gloriam sanctissimi sui nominis, et ad utilitatem Ecclesiæ. Bene ac feliciter valeat V. E. in Christo, cui et nostras ecclesias et honesta studia piis votis commendamus. Datæ Grypswaldæ in synodo provinciali, anno 1552. *die* 21. *Januarii. Vestræ excellentiæ addictissimi, rector academiæ Grypswaldensis, superattendens, doctores, pastores, et ministri ecclesiarum citerioris Pomeraniæ.*

CONFESSIO BELGICA.

CONFESSIO BELGICA

VERE CHRISTIANA,

DIVINÆ DOCTRINÆ, ET SALUTIS ANIMARUM,

DOCTRINAM CONTINENS.

Articulus I.

CORDE credimus, et ore confitemur, unicam esse et simplicem essentiam spiritualem, quam Deum vocamus, æternum, incomprehensibilem, inconspicuum, immutabilem, infinitum, qui totus est sapiens, fonsque omnium bonorum uberrimus. Eph. iv. 8. Deuter. vi. 4. 1 Tim. ii. 5. 2 Cor. viii. 6. Joan. iv. 24. Esai. xl. 28. et xliv. 6.

II. Duobus autem modis Deum cognoscimus: primo, per ipsam creationem, conservationem, atque universi hujus mundi gubernationem. Is enim oculis nostris est instar codicis pulcherrimi, in quo creaturæ omnes, a minimis usque ad maximas, veluti characteres et elementa quædam insculptæ sunt: per quæ invisibilia Dei conspici cognoscique a nobis possunt, nempe æterna ipsius potentia et divinitas, ut Paulus Apostolus loquitur Rom. i. 20. Quæ cognitio sufficit ad convincendos, et inexcusabiles reddendos quosvis homines. At multo clarius et manifestius deinceps se ipsum nobis ille in sacro suo et divino verbo patefacit: quantum quidem id ad gloriam ipsius, suorumque salutem, in hac vita expedit. Psalm. xix. Ephes. iv. 6. 2 Cor. iv. 6.

III. Confitemur hoc Dei verbum non fuisse ulla humana voluntate, aut allatum, aut traditum: sed sanctos Dei viros divino afflatos Spiritu illud eloquutos esse, ut testatur divus Petrus 2 Pet. i. 21.

Postea vero Deus ipse pro immensa illa cura et solicitudine, quam de suis, suorumque salute gerit servis suis apostolis, et prophetis mandavit, ut sua illa oracula scriptis committerent: ipseque adeo duas tabulas legis digito suo exaravit: quæ causa est cur ejusmodi scripta sacram et divinam scripturam appellamus.

IV. Complectimur autem sacram scripturam duobus illis voluminibus Veteris et Novi Testamenti, qui libri canonici vocantur: de quibus nulla unquam fuit controversia. Eorumque hic est tum numerus, tum ordo in Dei Ecclesia receptus. Quinque libri Mosis, liber Josue, Judicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, quæ Paralipomenon dicuntur, primus Esdræ: Nehemias, Esther, Job: item Psalmi Davidis, tres libri Salomonis, nempe Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum: quatuor Prophetæ majores, Esaias, Jeremias, Ezechiel, et Daniel: ad hæc duodecim etiam minores Prophetæ. Novi porro Testamenti libri canonici sunt: quatuor Evangelistæ; divus scilicet Matthæus, Marcus, Lucas, et Johannes: Acta Apostolorum: quatuordecim Epistolæ divi Pauli, et septem reliquorum apostolorum: Apocalypsis divi Johannis Apostoli.

V. Hos libros solos recipimus tanquam sacros et canonicos: quibus fides nostra inniti, confirmari et stabiliri possit. Itaque absque ulla dubitatione ea omnia credimus, quæ in illis continentur. Idque non tam quod Ecclesia illos pro canonicis recipiat et comprobet: quam quod Spiritus Sanctus nostris conscientiis testetur illos a Deo emanasse: et eo maxime quod ipsi etiam per se sacram hanc suam authoritatem et sanctitatem testentur, atque comprobent: quum et ipsi cæci rerum omnium, quæ in illis scriptis prædictæ fuerunt, impletionem, et executionem clare conspicere, et veluti sensibus percipere possint.

VI. Differentiam porro constituimus, inter libros

istos sacros, et eos quos Apocryphos vocant: utpote quod Apocryphi legi quidem in Ecclesia possint, et fas sit ex illis eatenus etiam sumere documenta, quatenus cum libris canonicis consonant: at nequaquam ea est ipsorum auctoritas, et firmitudo, ut ex illorum testimonio aliquod dogma de fide, et religione Christiana, certo constitui possit: tantum abest, ut aliorum auctoritatem infringere vel minuere valeant.

VII. Credimus autem sacram hanc scripturam perfectissime omnem Dei voluntatem complecti, et in illa abunde ea omnia doceri, quæcunque ab hominibus credi necesse est, ut salutem consequantur. Itaque cum illic exactissime, et fuse descripta sit omnis divini cultus ratio, quam Deus a fidelibus exigit: nulli hominum (quamvis apostolica dignitate prædito, ac ne ulli quidem angelo e cœlo demisso, ut divus Paulus loquitur) fas est aliter docere, quam jampridem in sacris scripturis edocti sumus. Quum enim vetitum sit, ne quis Dei verbo quicquam aut addat, aut detrahat, satis eo ipso declaratur sacram hanc doctrinam omnibus suis numeris et partibus perfectam, ac absolutam esse. Ideoque cum hisce divinis scripturis, atque Dei nuda veritate, nulla alia hominum, quantavis sanctitate præditorum, scripta: nulla consuetudo, nec multitudo ulla: nec antiquitas: neque temporum præscriptio, neque personarum successio: neque concilia ulla, nulla denique hominum decreta, aut statuta conferenda, comparandave sunt: utpote quod Dei veritas rebus omnibus antecellat. Omnes enim homines natura sua sunt mendaces, et ipsa vanitate vaniores. Idcirco toto animo rejicimus quæcunque cum certissima hac regula non conveniunt, ut ab apostolis edocti fuimus, quum dicunt: *Probate spiritus, an ex Deo sint: et si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, ne recipite illum domum*, &c. 2 Tim. iii. 14-17. 1 Pet. i. 11. Prov. xxx. 5. Gal. iii. 15. Apoc. xxii. 18. Joan. xv. 15. Act. xx. 27.

1 Tim. i. 3. 2 Joan. i. 10. Gal. i. 8. 1 Cor. xv. 2. Act. xxvi. 22. Rom. xv. 4. 1 Petri iv. 11. Joan. iv. 25. Esa. i. 12. 1 Cor. ii. 4. Rom. iii. 4. 1 Cor. iii. 11. Deut. xii. 32. Matt. xv. 3. et xvii. 5. Marc. vii. 7. 1 Thess. ii. 2. 1 Joan. iv. 1.

VIII. Juxta hanc veritatem et Dei verbum in unicum solum Deum credimus, (qui est unica essentia incommunicabilibus proprietatibus in tres Personas re vera ab æterno distincta,) nempe in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, 1 Joan. ii. 23. Esa. xliii. 11. Joan. i. 1—12. 1 Joan. i. 1. Apoc. xix. 13. Prov. viii. 22. Joan. i. 14. Nam Pater quidem, visibilium omnium et invisibilium causa, origo, ac initium existit: Filius est verbum, sapientia, et imago Patris: Spiritus Sanctus vero potentia est, et virtus quæ a Patre et Filio emanat. Ita tamen ut hæc distinctio non efficiat ut Deus sit veluti in tres partes divisus: quandoquidem scriptura nos docet et Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum distinctam habere suis proprietatibus hypostasin sive subsistentiam. Ita tamen ut tres hæ personæ sint tantum unus et solus Deus. Igitur certum est nec Patrem Filium, nec Filium Patrem esse, neque Spiritum Sanctum aut Patrem, aut Filium. Interim tamen personæ illæ sic distinctæ, neque sunt divisæ, neque confusæ, neque permixtæ: non enim Pater aut Spiritus Sanctus carnem humanam assumpserunt, sed solus Filius. Pater nunquam sine Filio suo fuit, nec sine Spiritu suo Sancto, quia singuli eademque essentia ejusdem sunt æternitatis. Nullus enim ex his aut primus aut ultimus est, quia omnes tres unum sunt, tum veritate ac potentia, tum bonitate et misericordia.

IX. Hæc vero omnia tam ex sacræ scripturæ testimoniis, quam ex ipsis effectis cognoscimus, iisque potissimum, quæ nos in nobismetipsis sentimus. Et sacræ quidem scripturæ testimonia, quæ nos docent sacram hanc Trinitatem credere, passim in Veteri Testamento occurrunt: quæ non tam nume-

randa, quam certo judicio seligenda sunt: qualia hæc sunt, Geneseos i. dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Marem, inquam, et fœminam creavit eos.* Item, *Ecce Adam tanquam unus nostrum factus est,* Gen. iii. Ex eo enim quod dicitur, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram,* apparet plures esse Personas in Deitate. Quum autem dicitur, *Deus creavit,* &c. indicatur unitas Divinitatis. Etsi autem hic non exprimitur quot sint Personæ, tamen quod in Veteri Testamento obscure traditum est, id in Novo nobis luce clarius exponitur. Quum enim Dominus noster Jesus Christus in Jordane baptizaretur, Matt. iii. 16. Patris vox audita est dicentis, *Hic est Filius meus dilectus:* Et Filius ipse in aquis est visus: Spiritus vero Sanctus sub specie columbæ apparuit. Ideo et in communi omnium fidelium baptismo hac formula uti præcipimur, *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* Matt. xxviii. 19. Sic etiam apud Lucam, Luc. i. 35. Gabriel angelus Mariam, Domini nostri matrem, alloquitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi inumbrabit te, propterea id quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Item, *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti, sit vobiscum,* 2 Cor. xiii. 14. Item, *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, et Spiritus Sanctus, qui tres unum sunt,* 1 Joan. v. 7. Quibus omnibus locis amplissime docemur, in unico Deo tres esse Personas. Etsi autem hæc doctrina omnem humani ingenii captum superet: illam tamen nunc ex Dei verbo firmiter credimus, expectantes donec in cœlo plena illius cognitione fruamur. Notanda sunt etiam harum trium Personarum officia, et effecta, quæ erga nos singuli exerunt. Pater enim Creator noster ob virtutem ipsius; Filius vero Salvator ac Redemptor noster vocatur, quod sanguine suo nos redemerit; Spiritus Sanctus Sanctificator noster, quod in cor-

dibus nostris habitet, Mal. ii. 10. 1 Pet. i. 2. 1 Joan. iv. 14. Gal. iv. 6. Tit. iii. 5. Rom. viii. 9. Rom. xiv. 15. Atque sanctam hanc sacræ Trinitatis doctrinam jam inde ab apostolorum ætate ad hæc usque tempora semper vera Ecclesia retinuit, et adversus Judæos, Mahumetanos, aliosque pseudochristianos, et hæreticos defendit, quales fuerunt Marcion, Manes, Praxeas, Sabellius, Samosatenus, et similes: qui omnes merito ab orthodoxis patribus damnati sunt. Itaque lubenter tria illa symbola hic recipimus, nempe Apostolorum, Nicenum, et Athanasii, et quæcunque de hoc dogmate juxta illorum symbolorum sententiam statuerunt.

X. Credimus Jesum Christum respectu naturæ ipsius divinæ unicum esse Dei Filium ab æterno genitum, non factum aut creatum, Joan. i. 18. 49. (esset enim creatura) sed ejusdem cum Patre essentiæ, illique coæternum: quique est vera imago substantiæ Patris, et splendor gloriæ ipsius in omnibus illi æqualis, Col. i. 15. Joan. x. 30. Phil. ii. 6. Hebr. i. 3. Joan. viii. 23. et ix. 36. Actor. viii. 37. Rom. ix. 5. Est autem is Filius Dei, non tantum ab eo tempore quo naturam nostram humanam induit, sed ab æterno, ut hæc testimonia invicem collata nos docent. Moses ait Gen. i. Deum creasse mundum: at divus Johannes per Sermonem, quem Deum vocat, omnia facta fuisse dicit. Sic Apostolus ad Hebræos asserit Deum per Filium Jesum Christum omnia creasse, Coloss. i. 16. Sequitur itaque eum qui et Deus, et Sermo, et Filius, et Jesus Christus dicitur, jam tum extitisse, quum ab ipso omnia condita fuerunt. Idcirco Micheas v. 2. propheta inquit, *Exitus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Item, *Est absque initio dierum, et absque fine vitæ.* Est igitur ille verus Deus, æternus, omnipotens, quem invocamus, adoramus, et colimus.

XI. Credimus etiam et confitemur Spiritum Sanctum a Patre et Filio ab æterno procedere. Itaque nec factum, nec creatum, nec genitum fuisse,

sed ab utroque tantum procedentem, qui ordine tertia est Trinitatis Persona, ejusdem essentiæ, gloriæ, et majestatis cum Patre et Filio. Ideoque et ipse verus et æternus Deus est, ut nos sacræ scripturæ docent. Heb. vii. 3. Joan. xiv. 6. et xv. 26.

XII. Credimus Patrem per verbum suum, hoc est per Filium, cœlum, terram, et reliquas creaturas omnes ex nihilo creasse, quum illi visum est opportunum, singulisque suum esse, formam, et varia officia tribuisse, ut Creatori suo inservirent. Eumque nunc illas omnes etiam fovere, sustentare, et regere, pro æterna sua providentia, et immensa virtute. Idque ut illæ quidem homini, homo vero Deo suo inserviat. Creavit etiam angelos, omnes natura bonos, ut ministri ipsius essent, et electis etiam inservirent: quorum tamen alii ab excellenti illa natura, in qua eos Deus crearat, in perditionem æternam deciderunt: alii vero singulari Dei gratia in primo illo suo statu perstiterunt: diaboli quidem et cacodæmones illi, ita corrupti et depravati sunt, ut et Dei et omnis boni conjurati sint hostes: qui Ecclesiæ et singulis illius membris tanquam prædones e specula insidiantur, ut imposturis suis ac deceptionibus omnia destruant et pessundent. Idcirco propria sua malitia perpetuæ condemnationi addicti, exspectant in dies horrenda suorum facinorum supplicia. Respuimus itaque hoc loco Sadducæorum errorem qui spiritus ullos aut angelos esse negarunt. Item et Manichæorum errorem qui asserunt diabolos ex se ipsis originem ducere, et ex propria sua natura malos esse, non autem corruptos per inobedientiam voluntariam. Joan. xv. 26. Gen. i. 1. Isai. xl. 26. Heb. iii. 4. Apoc. iv. 11. 1 Tim. iv. 3. 1 Col. i. 16. Heb. iii. 14. et i. 3. Psal. ciii. 21. et iv. 3, 8. Joan. viii. 44. 2 Pet. ii. 4. Luc. viii. 31. 1 Pet. v. 8. Matt. xxv. 40. Act. xxiii. 8.

XIII. Credimus Deum hunc Opt. Max. postquam res omnes creasset, minime eas sortis aut fortunæ arbitrio regendas commisisse, sed ipsummet illas ex

præscripto sacrosanctæ suæ voluntatis ita assidue regere et gubernare, ut nihil in hoc mundo absque illius decreto et ordinatione contingat: quanquam Deus malorum quæ in hoc mundo accidunt, neque auctor, neque reus dici possit. Tam late enim patet infinita et incomprehensibilis illius, tum potentia, tum bonitas, ut tunc etiam opera, et actiones suas sancte et juste decernat et exequatur, quum et Diabolus et impii injuste agunt. Quæcunque vero ille agit humanum captum excedentia, de iis nolumus curiose et supra nostrum captum inquirere, quinimo secreta, justa tamen Dei judicia humiliter et reverenter adoramus. Sufficit enim nobis (ut Christi discipulis) ea duntaxat discere quæ ipse verbo suo nos docet, neque hos fines transilire fas esse ducimus. Hæc vero doctrina immensam nobis adfert consolationem. Ex illa enim cognoscimus nihil nobis fortuito contingere, sed omnia Patris nostri cœlestis voluntate, qui pro nobis vere paterna cura excubat, omnia sibi subdita habens, ita ut ne pilus quidem capitis nostri (qui omnes ad unum numerati sunt) evelli, nec minimus passerculus humi cadere, sine Patris nostri voluntate, possit. Istis itaque penitus acquiescimus, agnoscentes Deum diabolos et inimicos nostros omnes veluti habenis ita frænatos continere, ut sine ipsius voluntate et bona venia, nemini nostrum nocere valeant. Et hoc loco detestandam Epicureorum opinionem rejicimus, qui Deum otiosum, et nihil agentem, omniaque sorti committentem, finxerunt. Act. xxiii. 8. Joan. v. 17. Heb. i. 3. Prover. xvi. 4. Jacob. iv. 15. Job. i. 21. 2 Reg. xii. 20. Act. iv. 28. 1 Sam. viii. 25. Psal. cxv. 3. Isa. xlv. 7. Amos iii. 6. Deut. xix. 5. Prover. xxi. 1. Psal. cv. 25. Isa. x. 5. 2 Thess. ii. 11. Ezech. xli. 9. Rom. i. 26. 1 Reg. xi. 23. Gen. xlv. 8. et l. 20. 2 Sam. xvi. 10. Matt. viii. 31. 1 Joan. iii. 8.

XIV. Credimus Deum ex limo terræ hominem ad imaginem suam, bonum scilicet, justum ac sanctum creasse, qui proprio arbitrio suam voluntatem

ad Dei voluntatem componere et conformem reddere posset. Verum quum in honore esset nescivit, et excellentiam suam non cognovit; sed seipsum sciens et volens peccato, et per consequens morti ac maledictioni subjecit: dum Diaboli verbis et imposturis aurem præbens mandatum vitæ transgressus est, quod a Domino acceperat; seque a Deo (vera ipsius vita) penitus subduxit, atque abalienavit, vitiata omnino, atque corrupta per peccatum ipsius natura: quo factum est, ut morti tum corporeæ, tum spirituali sese obnoxium reddiderit. Itaque improbus atque perversus effectus, in viisque suis omnibus et studiis corruptus præclara illa dona omnia amisit, quibus illum ornaverat: adeo ut non nisi exiguæ illorum scintillæ et vestigia exilia illi relicta sunt, quæ tamen sufficiant ad inexcusabiles reddendos homines, quia quicquid in nobis est lucis, in cæcas tenebras fit conversum, ut et scriptura ipsa docet dicens, *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ibi enim Joannes manifeste homines tenebras vocat. Idcirco quæcunque de libero hominis arbitrio traduntur, ea nos merito rejicimus, quum is sit servus peccati: nihilque ex se possit homo, nisi datum sit illi de cœlo. Quis enim jactare audeat se quæcunque voluerit præstare posse, quum Christus ipse dicat: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui me misit, traxerit eum?* Quis voluntatem suam ostentet, qui audiat omnes carnis affectus inimicitias esse adversus Deum? quis de intelligentia sua gloriabitur, qui sciat animalem hominem non esse capacem eorum quæ sunt spiritus Dei? in summa quis vel ullam suam cogitationem in medium proferat, qui intelligat nos non esse idoneos ex nobisipsis ad cogitandum quicquam, sed quod idonei sumus, id omne ex Deo esse? Certum ergo et firmum manere oportet quod apostolus dixit, *Deum esse, qui efficit in nobis et ut velimus et ut efficiamus, pro gratuita sua benevolentia.* Nulla enim mens, nulla voluntas Dei voluntati acquiescit,

in qua Christus ipse non sit prius operatus: quod et ipse nos docet, dicens, *Sine me nihil potestis facere*, Matt. xx. 29. et 30. Gen. i. 26. Eccles. vii. 30. Eph. iv. 24. Psal. xlix. Isa. lix. 2. Gen. viii. 17. Rom. v. 12. Rom. iii. 10. Actor. iv. 16. 1 Reg. i. 20. et 21. Act. xvii. 27. Eph. v. 8. Joan. i. 5. Isa. xxvi. 12. Psal. xciv. 11. Joan. iii. 27. Joan. vi. 44. Rom. viii. 7. 1 Cor. ii. 14. 2 Cor. iii. 5. Philipp. ii. 13. Joan. xv. 5.

XV. Credimus Adami inobedientia peccatum, quod vocant originis, in totum genus humanum sparsum, et effusum fuisse. Est autem peccatum originis corruptio totius naturæ, et vitium hæreditarium, quo et ipsi infantes in matris utero polluti sunt: quodque velut noxia quædam radix, genus omne peccatorum in homine progerminat, estque tam turpe et execrabile coram Deo, ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat. Neque vero per baptismum illud penitus extingui, aut radicitus evelli credendum est, quandoquidem ex illo, tanquam ex corrupta scaturigine, perpetui fluctus, atque rivuli assidue exoriuntur, et effluunt: quamvis filiis Dei in condemnationem non cedat aut imputetur, sed ex pura Dei gratia et misericordia illis remittatur: non ut huic remissioni confidentes obdormiant, sed ut sensu hujus corruptionis, crebriores gemitus in fidelibus excitet, utque eo ardentius optent se ab hoc corpore mortis liberari. Hinc ergo Pelagianorum errorem damnamus, qui hoc peccatum originis nihil aliud esse asserunt, quam imitationem. Phil. ii. 13. Joan. xv. 5. Psal. li. 7. Rom. iii. 10. Gen. vi. 3. Joan. iii. 6. Rom. v. 14. Eph. i. 5. Rom. vii. 18. 24.

XVI. Credimus Deum (posteaquam tota Adami soboles sic in perditionem et exitium, primi hominis culpa, præcipitata fuit) seipsum talem demonstrasse, ac præstitisse qualis est revera, nimirum, et misericordem et justum: misericordem quidem, eos damnatione et interitu liberando et servando, quos in

æterno suo consilio pro gratuita sua bonitate per Jesum Christum Dominum nostrum elegit, absque ullo operum ipsorum respectu. Justum vero, alios in illo suo lapsu, et perditione relinquendo, in quem sese ipsi præcipites dederunt.

XVII. Credimus etiam Deum nostrum Opt. Max. (quum cerneret hominem, sese ita in mortis et corporeæ et spiritualis damnationem conjecisse, et prorsus miserum atque maledictum effectum esse) mirabili sua tum sapientia, tum bonitate, adductum, ut illum abs se præ timore fugientem, et quæreret et benigne consolaretur; promisso illi Filio suo ex muliere nascituro, qui serpentis caput contereret, et illum felicem atque beatum redderet.

XVIII. Confitemur vero Deum tum demum promissionem (patribus per os sanctorum prophetarum factam) implevisse, quum constituto abs se tempore Filium illum suum unicum, et æternum in hunc mundum misit: qui formam servi accepit, similis hominibus factus, et veram naturam humanam cum omnibus ipsius infirmitatibus (excepto peccato) vere assumpsit, dum conceptus est in utero beatæ Virginis Mariæ, virtute Spiritus Sancti absque ulla hominis opera. Eam porro naturam humanam non quoad corpus tantum induit, sed etiam quoad animam: fuit enim vera anima humana præditus, ut verus esset homo. Etenim quum anima non minus quam ipsum corpus damnationi esset obnoxia, necesse fuit illum et hoc et illam assumere, ut utrumque simul servaret. Idcirco contra Anabaptistarum hæresim, (qui negant Christum carnem humanam assumpsisse,) confitemur Christum participem carnis et sanguinis fuisse, sicut et pueri fratres ipsius, ex lumbis Davidis secundum carnem: factum, inquam, ex semine David, secundum eandem carnem: fructumque ex utero Virginis Mariæ, natum ex muliere: germen Davidis: florem de radice Jesse: e tribu Juda, atque a Judæis ipsis ortum secundum carnem, et in summa verum semen Abrahæ

et Davidi, quod scilicet semen Abrahæ assumpserit, excepto peccato, ut dictum est, fratribus suis similis per omnia factus, adeo ut sit revera noster Emanuel, id est, Deus nobiscum.

XIX. Credimus etiam per hanc conceptionem, personam Filii conjunctam, atque unitam fuisse inseparabiliter cum humana natura, ita ut non sint duo Filii Dei, nec duæ Personæ, sed duæ naturæ in unica Persona conjunctæ, quarum utraque proprietates suas retineat, adeo ut sicut natura divina semper increata, et absque initio dierum, sine vitæ fine remansit, cœlumque et terram implens: sic natura humana proprietates suas non amiserit, sed creatura remanserit, initium dierum, et naturam finitam, habens. Omnia enim illa, quæ vero corpori conveniunt, retinuit, et quamvis illi immortalitatem resurrectione sua dederit, veritatem tamen humanæ naturæ illi neque ademit, neque commutavit. Salus enim et resurrectio nostra a veritate corporis ipsius dependet. Cæterum, duæ istæ naturæ ita sunt simul unitæ et conjunctæ in unam Personam, ut ne morte quidem ipsius separari potuerint. Quod igitur Patri suo moriendo commendavit, id vere erat spiritus humanus, a corpore ipsius egrediens: at interim divina natura semper humanæ (etiam in sepulchro jacenti) conjuncta remansit: adeo ut Deitas ipsa non minus in ipso tunc fuerit, quam cum adhuc infans esset, etsi exiguum ad tempus non sese exerceret. Quapropter confitemur ipsum verum Deum, et verum hominem esse: verum quidem Deum, ut mortem sua potentia vinceret: et verum hominem, ut in carnis suæ infirmitate pro nobis mortem obiret.

XX. Credimus Deum (qui summe et perfectissime est, tum misericors, tum justus) Filium suum misisse, ut naturam illam assumeret quæ per inobedientiam peccarat, ut in ea ipsa natura et satisfaceret, et de peccato, per acerbam ipsius mortem et passionem, justas pœnas sumeret. Deus igitur jus-

titiam suam in proprio Filio nostris peccatis onusto, ostendit, et exeruit: bonitatem vero et misericordiam suam in nos nocentes et condemnatione dignos, benigne effudit et exeruit, dum Filium suum morti propter offensas nostras pro immenso suo erga nos amore tradidit, et eum rursus propter justificationem nostram e mortuis excitavit, ut immortalitatem et vitam æternam per illum consequeremur.

XXI. Credimus Jesum Christum summum illum Sacerdotem esse, in æternum cum jurejurando constitutum, secundum ordinem Melchisedech: qui sese nostro nomine, coram Patre ad placandum ipsius iram cum plena satisfactione obtulit, sistens seipsum super altare crucis: et sanguinem suum ad purgationem peccatorum nostrorum profudit, sicuti id prophetæ futurum prædixerant. Scriptum enim est, *Castigationem pacis nostræ super Filium Dei positam, et livore ejus nos sanatos esse.* Item ipsum tanquam ovem ad mactationem ductum, atque inter peccatores et iniquos deputatum, condemnatumque a Pontio Pilato tanquam maleficum, etsi illum prius innocentem pronuntiasset. Quæ igitur non rapuerat persolvit, et justus pro injustis tum in corpore, tum in anima sua passus est: ita ut horrorem peccatis nostris debitum sentiens, aquam et sanguinem sudaverit: et tandem etiam exclamarit, *Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti?* Ea vero omnia pro remissione peccatorum nostrorum pertulit. Quamobrem merito cum divo Paulo dicimus, nos *nihil quicquam scire, nisi Jesum Christum eumque crucifixum:* quinetiam omnia pro stercoribus ducimus propter excellentiam cognitionis Jesu Christi Domini nostri, ut qui in ejus vulneribus omnis generis consolationem comperiamus. Itaque nihil est necesse ut alias ullas rationes vel optemus, vel ipsi excogitemus, quibus Deo reconciliari possimus, præter hanc solam et semel peractam oblationem: qua consecrati sunt et perfecti in perpetuum fideles omnes qui sanctificantur. Atque hæc causa est cur

ipse ab angelo Jesus vocatus sit, id est Servator, quod servaturus esset populum suum a peccatis ipsius.

XXII. Credimus Spiritum Sanctum in cordibus nostris habitantem veram nobis fidem impartiri, ut hujus tanti mysterii veram cognitionem adipiscamur. Quæ fides Jesum Christum, cum omnibus suis meritis amplectitur, illumque sibi ceu proprium effectum vindicat, nihilque deinceps extra illum quærit. Necesse est enim, aut omnia quæ ad salutem nostram requiruntur in Christo non esse; aut si sint in eo omnia, eum, qui fide Jesum Christum possidet, simul etiam perfectam habere salutem. Itaque horrenda est omnino in Deum blasphemia, asserere Christum minime sufficere, sed aliis quoque rebus opus esse. Inde enim sequeretur, Christum ex parte tantum Servatorem esse. Merito igitur jureque dicimus cum D. Paulo, *Nos sola fide justificari, seu fide absque operibus legis.* Cæterum, proprie loquendo, nequaquam intelligimus ipsam fidem per se, seu ex se, nos justificare, ut quæ sit duntaxat veluti instrumentum, quo Christum justitiam nostram apprehendimus. Christus igitur ipse est nostra justitia, qui omnia sua nobis merita imputat, fides vero est instrumentum, quo illi in societatem seu communionem omnium bonorum ipsius copulamur, atque in ea retinemur: adeo ut illa omnia nostra effecta, plus quam satis nobis sint ad nostri absolutionem a peccatis.

XXIII. Credimus omnem felicitatem nostram sitam esse in peccatorum nostrorum remissione, quæ est in Christo Jesu: eaque unica totam nostram justitiam coram Deo contineri: ut nos divus Paulus ex Davide docet, beatitudinem eorum prædicante, quibus Deus justitiam absque operibus imputat. Sed et idem Apostolus ait, *Nos gratis justificari per redemptionem factam in Christo Jesu.* Hoc igitur ceu firmo fundamento innitentes, omnem gloriam Deo tribuimus, de nobis ipsis perquam humiliter

sentientes, ut qui probe noverimus qui, qualesque simus revera. Ideoque de nobis, ullisque nostris meritis nihil quicquam præsumimus, sed sola Jesu Christi crucifixi obedientia suffulti, in ea prorsus acquiescimus: utque illa nostra fiat, in eum credimus. Hæc porro una abunde sufficit, tum ad omnes iniquitates nostras obtegendas, tum etiam ad nos tutos securosque reddendos adversus omnes tentationes. Illa etenim procul a conscientia abigit omnem metum, omnem horrorem, omnem denique formidinem, quo propius ad Deum accedamus, nec primi illius nostri parentis exemplum imitemur, qui præ metu fugiens ficulneis sese foliis obtegere et occultare conatus est. Et sane si nobis ipsis, aut ulli alteri creaturæ vel tantillum nitentes coram Deo nos sistere oporteret; certum est nos statim absorptum iri. Idcirco cum Davide nobis singulis potius est exclamandum, *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens.*

XXIV. Credimus veram hanc fidem per auditum verbi Dei, et Spiritus Sancti operationem unicuique nostrum inditam nos regenerare, atque veluti novos homines efficere, ut quos ad novam vitam vivendam excitet, et a peccati servitute liberos reddat. Tantum abest igitur ut fides hæc justificans homines a recta sanctaque vivendi ratione avocet, aut tepidiores efficiat, ut contra absque illa nemo unquam quicquam boni propter Deum (sed omnia vel propter seipsum, vel ob metum justæ condemnationis) agere atque operari possit. Fieri itaque non potest ut hæc fides sancta in homine otiosa sit. Neque enim loquimur de fide vana, atque mortua, sed de ea tantum quæ in scriptura dicitur per charitatem operari: quæque impellit hominem ut in illis sese operibus exerceat, quæ Deus ipse in verbo suo præcepit. Hæc vero opera a sincera fidei hujus radice emanantia, ideo demum bona et Deo grata sunt, quia per illius gratiam sanctificantur: ad nos autem

justificandos nullius sunt prorsus momenti. Fide enim in Christo justificamur, et quidem priusquam bona ulla opera ediderimus. Neque enim magis ante fidem opera nostra bona esse possunt, quam fructus arboris boni, priusquam arbor bona ipsa fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, sed non ut aliquid iis promereamur. Quid enim promereri possemus? Quinimo Deo magis magisque ad bona opera (si quæ facimus) sumus obstricti, non Deus nobis. Deus enim is est qui efficit in nobis, et ut velimus, et ut faciamus, pro gratuita sua benevolentia. Unde ad illud nobis semper est respiciendum, quod scriptum est, *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, hoc fecimus.* Porro non ideo negamus Deum bona opera in suis remunerari, verum id mera sua gratia fieri dicimus, ut qui dona sua in nobis coronet. Cæterum quamvis bona opera faciamus, nequaquam tamen ullam salutis nostræ spem in illis ponimus. Nulla enim opera edere possumus quæ non sint carnis nostræ vitio polluta, ac proinde supplicio pœnisque digna. Quod si etiam aliquod ejusmodi opus proferre quiremus, sola tamen peccati recordatio sufficeret ad illud e conspectu Dei removendum. Itaque semper in dubio atque hinc inde fluctuantes essemus, et miseræ nostræ conscientiæ semper vexarentur, nisi unico merito mortis, et passionis Servatoris nostri niterentur, et in illo acquiescerent.

XXV. Credimus omnes ceremonias et figuras legis, omnes denique umbras cessasse Christi adventu: adeo ut earum quoque usus inter Christianos jam tolli abolerique debeat. Interim tamen manet nobis illarum veritas et substantia in Christo, in quo omnes impletæ fuerunt. Ideoque legis et prophetarum testimoniis adhuc utimur, ut nos ipsos in Evangelii doctrina confirmemus: et omnem vitam nostram honeste ad Dei gloriam juxta ipsius voluntatem componamus.

XXVI. Credimus etiam nos nullum accessum habere ad Deum, nisi per unicum illum mediatorem et advocatum Jesum Christum justum, qui ideo factus est homo (humanæ naturæ divinam uniens) ut nobis miseris hominibus aditus ad Dei majestatem pateret: qui nobis alias in perpetuum fuisset occlusus. Hujus tamen Mediatoris (quem Pater inter se et nos constituit) majestas et potentia minime nos eousque terrere debet, ut ideo nobis alium pro arbitrio quærendum putemus. Nullus est enim, neque inter cœlestes, neque inter terrenas creaturas, qui nos majori dilectione amplectatur, quam Christus ipse: qui quum esset in forma Dei seipsum exinanivit, forma servi hominis accepta; et propter nos per omnia similis factus est fratribus suis. Quod si nobis alius mediator quærendus esset, qui aliqua nos benevolentia dignaretur, quem quæso invenire possimus, qui nos ardentius diligat, quam eum ipsum, qui pro nobis quum adhuc inimici ejus essemus, vitam propriam volens exposuit? si porro alius nobis quærendus est, qui summa tum auctoritate, tum potentia excellat: quis tantam unquam adeptus est, quam ille ipse qui ad Dei Patris dextram sedet, cuique omnis potestas data est in cœlo et in terra. Quis denique potius exaudiendus fuerit a Deo, quam unigenitus ille, et unice dilectus Dei Filius? Sola igitur diffidentia morem hunc induxit, quo sanctos (quos colere putamus) dedecore potius afficimus, dum ea patramus, quæ tantum abest ut illi unquam viventes fecerint, ut potius ea constanter, et pro officio suo, rejecerint, sicuti scripta eorum testantur. Neque hic nostra indignitas proferenda est ad tantæ impietatis excusationem. Minime enim nostra fulti dignitate preces offerimus, sed sola Domini nostri Jesu Christi dignitate et excellentia, cujus justitia nostra est per fidem, unde merito apostolus ut a nobis inanem hunc timorem (seu potius diffidentiam) excutiat, Christum ait per omnia similem factum fuisse fratribus suis, ut misericors esset et fidelis Pontifex

in iis quæ apud Deum agenda forent ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest et iis qui tentantur succurrere. Præterea ut animos nobis addat, quo confidentius ad hunc Pontificem accedamus, addit idem Apostolus, *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus hanc professionem. Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, et gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium.* Idem Apostolus ait, *Nos habere libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Jesu. Accedamus igitur cum certa persuasione fidei*, &c. Item, Christus perpetuum habet sacerdotium : unde et servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis. Quid pluribus opus est? quum Christus ipse dicat, *Ego sum via, veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me :* cur alium nobis advocatum quæremus? Quinimo quum Deo ipsi placuerit proprium nobis Filium advocatum dare, non est quod eo derelicto alium quæramus, ne forte semper quærendo nunquam quemquam alium inveniamus. Sciebat enim haud dubie Deus, quum illum nobis daret, nos esse miseros peccatores. Quo fit, ut juxta mandatum ipsius Christi, Patrem cœlestem per eum ipsum Jesum Christum unicum Mediatorem nostrum duntaxat invocemus, quemadmodum etiam in oratione Dominica ipsemet nos docuit. Sumus enim certi nos ea omnia consequuturos, quæ a Patre in nomine ipsius petierimus.

XXVII. Credimus et confitemur unicam Ecclesiam catholicam seu universalem. Quæ est vera congregatio seu cœtus omnium fidelium Christianorum, qui totam suam salutem ab uno Jesu Christo expectant, quatenus videlicet ipsius sanguine sunt abluti, et per Spiritum ejus sanctificati atque obsig-

nati. Hæc porro Ecclesia ut ab initio mundi fuit, ita et usque ad ejus finem est perduratura. Id vel ex eo apparet, quod Christus Rex æternus est, qui nunquam sine subditis esse potest. Cæterum hanc Ecclesiam Deus contra omnem mundi furorem et impetum tuetur: quamvis ad aliquod tempus parva admodum et quasi extincta in conspectu hominum appareat: quemadmodum tempore illo periculosissimo Achabi Deus sibi septem millia virorum reservasse dicitur, qui non flexerant genu coram Baal. Denique hæc Ecclesia sancta nullo est aut certo loco sita et circumscripta, aut ullis certis ac singularibus personis astricta aut alligata. Sed per omnem orbem terrarum sparsa atque diffusa, quamvis animo ac voluntate in uno eodemque spiritu, virtute fidei, tota sit simul conjuncta atque unita.

XXVIII. Credimus quod quum sacer hic cœtus et congregatio sit eorum qui servari debent; et salus nulla sit extra eam; neminem (cujuscunque dignitatis aut nominis is fuerit) sese ab ea subducere aut segregare debere, ut sua tantum consuetudine contentus solus, ac separatim vivat. Sed contra omnes ac singulos teneri huic cœtui se adjungere, et Ecclesiæ unitatem sollicite conservare, seseque illius tum doctrinæ tum disciplinæ subjicere, collum denique Christi jugo sponte submittere, et tanquam communia ejusdem corporis membra ædificationi fratrum inservire, prout Deus unicuique sua dona fuerit largitus. Porro ut hæc melius observentur, omnium fidelium partes sunt, sese juxta Dei verbum ab eis omnibus disjungere, qui sunt extra Ecclesiam constituti: huicque fidelium cœtui ac congregationi sese adjungere, ubicunque illam Deus constituerit: etsi id contraria principum vel magistratuum edicta prohibeant, indicta etiam in eos capitis et mortis corporeæ pœna, qui id fecerint. Quicunque igitur a vera illa Ecclesia recedunt, aut sese illi aggregare recusant, aperte Dei mandato repugnant.

XXIX. Credimus summa tum diligentia, tum prudentia, ex Dei verbo esse inquirendum ac discernendum quænam sit illa vera Ecclesia: quandoquidem omnes sanctæ, quotquot hodie in mundo vigent, Ecclesiæ titulum nomenque usurpant, atque prætexunt. Nequaquam vero de hypocritarum cœtu nunc loquimur, qui bonis in Ecclesia sunt permisti, licet ad Ecclesiam proprie non pertineant, in qua corpore sunt præsentes: sed de distinguendo duntaxat veræ Ecclesiæ corpore ac congregatione ab aliis omnibus sectis, quæ se Ecclesiæ membra esse falso gloriantur. His igitur notis vera Ecclesia a falsa discernetur. Si in illa pura Evangelii prædicatio, legitimaque sacramentorum ex Christi præscripto administratio vigeat: si item recta disciplina ecclesiastica utatur ad coercenda vitia: si denique (ut uno verbo cuncta complectamur) ad normam verbi Dei omnia exigat, et quæcunque huic adversantur repudiet: Christumque unicum caput agnoscat. His, inquam, notis certum est veram Ecclesiam dignosci posse: a qua fas non sit quenquam disjungi. Quæ autem sint veræ hujus Ecclesiæ vera membra, ex communibus Christianorum omnium notis poterit judicari: qualis est fides, qua, semel Christo ceu unico suo Salvatore apprehenso, fugiunt peccatum, et sequuntur justitiam: verum item Deum ac proximos suos diligunt, neque ad dextram, neque ad sinistram deflectentes: carnem suam, cum ipsius effectis, crucifigunt, minime id quidem quasi nulla amplius in illis sit infirmitas: sed quod adversus illam per omne vitæ tempus virtute Spiritus pugnent, et subinde ad sanguinem, mortem, passionemque et obedientiam Christi Domini nostri, tanquam ad tutissimum præsidium, refugiant: ut in quo solo sciant se habere redemptionem peccatorum, per fidem in illum. Falsa vero ecclesia contra sibi ipsi suisque institutis et traditionibus plus semper quam Dei verbo tribuit: Christi vero jugo subjici se non patitur: nec sacramenta ex Christi præscripto

administrat: sed illis pro arbitrio modo addit aliquid, modo detrahit. Præterea hominibus illa semper, plus quam Christo, nititur: et eos qui sancte, ex præscripto verbi Dei, vitam suam componere student; quive vitia illius, veluti avaritiam et idolomanias, taxant ac reprehendunt, hostiliter persequitur. Ex his igitur facile est utramque Ecclesiam ab invicem discernere, et agnoscere.

XXX. Credimus veram hanc Ecclesiam debere regi, ac gubernari spirituali illa politia, quam nos Deus ipse verbo suo edocuit: ita ut sint in ea pastores ac ministri, qui pure et concionentur, et sacramenta administrent. Sint quoque seniores, et diaconi, qui Ecclesiæ senatum constituant, ut his veluti mediis vera religio conservari, veraque doctrina passim retineri et propagari possit: hominesque vitiis dediti spiritualiter corripi, et emendari, ac veluti fræno quodam disciplinæ cohiberi: pauperes item, et afflicti, auxilio, et consolatione pro cujusque necessitate sublevari. Tunc enim rite omnia et ordine fient in Ecclesia, quum viri fideles ac pii, ad ejus gubernationem deligentur, juxta divi Pauli præscriptum, quod habetur prima ad Timotheum iii. et Tit. i.

XXXI. Credimus ministros, seniores, et diaconos debere ad functiones illas suas vocari, et promoveri legitima Ecclesiæ electione, adhibita ad eam seria Dei invocatione, atque eo ordine et modo qui nobis Dei verbo præscribitur. Debent autem imprimis singuli cavere, ne illicitis mediis sese ad hæc munia ingerant. Expectandum est enim omnibus, donec a Deo ipso vocentur, ut certum habeant vocationis suæ testimonium, sciantque eam esse a Domino. Cæterum ubi sint locorum verbi Dei ministri, eandem illi atque æqualem omnes habent tum potestatem, tum auctoritatem, ut qui sint æque omnes Christi unici illius episcopi universalis et capitis Ecclesiæ ministri. Porro ne sancta hæc Dei ordinatio, aut violetur, aut abeat in contemptum, debent om-

nes de verbi ministris et senioribus Ecclesiæ, honorifice propter opus cui incumbunt sentire, atque cum illis pacem colere; et a rixis ac contentionibus, quantum fieri potest, invicem abstinere.

XXXII. Interim credimus quidem utile esse, ut seniores qui ecclesiis præsunt, aliquem inter se ordinem constituant, ad conservationem corporis Ecclesiæ: modo studiose caveant, ne quo pacto ab iis deflectant declinentve, quæ Christus ipse, unicus Magister noster, semel constituit. Nos itaque omnia humana inventa, omnesque leges rejicimus, quæ ad Dei cultum sunt introductæ, ut iis conscientiæ ullo modo illaqueentur, aut obstringantur. Easque solas suscipimus, quæ idoneæ sunt, vel ad fovendam alendamque concordiam, vel ad nos in Dei obedientia retinendos. Ad id vero imprimis necessaria est excommunicatio, ex præcepto verbi Dei usurpata, et aliæ illi annexæ disciplinæ ecclesiasticæ appendices.

XXXIII. Credimus Deum, habita nostræ hebetudinis et infirmitatis ratione, sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, et ut essent divinæ erga nos benevolentiæ, donorumque ejus, certissima nobis pignora, ad fidem nostram fovendam et sustentandam comparata. Addidit vero illa ad verbum Evangelii, ut tum ea ipsa quæ nobis verbo suo declarat, tum ea etiam quæ ille ipse in cordibus nostris interne operatur, efficacius sensibus nostris externis proponeret: ac denique ut salutem, quam nobis communicare dignatur, magis magisque in nobis confirmaret. Sunt enim sacramenta signa, ac symbola visibilia rerum internarum et invisibilium, per quæ ceu per media Deus ipse virtute Spiritus Sancti in nobis agit. Itaque signa illa minime vana sunt, aut vacua: nec ad nos decipiendos aut frustrandos instituta. Ipsorum enim veritas est ipse Jesus Christus, sine quo nullius essent prorsus momenti. Cæterum sufficit nobis is sacramentorum numerus, quem Christus ipse, verus et unicus doctor

noster instituit. Sunt vero illa duo duntaxat, nimirum sacramentum Baptismi et sacræ Cœnæ Domini nostri Jesu Christi.

XXXIV. Credimus et confitemur Jesum Christum (qui finis legis est) omni alii sanguinis effusioni ad propitiationem peccatorum adhibendæ finem, proprio suo sanguine effuso, jam imposuisse. Et abolita circumcisione, quæ fiebat per sanguinem, baptismum illius loco instituisse, quo in Dei Ecclesiam recipimur, et a cunctis aliis gentibus ac peregrinis omnibus religionibus segregamur, utpote illi soli consecrati, cujus symbolum et insignia gestamus. Est denique nobis testimonio Baptismus, illum ipsum Deum nostrum fore in æternum, qui et Pater nobis est propitius. Suos igitur omnes jussit Dominus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti pura aqua baptizari: ut significaret sanguinem Christi per Spiritum Sanctum idem præstare et efficere interne in anima, quod aqua externe operatur in corporibus. Sicuti enim aqua in nos effusa, et super corpus baptizati eminens, ac conspicua, ipsumque irrigans, sordes corporis abluit: sic et sanguis Christi animam abluens a peccatis illam emundat: nosque filios iræ in filios Dei regenerat. Non quod aqua hæc materialis ista efficiat, sed aspersio ipsa pretiosissimi sanguinis Filii Dei, qui nobis est ceu mare illud Rubrum, per quod transeundum est, ut e tyrannide Pharaonis, id est Diaboli, egredi, et in spiritualem terram Chanaan introire possimus. Itaque, ministri quidem præbent nobis sacramentum, et rem visibilem, at Dominus ipse exhibet quod sacramento significatur, nimirum dona et gratias invisibiles, abluens, purificans, et mundans animas nostras a cunctis sordibus, et iniquitatibus suis: renovans item, et replens corda nostra omni consolatione: largiens denique nobis veram paternæ suæ bonitatis certitudinem, et novo homine nos induens: atque vetere exuens, cum omnibus factis ejus. His de causis credimus omnem hominem, qui vitam

æternam consequi cupiat, debere unico baptismo (id est semel tantum) baptizari, qui nunquam postea sit iterandus, quum ne nasci quidem bis possimus. Neque tamen hic baptismus eo duntaxat momento prodest, quo aqua nobis insidet, quove ea tingimur, sed per totum vitæ nostræ tempus. Anabaptistarum itaque errorem hic detestamur, qui non modo unico, et semel suscepto baptismo contenti non sunt: sed et baptismum infantium e fidelibus natorum damnant. Nos vero eos eadem ratione baptizandos, et signo fœderis obsignandos esse credimus, qua olim in Israele parvuli circumcidebantur, nimirum propter easdem promissiones infantibus nostris factas. Et revera Christus non minus sanguinem suum effudit ut fidelium infantes, quam ut adultos ablueret. Ideoque signum, seu sacramentum rei, quam Christus eorum causa est operatus, illos recipere convenit: quemadmodum in lege jubet Dominus sacramentum mortis et passionis Christi communicari pueris recens natis, offerendo pro ipsis agnum, qui sacramentum erat Christi venturi. Præterea quod circumcisio præstabat populo Judaico, idem pueris fidelium præstat baptismus. Et hæc causa est, cur Paulus baptismum vocet, circumcisionem Christi.

XXXV. Credimus etiam, et confitemur D. Jesum Christum Servatorem nostrum, sacrosanctum Cœnæ suæ sacramentum instituisse, ut in ea nutriat, ac sustentet eos, quos jam regeneravit, et in familiam suam, nempe Ecclesiam insevit. Qui vero regenerati sunt duplicem in se vitam habent: unam quidem carnalem, et temporariam, quam secum a prima sua nativitate attulerunt, et hæc communis est omnibus: alteram spiritualem, et cœlestem, quæ illis donatur in secunda illa nativitate, quæ fit per verbum Evangelii, in unione corporis Christi; et hæc solis electis Dei peculiaris est. Sicuti vero Deus panem terrenum, et materialem ad hujus vitæ carnalis, et terrenæ conservationem idoneum con-

stituit, qui ut et ipsa vita, omnibus est communis: ita ad conservationem illius vitæ spiritualis, et cœlestis, quæ fidelium propria est, Deus panem vivificum misit, qui e cœlo descendit, nempe Jesum Christum: is nutrit, et sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur, id est, applicetur, et recipiatur spiritu per fidem. Ut autem panem hunc spiritualem, et cœlestem Christus nobis figuraret, seu repræsentaret, instituit panem, et vinum terrenum, et visibilem, in corporis et sanguinis sui sacramentum. Iis vero testificatur nos, quam vere accipimus, et tenemus manibus nostris hoc sacramentum, illudque ore comedimus (unde et postmodum vita hæc nostra sustentatur) tam vere etiam nos fide (quæ animæ nostræ est instar et manus, et oris) recipere verum corpus, et verum sanguinem Christi unici Servatoris nostri in animis nostris, ad vitam spiritualem in nobis fovendam. Certissimum vero est, Christum non sine causa tam sollicite hoc suum sacramentum nobis commendare, utpote qui perficiat in nobis revera, quæcunque ipse nobis his sacris signis repræsentat: quamvis modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi a quoquam possit; quod videlicet omnes Spiritus Sancti operationes occultæ sint, et incomprehensibiles. Cæterum nequaquam erraverimus dicentes, id quod comeditur esse ipsissimum Christi corpus naturale, et id quod bibitur, verum ipsius sanguinem. At instrumentum, seu medium quo hæc comedimus, et bibimus, non est os corporeum, sed spiritus ipse noster, idque per fidem. Christus itaque semper ad dexteram Patris in cœlis residet, nec ideo minus se nobis per fidem communicat. Porro hæc cœna mensa est spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert: efficitque ut in illa, tam illo ipso, quam passionis, mortisque ipsius merito fruamur. Animam enim nostram miseram, et afflictam, omnique consolatione destitutam carnis suæ esu ipsemet nutrit, corroborat, et

consolatur: sanguinis item sui potu eam sustentat, ac recreat. Præterea, quamvis sacramenta sint conjuncta rei ipsi significatæ, ambæ tamen res istæ non ab omnibus recipiuntur. Malus enim recipit quidem sacramentum in suam condemnationem, at rem, seu veritatem sacramenti non recipit. Verbi gratia, Judas et Simon Magus receperunt quidem ambo sacramentum, Christum vero ipsum, qui illo significabatur, minime. Solis enim fidelibus Christus communicatur. Postremo huic nos sacramento sacrosancto in cœtu populi Dei cum summa humilitate, et reverentia communicamus, memoriam mortis Christi Servatoris nostri cum gratiarum actione sancte celebrantes: et fidei, religionisque Christianæ confessionem publice ibi profitentes. Nemo itaque ad hanc mensam sese sistere debet, qui prius non se probaverit, ne de hoc pane edens, et de hoc poculo bibens, judicium ipse sibi, et damnationem manducet, ac bibat. Usu porro hujus sacramenti accenditur in nobis flagrantissimus amor, tum in Deum ipsum, tum in proximum. Itaque nos hic quidem merito omnes hominum ludificationes, et damnanda commenta (quæ illi sacramentis addiderunt, et admiscuerunt) tanquam veram profanationem rejicimus: affirmamusque omnes pios unico illo ordine, et ritu, quem Christus et apostoli nobis tradiderunt, contentos esse, atque de mysteriis eodem modo loqui debere, quo et illi locuti sunt.

XXXVI. Credimus Deum Opt. Maxim. ob generis humani corruptelam atque depravationem, reges, principes, et magistratus constituisse: velleque ut mundus hic legibus ac certa politia gubernetur, ad coercenda hominum vitia, et ut omnia inter homines recto ordine gerantur. Ideirco magistratus ipsos gladio armavit, ut malos quidem plectant pœnis, probos vero tueantur. Horum porro est non modo de civili politia conservanda esse sollicitos, verumetiam dare operam ut sacrum ministerium conservetur, omnis idololatria et adulterinus Dei

cultus e medio tollatur, regnum Antichristi diruatur, Christi vero regnum propagetur. Denique horum est efficere, ut sacrum Evangelii verbum undique prædicetur, ut singuli pure Deum colere et venerari ex præscripto verbi ipsius libere possint. Cæterum cuncti homines, cujuscunque sint, vel dignitatis, vel conditionis, ac status legitimis magistratibus subjici debent, illisque vectigalia ac tributa pendere, et eis in omnibus obsequi, ac obedire quæ verbo Dei non repugnant: preces etiam pro iis fundere, ut eos Deus in omnibus ipsorum actionibus dirigere dignetur: nos vero vitam tranquillam et quietam sub ipsis cum omni pietate et honestate ducere possimus. Quamobrem Anabaptistas et turbulentos omnes detestamur qui superiores dominationes et magistratus abjiciunt, jura ac judicia pervertunt, bona omnia communia faciunt, ac denique ordines omnes ac gradus, quos honestatis gratia Deus inter homines constituit, abolent aut confundunt.

XXXVII. Postremo credimus ex Dei verbo, Dominum nostrum Jesum Christum (ubi tempus a Deo præstitutum, at omnibus creaturis ignotum, advenerit, et numerus electorum fuerit completus) e cœlo rursus venturum, idque corporaliter ac visibiliter: sicuti olim illuc ascendit, summa ornatum gloria et majestate, ut Judex vivorum et mortuorum appareat, vetere hoc mundo igne et flamma succenso, ut illum purificet. Tunc vero creaturæ omnes, et tam viri, quam mulieres et infantes quotquot inde ab initio usque ad finem mundi extiterint, coram summo hoc Judice comparebunt, eo nimirum voce archangelorum et tuba Dei evocati. Omnes enim antea mortui e terra tunc resurgent, spiritu et anima singulorum rursus conjuncta et unita proprio suo corpori in quo vixerat. Qui porro illo ultimo die superstites erunt nequaquam morientur more reliquorum, sed in momento et jactu oculi, immutabuntur a corruptione, videlicet in incorruptam naturam. Tunc aperientur libri (nimirum conscien-

tiæ) et mortui judicabuntur secundum ea quæ in hoc mundo egerint, sive bona sive mala. Quinetiam tunc reddituri sunt homines rationem de omni verbo otioso quod locuti fuerint, etsi id mundus nunc pro ludo et joco reputet. In summa omnis tunc hominum hypocrisis et abstrusa quæque cordis eorum palam coram omnibus detegentur, ut merito sola judicii istius memoria impiis et reprobis sit horrenda, et formidabilis; bonis vero et electis summe exoptanda et ingentis consolationis: tunc enim redemptio ipsorum plane perficietur, et suavissimos laborum et dolorum suorum, quos in hac vita pertulerint, fructus consequentur. Tunc, inquam, innocentia ipsorum aperte ab omnibus agnoscetur: ipsique vicissim horrendam vindictam conspecturi sunt, quam Dominus de iis sumet, qui eos variis tormentis, et molestiis in hoc mundo tyrannice afflixerunt. Impii porro proprio conscientiæ suæ testimonio convicti, immortales quidem reddentur, sed ea conditione, ut in igne æterno (qui Diabolo paratus est) in sempiternum crucientur. Contra vero fideles et electi corona gloriæ et honoris donabuntur, Filiusque Dei eorum nomina coram Deo Patre et angelis confitebitur, et abstergetur omnis lachryma ab oculis eorum. Causa itaque ipsorum, quæ nunc hæreseos et impietatis a magistratibus, judicibusque damnatur, causa Filii Dei esse tunc agnoscetur. Et Dominus eos gratis tanta gloria remunerabitur, quantam nullus hominum animo concipere unquam possit. Magnum ergo illum Domini diem summo desiderio expectamus, quo rebus omnibus nobis a Deo promissis, plenissime in Christo Jesu Domino nostro, læti potiemur, et in æternum perfruemur.

CATECHESIS

RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

QUÆ TRADITUR

IN ECCLESIIS ET SCHOLIS

PALATINATUS.

1563.

FRIDERICUS Dei Gratia Palatinus Rheni, ac sacri Imperii Rom. Elector, Dux Bavariæ, &c. omnibus quibus commissa est cura Ecclesiarum, et Scholarum, quæ sunt in Palatinatu, S. D.

POSTQUAM, quid nostri sit muneris, ex verbo Dei, atque ex natura ipsa cognovimus, nosque in eo, ipsi potissimum, qui id nobis imposuit, Deo Opt. Max. parere oportere: statuimus ut nihil esset, in quo tam in universa vita laboraremus, quam ut et nostræ conscientiæ satisfaceremus, et nostrorum saluti, quantum in nobis esset, consuleremus.

Cum autem non satis esse existimaremus, nos ita consilio et ratione justitiam administrare, ut nostræ fidei commissi populi, jus et honestatem colentes, placide tranquilleque viverent, nisi eo etiam perducerentur, ut Deum Creatorem suum ac Redemtorem ex verbo ipsius recte cognoscerent; (nam id unicum est firmum fundamentum cum cæterarum virtutum, tum vel maxime omnis obedientiæ et veræ erga Deum pietatis;) cœpimus toto animo de ista re cogitare, nihil cupientes prætermittere, quod ad eam beatitudinem, tum parandam, tum conservandam pertineret. Etsi autem et ab iis, qui nos proxime antecesserunt, cognatis nostris Palatinis ac Electoribus (quorum memoriam cum amore et reverentia usurpamus) varia utiliter et pie instituta sunt, ad gloriam Dei illustrandam, et populum in officio retinendum: tamen ut ipsi in principio gubernationis nostræ experti sumus, non ea adhibita est diligentia in illis exequendis, et ad utilitatem publicam accommodandis, quam par fuerat in re tanta adhiberi. Quocirca minime mirum est, si ii, qui sperati erant fructus, percipi non potuerunt. His rebus permoti sumus, ut non solum quæ ab ipsis recte instituta essent, revocaremus ac restitueremus: verum etiam, ut, quæ minus firma essent, fulciremus, quæ vero corrupta et depravata essent ea emendaremus

et corrigeremus. Jacebant scholæ, tenera juventus negligebatur, nulla erat in religione Christiana certa et consentiens institutio. Itaque vel male vel ad nullam certam normam, sed ad cujusque arbitrium juventus erudiebatur, vel omnino non informabatur, sed rudis prorsus et impolita relinquebatur. Ex quo, proh dolor! cum alia infinita mala extiterunt, tum illud inprimis, ut aut vera religione non instructi, aut variis erroribus implicati, aut non necessariis quæstionibus onerati, infeliciter cum summa inscitia adolescerent. Cum has tantas calamitates intueremur, et id, quod res est, cogitaremus, videlicet nec Ecclesiam, nec rempublicam, atque adeo ne familias quidem constitui, nec ullum honestati aut disciplinæ inter cives locum esse posse, nisi rudis juventus a primis annis, una et consentienti voce ad veram sinceramque religionem instrueretur, assidueque in ea exercitaretur: rei necessitas fecit, ut huic malo, qua possemus ratione, quam celerrime occurreremus: ne in hac non postrema nostri muneris parte debitum officium merito a nobis desiderari possit. Quapropter theologis nostris, et quibus in nostra ditione præcipua ecclesiarum cura est commendata, negotium dedimus, ut Catechesin religionis Christianæ, ex verbo Dei Germanice et Latine conscriberent, quo in posterum non juventuti solum rectius prospiciatur: sed quo concionatores etiam et ludimagistri certam habeant et definitam formam, ad quam juventutem in templis et scholis informent, ne pro suo arbitrio nova subinde instituant, aut ea tradant, quæ verbo Dei non sint consentanea. Vestrum nunc porro erit, cum ob gloriam Dei, tum ob vestram, eorumque, qui et nostræ et vestræ fidei concrediti sunt, salutem, hanc Catechesin grato animo excipere, eam pueris cum in scholis tum in ecclesiis proponere, eorumque auribus et animis assidue ac diligenter inculcare, quo eam vita et factis paulatim exprimere assuescant. Quod si a vobis, ut et fides vestra et munus divini-

tus impositum postulat, præstitum fuerit, optimam spem habemus fore, ut Deus Optimus Maximus propter Christum nostri misertus, pœnas, quas meriti sumus, remittat, et pro paterna sua bonitate vestros labores secundet, totique regioni benefaciat. Quod ut ab eo toto pectore contendimus, ita vos etiam atque etiam monemus, ut nostram de vobis spem magis magisque confirmare et augere studeatis.

CATECHESIS

RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

1. *Quæ est unica tua consolatio in vita et in morte?*

Quod animo pariter et corpore [a], sive vivam, sive moriar [b], non meus, sed fidissimi Domini et Servatoris mei Jesu Christi sum proprius [c], qui pretioso sanguine suo [d] pro omnibus peccatis meis plenissima solutione facta [e], me ab omni potestate Diaboli liberavit [f], meque ita conservat [g], ut sine voluntate Patris mei cœlestis, ne pilus quidem de meo capite possit cadere [h]: imo vero etiam omnia saluti meæ servire oporteat [i]. Quocirca me quoque suo Spiritu de vita æterna certum facit [k], utque ipsi deinceps vivam promtum ac paratum reddit [l].

2. *Quot sunt tibi scitu necessaria, ut illa consolatione fruens beate vivas et moriaris?*

Tria [m]. Primum, quanta sit peccati mei et miseriæ meæ magnitudo [n]. Alterum, quo pacto ab omni peccato et miseria liberer [o]. Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam [p].

[a] 1 Cor. vi. 19, 20. 1 Thess. v. 9, 10. [b] Rom. xiv. 7, 8, 9. [c] 1 Cor. iii. 22, 23. [d] 1 Pet. i. 18, 19. [e] 1 Joh. i. 7. ii. 1, 2. [f] 1 Joh. iii. 8. Heb. ii. 14, 15. [g] Joh. vi. 38, 39, 40. x. 27—30. [h] Matt. x. 29, 30, 31. Luc. xxi. 18, 19. [i] Rom. viii. 18. [k] 2 Cor. i. 21, 22. v. 5. Eph. i. 13, 14. [l] Rom. viii. 15, 16, et 14. [m] Luc. xxiv. 46, 47. 1 Cor. vi. 11. Tit. iii. 3—7. [n] Joh. ix. 41. Rom. iii. 11—19. [o] Joh. xvii. 3. [p] Eph. v. 8, 9, 10. Psal. l. 14, 15. cxvi. 12, 13. 1 Pet. ii. 9, 10. Rom. vi. 11—14. Matt. v. 16. 2 Tim. ii. 15, 16.

PRIMA PARS

DE HOMINIS MISERIA.

3. *Unde tuam miseriam cognoscis?*

Ex Lege Dei [q].

4. *Quid a nobis postulat Lex Dei?*

Id docet nos Christus summatim, Matt. xxii. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua, et ex omnibus viribus tuis. Istud est primum et maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ab istis duobus mandatis tota Lex et Prophetæ pendent* [r].

5. *Num hæc omnia perfecte servare potes?*

Minime [s]. Natura enim propensus sum ad odium Dei et proximi [t].

6. *Num ergo Deus hominem ita pravum et perversum condidit?*

Nequaquam [u]: Imo vero bonum et ad imaginem sui condidit eum [x], hoc est, vera justitia et sanctitate præditum, ut Deum Creatorem suum recte cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret, idque ad eum laudandum et celebrandum [y].

7. *Unde igitur existit hæc naturæ humanæ pravitas?*

Ex lapsu et inobedientia primorum parentum Adami et Evæ [z]: hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur et nascamur [a].

8. *An vero adeo corrupti sumus, ut ad bene*

[q] Rom. iii. 20. [r] Luc. x. 27. Deut. vi. 5. [s] Rom. iii. 10, 11, 12, 23. 1 Joh. i. 8, 10. [t] Rom. viii. 7. Eph. ii. 3. Tit. iii. 3. [u] Gen. i. 31. [x] Gen. i. 26, 27. Col. iii. 9, 10. [y] Eph. iv. 24. 2 Cor. iii. 18. [z] Gen. iii. Rom. v. 12, 18, 19. [a] Psal. li. 7. Gen. v. 3.

agendum prorsus non simus idonei, et ad omne vitium proclives?

Certe[b]: nisi per Spiritum Sanctum regeneremur[c].

9. *An non igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in lege flagitet, quæ præstare non queat?*

Minime[d]. Nam Deus hominem talem condiderat, ut ea præstare posset: verum homo, impulsore Diabolo, sua ipsius contumacia, se et omnem posteritatem divinis illis donis orbavit[e].

10. *Num Deus hanc contumaciam et defectionem hominis dimittit impunitam?*

Imo vero horrendis modis irascitur[f], cum ob innata nobis peccata, tum ob ea, quæ ipsimet committimus; eaque justissimo judicio temporalibus et æternis suppliciis punit: quemadmodum ipse pronunciat: *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat*[g].

11. *An non igitur Deus etiam est misericors?*

Est ille quidem misericors, verum ita ut etiam sit justus[h]. Quapropter postulat ejus justitia, ut quod adversus summam Dei majestatem commissum est, id etiam ut summis, hoc est, sempiternis, cum animi tum corporis, suppliciis luatur[i].

SECUNDA PARS

DE LIBERATIONE HOMINIS.

12. *Quoniam igitur justo Dei judicio, temporalibus et æternis pœnis obnoxii sumus: estne reliqua ulla ratio aut via, qua his pœnis liberemur, et Deo reconciliemur?*

[b] Joh. iii. 6. Gen. vi. 5, 6. Job xiv. 4. et xv. 14, 15, 16. Isa. liii. 6. [c] Joh. iii. 5. [d] Eph. iv. 24. [e] Luc. x. 30. [f] Rom. v. 12. Heb. ix. 27. [g] Deut. xxvii. 26. Gal. iii. 10. [h] Exod. xxxiv. 6. [i] Exod. xx. 5. Psal. v. 5, 6. 2 Cor. vi. 14, 15, 16.

Vult Deus suæ justitiæ satisfieri[k]: quocirca necesse est, vel per nos, vel per alium satisfaciamus[l].

13. *Possumusne ipsi per nos satisfacere?*

Nulla ex parte: quin etiam debitum in singulos dies augemus[m].

14. *Potestne ulla creatura in cœlo vel in terra, quæ tantum creatura sit, pro nobis satisfacere?*

Nulla: Nam principio non vult Deus, quod homo peccavit, id in alia creatura plectere[n]. Deinde nec potest quidem, quod mera tantum creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere, et alios ab ea liberare[o].

15. *Qualis ergo quærendus est mediator et liberator?*

Qui verus quidem homo sit[p], ac perfecte justus[q], et tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus[r].

16. *Cur necesse est eum verum hominem, et quidem perfecte justum esse?*

Quia justitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat[s]: qui vero ipse peccator esset pro aliis dependere non posset[t].

17. *Quare oportet eum simul etiam vere Deum esse?*

Ut potentia suæ divinitatis, onus iræ divinæ carne sua sustinere[u], nobisque amissam justitiam et vitam reparare ac restituere possit[x].

18. *Quis autem est ille Mediator, qui simul est verus Deus, et verus perfecteque justus homo?*

Dominus noster[y] Jesus Christus, qui factus est

[k] Exod. xx. 5. et xxiii. 7. [l] Rom. viii. 3, 4. [m] Job ix. 2, 3. et xv. 15, 16. Matt. vi. 12. [n] Heb. ii. 14—18. [o] Psal. cxxx. 3. Job iv. 18. et xv. 15, 16. et xxv. 5, 6. [p] 1 Cor. xv. 21, 22, 25, 26. [q] Jer. xxiii. 6. et xxxiii. 16. Isa. liii. 11. 2 Cor. v. 14, 15, 16. [r] Heb. vii. 15, 16, 17. Isa. vii. 14. Rom. viii. 3, 4. [s] Rom. v. 12—15. [t] 1 Pet. iii. 18. Isa. liii. 3, 4, 5. [u] Isa. liii. 8. Act. ii. 24. 1 Pet. iii. 18. [x] 1 Joh. i. 2. et iv. 9. Act. xx. 28. Joh. iii. 16. [y] Matt. i. 23. et Isa. vii. 14. 1 Tim. iii. 16. Luc. ii. 11. Joh. xiv. 6. 1 Tim. ii. 5.

nobis a Deo sapientia, justitia, sanctificatio, et redemptio[z].

19. *Unde id scis?*

Ex Evangelio: quod Deus primum in paradiso patefecit[a], ac deinceps per patriarchas[b] et prophetas propagavit[c]: sacrificiis reliquisque ceremoniis legis adumbravit[d]: ad extremum vero per Filium suum unigenitum complevit[e].

20. *Num igitur omnibus hominibus, qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?*

Non omnibus, verum iis tantum, qui vera fide ipsi inseruntur, ejusque beneficia omnia amplectuntur[f].

21. *Quid est fides?*

Est non tantum notitia, qua firmiter assentior omnibus, quæ Deus nobis in verbo suo patefecit[g], sed etiam certa fiducia[h], a Spiritu Sancto[i] per Evangelium[k] in corde meo accensa, qua in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam, et vitam donatam esse[l], idque gratis, ex Dei misericordia, propter unius Christi meritum[m].

22. *Quænam sunt illa, quæ necesse est hominem Christianum credere?*

Omnia, quæ nobis in Evangelio promittuntur[n], quorum summa in Symbolo Apostolico, seu in capitibus catholicæ et indubitatæ omnium Christianorum fidei, breviter comprehenditur.

[z] 1 Cor. i. 30. [a] Gen. iii. 15. [b] Gen. xlix. 10, 11. et xxii. 18. et xxvi. 4. [c] Rom. i. 1—4. Heb. i. 1, 2. Act. iii. 22, 23, 24. et x. 43. [d] Joh. v. 46. Heb. x. 7. [e] Rom. x. 4. Gal. iv. 4, 5. et iii. 24, 25. Heb. xiii. 8. [f] Joh. i. 12, 13. et iii. 36. Isai. liii. 11. Psal. ii. 12. Rom. xi. 20. Heb. iv. 2, 3. et x. 39. [g] Heb. xi. 1—4. Jac. ii. 19. Gal. ii. 20. [h] Rom. iv. 16, 17, 18. et v. 1. et x. 10. Jac. i. 6. Luc. i. 68. et ii. 14, 29, 30. [i] Matt. xvi. 17. Joh. iii. 5. Gal. v. 22. Phil. i. 19, 29. 2 Cor. iv. 13. [k] Rom. i. 16. et x. 17. 1 Cor. i. 21. Marc. xvi. 15, 16. Act. xvi. 14. [l] Habac. ii. 4. et Rom. i. 17. et Gal. iii. 11. et Heb. x. 38. Matt. ix. 2. Eph. ii. 8, 9. Rom. v. 1. [m] Rom. iii. 24, 25, 26. Gal. ii. 16. Luc. i. 70—78. Joh. xx. 31. Act. x. 43. [n] Joh. xx. 31. Matt. xxviii. 20.

23. *Quod est illud Symbolum?*

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ: et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato: crucifixus: mortuus: et sepultus: descendit ad inferna: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad cœlos: sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicatum vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Credo sanctam Ecclesiam catholicam: sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: et vitam æternam. Amen.

24. *In quot partes distribuitur hoc Symbolum?*

In tres partes. Prima est de Patre, et nostri creatione. Altera est de Filio, et nostri redemptione. Tertia est de Spiritu Sancto, et nostri sanctificatione.

25. *Cum una sit tantum essentia divina*[o]*: cur tres istos nominas, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum?*

Quia Deus ita se in verbo suo patefecit[p], quod tres hæ distinctæ Personæ sint unus ille verus et æternus Deus.

DE PATRE.

26. *Quid credis cum dicis: Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli et terræ?*

Credo æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui cœlum et terram, cum omnibus, quæ in iis sunt, ex nihilo creavit[q], quique eadem æterno suo

[o] Deut. vi. 4. Eph. iv. 5, 6. Isa. xliv. 6. 1 Cor. viii. 4. [p] Isa. lxi. 1. et Luc. iv. 18. Psal. cx. 1. Matt. iii. 16, 17. et xxviii. 19. Joh. xiv. 26. et xv. 26. 1 Joh. v. 7. Tit. iii. 5, 6. 2 Cor. xiii. 13. Gal. iv. 6. Eph. ii. 18. [q] Gen. i. et ii. Psal. xxxiii. 6. Job xxxiii. 4. xxxviii. et xxxix. Psal. xxxvi. Act. iv. 24. Exod. xx. 11. Act. xiv. 15. Isai. xlv. 7 Joh. i. 3.

consilio et providentia sustentat ac gubernat[r], propter Christum, Deum meum et Patrem meum esse[s]: itaque sic ei confido, sic in eo acquiesco, ut non dubitem, quin provisurus sit omnibus, cum animo, tum corpori meo necessariis[t]: quin etiam, quæ mihi mala in hac ærumnosa vita immittit, ea in meam salutem sit conversurus[u], cum et facere id possit, ut omnipotens Deus[x]; et facere id velit, ut benignus Pater[y].

27. *Quid est providentia Dei?*

Omnipotens et ubique præsens Dei vis[z], qua cœlum ac terram cum omnibus creaturis tanquam manu sustinet ac gubernat[a]: ut quæ terra nascuntur, pluvia item et siccitas, fertilitas et sterilitas, cibus et potus[b], bona et adversa valetudo[c], divitiæ et paupertas[d], omnia denique, non temere aut fortuito, sed paterno ejus consilio et voluntate contingant.

28. *Quid nobis prodest hæc cognitio creationis et providentiæ divinæ?*

Ut in adversis patientes[e], in secundis grati simus[f]; in futurum vero optimam in Deo fidissimo Patre spem repositam habeamus[g], certo scientes, nihil esse quod nos ab ejus amore abstrahat[h], quandoquidem omnes creaturæ ita sunt in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio, non modo nihil agere, sed ne moveri quidem possint[i].

[r] Psal. civ. 2—5. et cxv. 3. Matt. x. 29, 30. Rom. xi. 36. Heb. i. 3. [s] Joh. i. 12. Rom. viii. 15. Gal. iv. 5, 6. Eph. i. 5. [t] Psal. lv. 23. Matt. vi. 26. Luc. xii. 22, 23, 24. [u] Rom. viii. 28. [x] Isa. xlvi. 3, 4. Rom. viii. 38, 39. et x. 12. [y] Matt. vi. Matt. vii. 9, 10, 11. [z] Isa. xxix. 15, 16. Ezech. viii. 12. Matt. xvii. 27. Act. xvii. 25. [a] Heb. i. 2, 3. [b] Jer. v. 23, 24. Act. xiv. 17. [c] Joh. ix. 3. [d] Prov. xxii. 2. [e] Rom. v. 3, 4. Jac. i. 3. Job i. 21, 22. [f] Deut. viii. 10. 1 Thess. v. 18. [g] Rom. v. 4, 5, 6. [h] Rom. viii. 38, 39. [i] Job i. 12. et ii. 6. Prov. xxi. 1. Act. xvii. 25—28.

DE FILIO.

29. *Quare Filius Dei appellatur Jesus, hoc est, Salvator?*

Quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris[k]: nec ulla salus vel peti aliunde debet, vel alibi reperiri potest[l].

30. *Credunt ne igitur illi in unicum Servatorem Jesum, qui a sanctis, aut a se, aut aliunde felicitatem salutemve quærunt?*

Non: Etsi enim verbo quidem eo Servatore gloriantur, re ipsa tamen abnegant unicum Servatorem Jesum[m]. Necesse est enim, aut Jesum non esse perfectum Servatorem, aut qui eum Servatorem vera fide amplectuntur, eos omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur[n].

31. *Quare appellatur Christus, hoc est, unctus?*

Quod a Patre ordinatus, et Spiritu Sancto unctus[o] sit summus Propheta ac Doctor[p], qui nobis arcanum consilium et omnem voluntatem Patris de redemptione nostri patefecit[q]: et summus Pontifex[r], qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, assidueque pro nobis apud Patrem intercedit[s]: et Rex, qui nos suo verbo et Spiritu gubernat, et partam nobis salutem tuetur ac conservat[t].

32. *Cur vero tu Christianus appellaris?*

Quod per fidem membrum sum Jesu Christi[u], et unctionis ipsius particeps[x], ut et nomen ejus confitear[y], meque sistam ipsi vivam gratitudinis hosti-

[k] Matt. i. 21. Heb. vii. 24, 25. [l] Act. iv. 11, 12. [m] 1 Cor. i. 13, 30, 31. Gal. v. 4. [n] Heb. xii. 2. Isa. ix. 6. et xliii. 11, 25. Coloss. i. 19, 20. et ii. 10. Joh. i. 16. [o] Psal. xlv. 8. Heb. i. 9. [p] Deut. xviii. 15. et Act. iii. 22. et vii. 37. [q] Joh. i. 18. et xv. 15. Matt. xi. 27. [r] Psal. cx. 4. Heb. vii. 21. et x. 12. [s] Rom. viii. 34. et v. 9, 10. [t] Psal. ii. 6. Luc. i. 33. Matt. xxviii. 18. Joh. x. 28. [u] Act. xi. 26. 1 Cor. vi. 15. [x] 1 Joh. ii. 27. Isai. lix. 21. Joel ii. 28. et Act. ii. 17. [y] Matt. x. 32. et Marc. viii. 38. et Luc. ix. 26. et xii. 8, 9.

am [z], et in hac vita, contra peccatum et Satanam, libera et bona conscientia pugnem [a], et postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam [b].

33. *Quam ob causam Christus vocatur Filius Dei unigenitus, cum nos quoque simus filii Dei?*

Quia solus Christus est coæternus et naturalis æterni Patris Filius [c]: nos autem propter eum, ex gratia, a Patre adoptati sumus [d].

34. *Qua de causa appellas eum Dominum nostrum?*

Quia corpus et animam nostram a peccatis, non auro nec argento, sed pretioso suo sanguine redemit, et ab omni potestate Diaboli liberavit, atque ita nos sibi proprios vindicavit [e].

35. *Quid credis cum dicis: Conceptus est per Spiritum Sanctum, natus ex Maria Virgine?*

Quod ipse Filius Dei, qui est [f], et permanet verus ac æternus Deus [g], naturam vere humanam ex carne et sanguine Virginis Mariæ [h], operatione Spiritus Sancti assumsit [i], ut simul sit verum semen Davidis [k], fratribus suis per omnia similis [l], excepto peccato [m].

36. *Quem fructum percipis ex sancta conceptione et nativitate Christi?*

Quod is noster sit Mediator [n], et sua innocentia ac perfecta sanctitate, mea peccata, in quibus con-

[z] Rom. vi. 12, 13. et xii. 1. Apoc. v. 8. 10. 1 Pet. ii. 9. et Exod. xix. 6. [a] 1 Tim. i. 18, 19. [b] Matt. xxv. 34. 2 Tim. ii. 12. Apoc. i. 6. [c] Joh. i. 14, 18. Heb. i. 1, 2. Joh. iii. 16. 1 Joh. iv. 9. [d] Rom. viii. 15, 16, 17. Eph. i. 5, 6. Joh. i. 12. 1 Joh. i. 3. [e] 1 Pet. i. 18, 19. 1 Cor. vi. 20. et vii. 23. Eph. i. 7. 1 Tim. ii. 5, 6. [f] Joh. i. 1. et xvii. 3, 4, 5. Rom. i. 3, 4. Coloss. i. 15, 16, 17. Psal. ii. 7, 8. et Act. xiii. 33. et Heb. i. 5. et v. 5. Matt. iii. 17. et xvii. 5. et Marc. i. 11. Matt. xvi. 16. et Luc. ix. 20. [g] Rom. ix. 5. Isa. vii. 14. et Matt. i. 23. Isa. ix. 6. Jerem. xxiii. 6. 1 Joh. v. 20. Joh. xx. 28. [h] Joh. i. 14. Gal. iv. 4, 5. [i] Matt. i. 18, 19, 20. Luc. i. 35. [k] Psal. cxxxii. 11. et 2 Sam. vii. 12. et Luc. i. 32. Act. ii. 30, 31. [l] Phil. ii. 7. [m] Heb. iv. 15. et vii. 26, 27. [n] Heb. ii. 16, 17, 18.

ceptus sum, tegat, ne in conspectum Dei veniant[o].

37. *Quid credis cum dicis: Passus est?*

Eum toto quidem vitæ suæ tempore quo in terris egit, præcipue vero in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani, corpore et anima sustinuisse[p]; ut sua passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio[q], corpus et animam nostram ab æterna damnatione liberaret, et nobis gratiam Dei, justitiam et vitam æternam acquireret.

38. *Quid causæ fuit, cur sub judice Pontio Pilato pateretur?*

Ut innocens coram judice politico damnatus[r], nos a severo Dei judicio, quod omnes manebat, eximeret[s].

39. *Est-ne vero quiddam amplius, quod affixus est cruci, quam si alio genere mortis affectus esset?*

Sane amplius: Ex hac enim re sum certus, eam maledictionem, quæ mihi incumbebat, in se recipisse: nam mors crucis a Deo erat maledicta[t].

40. *Cur necesse fuit, ut Christus ad mortem usque se demitteret?*

Propterea, quod justitiæ et veritati Dei[u] nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quam ipsa morte Filii Dei[x].

41. *Quare etiam sepultus est?*

Ut eo testatum faceret, se vere mortuum esse[y].

42. *At cum Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque est moriendum?*

Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, et transitus in vitam æternam[z].

[o] Psal. xxxii. 1. 1 Cor. i. 30. Rom. viii. 3, 4. Gal. iv. 4, 5. [p] 1 Pet. ii. 24. et iii. 18. Isa. liii. 12. [q] 1 Joh. ii. 2. et iv. 10. Rom. iii. 25, 26. [r] Luc. xxiii. 13, 14, 15. Joh. xix. 4. [s] Psal. lxix. 4. Isa. liii. 4, 5. 2 Cor. v. 21. Gal. iii. 13, 14. [t] Deut. xxi. 23. [u] Gen. iii. 17. [x] Heb. ii. 9. 14, 15. Phil. ii. 8. [y] Act. xiii. 29. Matt. xxvii. 59, 60. Luc. xxiii. 52, 53. Joh. xix. 38—42. [z] Joh. v. 24. Phil. i. 23. Rom. vii. 24, 25.

43. *Quid præterea capimus commodi ex sacrificio et morte Christi?*

Quod virtute ejus mortis vetus noster homo una cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur[a], ne pravæ cupiditates et desideria carnis posthac in nobis regnent[b], sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus[c].

44. *Cur additur, Descendit ad inferna?*

Ut in summis doloribus et gravissimis tentationibus, me consolatione hac sustentem, quod Dominus meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus, et terroribus, in quos cum antea, tum maxime in cruce pendens, fuerat demersus, me ab angustiis et cruciatibus inferni liberaverit[d].

45. *Quid nobis prodest resurrectio Christi?*

Primum, sua resurrectione mortem devicit, ut nos posset ejus justitiæ, quam nobis sua morte pepererat, participes facere[e]. Deinde, nos jam quoque ejus potentia ad novam vitam excitamur[f]. Postremo, resurrectio capitis nostri Christi, nobis gloriosæ resurrectionis nostræ pignus est[g].

46. *Quomodo intelligis illud, Ascendit ad cœlos?*

Quod, aspicientibus discipulis, Christus de terra in cœlum sublatus est[h], atque etiamnum nostra causa ibidem est[i], et erit, donec redeat ad judicandum vivos et mortuos[k].

47. *An ergo Christus non est nobiscum usque ad finem mundi, quemadmodum promisit[l]?*

Christus est verus Deus et verus homo, itaque secundum naturam humanam, jam non est in terra[m]:

[a] Rom. vi. 6, 7, 8, 11. [b] Rom. vi. 12. [c] Rom. xii. 1. [d] Isa. liii. 10. Matt. xxvii. 46. [e] 1 Cor. xv. 16, 17, 18, 54, 55. Rom. iv. 25. 1 Pet. i. 3, 4, 5, 21. [f] Rom. vi. 4. Coloss. iii. 1—4. Ephes. ii. 5, 6. [g] 1 Cor. xv. 12, 13, 14. Rom. viii. 11. [h] Act. i. 9. Marc. xvi. 19. Luc. xxiv. 51. [i] Heb. iv. 14. et vii. 24, 25. et ix. 11, 12. Rom. viii. 34. Ephes. iv. 10. Coloss. iii. 1, 2. [k] Act. i. 11. Matt. xxiv. 30. [l] Matt. xxviii. 20. [m] Matt. xxvi. 11. Joh. xvi. 28. et xvii. 11. Act. iii. 21.

at secundum divinitatem suam, majestatem, gratiam et Spiritum, nullo unquam tempore a nobis abest [n].

48. *An vero isto pacto duæ naturæ in Christo non divelluntur, si non sit natura humana, ubicunque est divina?*

Minime: Nam cum divinitas comprehendi non queat, et omni loco præsens sit [o]; necessario consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, quam assumsit, sed nihilominus tamen esse in eadem, eique personaliter unitam permanere [p].

49. *Quem fructum nobis adfert ascensio Christi?*

Primum, quod in cœlo apud Patrem pro nobis intercedit [q]. Deinde, quod carnem nostram in cœlo habemus, ut eo tanquam certo pignore confirmemur, fore, ut ipse, qui caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat [r]. Tertio, quod nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit [s], cujus efficacia, non terrena, sed superna quærimus [t].

50. *Cur additur, Sedet ad dexteram Dei?*

Quia Christus ideo in cœlum ascendit, ut se ibi caput suæ Ecclesiæ declararet [u], per quod Pater omnia gubernat [x].

51. *Quid nobis prodest hæc gloria nostri capitis Christi?*

Primum, quod per Spiritum Sanctum in nos sua membra, cœlestia dona effundit [y]. Deinde, quod nos sua potentia contra omnes hostes protegit ac defendit [z].

52. *Quid te consolatur reditus Christi ad judicandum vivos et mortuos?*

Quod in omnibus miseriis et persecutionibus,

[n] Joh. xiv. 16, 17. Eph. iv. 8. [o] Isa. lxvi. 1. et Act. vii. 49. Act. xvii. 27, 28. Jer. xxiii. 23, 24. [p] Coloss. ii. 9. Joh. iii. 13. et xi. 15. Matt. xxviii. 6. [q] 1 Joh. ii. 1. Rom. viii. 34. [r] Joh. xiv. 2. et xx. 17. Eph. ii. 6. [s] Joh. xiv. 16. et xvi. 7. Act. ii. 33. 2 Cor. i. 21, 22. et v. 5. [t] Coloss. iii. 1. Phil. iii. 20, 21. [u] Eph. i. 20—23. et v. 23. Col. i. 18. [x] Matt. xxviii. 18. Joh. v. 22. [y] Eph. iv. 10, 11, 12. [z] Psal. ii. 9. et cx. 1, 2. Joh. x. 28, 29, 30. Eph. iv. 8.

erecto capite, eundem illum qui se prius pro me judicio Dei statuit, et maledictionem omnem a me abstulit, Judicem e cœlo expecto [a], qui omnes suos et meos hostes in æternas pœnas abjiciat [b]: me vero cum omnibus electis, ad se in cœlestia gaudia, et sempiternam gloriam traducat [c].

DE SPIRITU SANCTO.

53. *Quid credis de Spiritu Sancto?*

Primum, quod sit verus et coæternus Deus, cum æterno Patre et Filio [d]: Deinde, quod mihi quoque datus sit [e], ut me per veram fidem, Christi et omnium ejus beneficiorum participem faciat [f], me consoletur [g], et mecum in æternum maneat [h].

54. *Quid credis de sancta et catholica Christi Ecclesia?*

Credo Filium Dei, ab initio mundi ad finem usque [i], sibi ex universo genere humano [k], cœtum ad vitam æternam electum [l], per Spiritum suum et verbum [m], in vera fide consentientem [n], colligere, tueri, ac servare [o], meque vivum ejus cœtus membrum esse [p], et perpetuo mansurum [q].

55. *Quid sibi vult communio sanctorum?*

Primum, quod universi et singuli credentes, Christi et omnium ejus bonorum, tanquam ipsius membra communionem habeant [r]. Deinde, quod

[a] Luc. xxi. 28. Rom. viii. 23, 24. Phil. iii. 20, 21. Tit. ii. 13. 2 Thess. i. 6—10. [b] 1 Thess. iv. 16, 17. Matt. xxv. 41, 42, 43. [c] Matt. xxv. 34, 35, 36. [d] Gen. i. 2. Isa. xlviii. 16. 1 Cor. iii. 16. et vi. 19. Act. v. 3, 4. [e] Matt. xxviii. 19. 2 Cor. i. 21, 22. [f] Gal. iii. 14. 1 Pet. i. 1, 2. 1 Cor. vi. 17. [g] Act. ix. 31. [h] Joh. xiv. 16. 1 Pet. iv. 14. [i] Matt. xvi. 18. Joh. x. 28, 29, 30. [k] Joh. x. 11. Gen. xxvi. 4. [l] Rom. viii. 29, 30. Eph. i. 10—13. 1 Pet. i. 20, 21. [m] Isa. lix. 21. Rom. i. 16. et x. 14—17. Eph. v. 26. [n] Act. ii. 46. Eph. iv. 3—6. [o] 1 Joh. iii. 21. 2 Cor. xiii. 5. [p] 1 Joh. ii. 19. [q] 1 Cor. i. 8, 9. Rom. viii. 35, 36, 37. Psal. lxxi. 9, 18. [r] 1 Joh. i. 3. Rom. viii. 32. 1 Cor. xii. 12, 13. 21. 1 Cor. vi. 17.

singuli, quæ acceperunt dona, in commune commodum et universorum salutem prompte et alacriter conferre debeant [s].

56. *Quid credis de remissione peccatorum?*

Deum propter satisfactionem Christi [t], meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis cum qua mihi per omnem vitam pugnandum est [u], memoriam omnem deposuisse, et me justitia Christi gratis donare, ne umquam in judicium veniam [x].

57. *Quid te consolatur resurrectio carnis?*

Quod non tantum anima mea, postquam e corpore excesserit, e vestigio ad Christum caput suum assumetur [y]: verum quod hæc quoque caro mea, potentia Christi excitata, rursus animæ meæ unietur, et glorioso Christi corpori conformabitur [z].

58. *Quam consolationem capis ex articulo de vita æterna?*

Quod, quoniam in præsentia vitæ æternæ initia in meo corde præsentisco [a], futurum sit, ut post hanc vitam plena perfectaque beatitudine potiar, in qua Deum in æternum celebrem [b]; quam quidem beatitudinem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus homo cogitatione comprehendit [c].

59. *At cum hæc omnia credis, quid utilitatis inde ad te redit?*

Quod in Christo justus sum coram Deo, et hæres vitæ æternæ [d].

60. *Quomodo justus es coram Deo?*

Sola fide vera in Jesum Christum [e]; adeo ut licet mea me conscientia accuset, quod adversus omnia mandata Dei graviter peccaverim, nec ullum eorum servaverim [f], ad hæc etiamnum ad omne ma-

[s] 1 Cor. xiii. 5, 6. Phil. ii. 4, 5, 6. [t] 1 Joh. ii. 2. 2 Cor. v. 19. 21. [u] Jer. xxxi. 34. Psal. ciii. 3, 4, 10, 12. Rom. vii. 24, 25. et viii. 1—4. [x] Joh. iii. 18. [y] Luc. xxiii. 43. Philipp. i. 21, 22, 23. [z] 1 Cor. xv. 53, 54. Job. xix. 25, 26, 27. 1 Joh. iii. 2. Phil. iii. 21. [a] 2 Cor. v. 2, 3. [b] 1 Cor. ii. 9. [c] Joh. xvii. 3. [d] Habac. ii. 4. Rom. i. 17. Joh. iii. 36. [e] Rom. iii. 21—28. et v. 1. Gal. ii. 16. Eph. ii. 8, 9. Philipp. iii. 9. [f] Rom. iii. 9.

lum propensus sim [g], nihilominus tamen, modo hæc beneficia vera animi fiducia amplectar [h], sine ullo meo merito [i], ex mera Dei misericordia [k], mihi perfecta satisfactio [l] justitia et sanctitas Christi [m] imputetur ac donetur [n], perinde ac si nec ullum ipse peccatum admisissem, nec ulla mihi labes inhæreret: imo vero quasi eam obedientiam, quam pro me Christus præstitit, ipse perfecte præstitissem [o].

61. *Cur sola fide te justum esse affirmas?*

Non quod dignitate fidei meæ Deo placeam: sed quod sola satisfactio, justitia et sanctitas Christi, mea justitia sit coram Deo [p]; ego vero eam non alia ratione, quam fide amplecti, et mihi applicare queam [q].

62. *Cur nostra bona opera non possunt esse justitia, vel pars aliqua justitiæ coram Deo?*

Propterea quod oporteat eam justitiam, quæ in judicio Dei consistat, perfecte absolutam esse, et omni ex parte divinæ legi congruentem [r]: nostra vero etiam præstantissima quæque opera, in hac vita sunt imperfecta, atque adeo peccatis inquinata [s].

63. *Quomodo bona opera nostra nihil promereantur, cum Deus et in præsenti et in futura vita mercedem pro his se daturum promittat?*

Merces ea non datur ex merito, sed ex gratia [t].

64. *An autem hæc doctrina non reddit homines securos et profanos?*

Non: neque enim fieri potest, quin ii qui Christo per fidem insiti sunt fructus gratitudinis proferant [u].

[g] Rom. vii. 23. [h] Rom. iii. 22. Joh. iii. 18. [i] Rom. iii. 24. Deut. ix. 6. Ezech. xxxvi. 22. [k] Tit. iii. 5. Eph. ii. 8, 9. [l] 1 Joh. ii. 2. [m] 1 Joh. ii. 1. [n] Rom. iv. 4, 5. 2 Cor. v. 19. [o] 2 Cor. v. 21. [p] 1 Cor. i. 30, 31. et ii. 2. [q] 1 Joh. v. 10, 11. [r] Gal. iii. 10. Deut. xxvii. 26. [s] Isa. lxiv. 6. [t] Luc. xvii. 10. [u] Matt. vii. 18. Joh. xv. 5.

DE SACRAMENTIS.

65. *Quoniam igitur sola fides nos Christi atque omnium ejus beneficiorum participes facit: unde proficiscitur hæc fides?*

A Spiritu Sancto[x], qui eam per prædicationem Evangelii in cordibus nostris accendit, et per usum sacramentorum confirmat[y].

66. *Quid sunt sacramenta?*

Sunt sacra et in oculos incurrentia signa ac sigilla, ob eam causam a Deo instituta, ut per ea nobis promissionem Evangelii magis declaret et obsignet; quod scilicet non universis tantum, verum etiam singulis credentibus, propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum, et vitam æternam[z].

67. *Num utraque igitur, et verbum et sacramenta eo spectant, ut fidem nostram ad sacrificium Christi in cruce peractum, tanquam ad unicum nostræ salutis fundamentum deducant?*

Ita est: Nam Spiritus Sanctus docet Evangelio, et confirmat sacramentis, omnem nostram salutem positam esse in unico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati[a].

68. *Quot sacramenta instituit Christus in Novo Fœdere?*

Duo, baptismum, et sacram cœnam.

DE BAPTISMO.

69. *Qua ratione in baptismo admoneris et confirmaris, te unici illius sacrificii Christi participem esse?*

[x] Eph. ii. 8, 9. et vi. 23. Joh. iii. 5. Phil. i. 29. [y] Matt. xxviii. 19, 20. 1 Pet. i. 22, 23. [z] Gen. xvii. 11. Rom. iv. 11. Deut. xxx. 6. Levit. vi. 25. Heb. ix. 8, 9, 24. Ezech. xx. 12. 1 Sam. xvii. 36. Isa. vi. 6, 7. et liv. 9. [a] Rom. vi. 3. Galat. iii. 26, 27.

Quod Christus externum aquæ lavacrum mandavit [b], addita hac promissione [c], me non minus certo ipsius sanguine et Spiritu a sordibus animæ, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari, quam aqua extrinsecus ablutus sum [d], qua sordes corporis expurgari solent.

70. *Quid est sanguine et Spiritu Christi ablui?*

Est accipere a Deo remissionem peccatorum, gratis, propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit [e]: Deinde etiam per Spiritum Sanctum renovari, et, ipso sanctificante, membrum Christi fieri, quo magis ac magis peccatis moriamur, et sancte inculpateque vivamus [f].

71. *Ubi promisit Christus, se nos tam certo sanguine et Spiritu suo abluturum, quam aqua baptismi abluti sumus?*

In institutione baptismi, cujus hæc sunt verba: *Ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* [g]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, servabitur: qui non crediderit, condemnabitur* [h]. Hæc promissio repetitur, cum scriptura baptismum nominat lavacrum regenerationis [i], et ablutionem peccatorum [k].

72. *Est-ne ergo externus baptismus aquæ ipsa peccatorum ablutio?*

Non est [l]: Nam solus sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato [m].

73. *Cur ergo Spiritus Sanctus baptismum appellat lavacrum regenerationis, et ablutionem peccatorum?*

Deus non sine gravi causa sic loquitur; videlicet,

[b] Matt. xxviii. 19, 20. Act. ii. 38. [c] Matt. iii. 11. Marc. xvi. 16. Rom. vi. 3, 4. [d] Marc. i. 4. Luc. iii. 3. [e] Heb. xii. 24. 1 Pet. i. 1, 2. Apoc. i. 5. et xxii. 14. Zach. xiii. 1. Ezech. xxxvi. 25, 26, 27. [f] Joh. i. 33. et iii. 5. 1 Cor. vi. 11. et xii. 13. Rom. vi. 4. Coloss. ii. 11, 12. [g] Matt. xxviii. 19. [h] Marc. xvi. 16. [i] Tit. iii. 5. [k] Act. xxii. 16. [l] Matt. iii. 11. 1 Pet. iii. 21. Eph. v. 26, 27. [m] 1 Joh. i. 7. 1 Cor. vi. 11.

non solum ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aqua purgantur; sic peccata nostra sanguine et Spiritu Christi expiari [n]: verum multo magis, ut nobis hoc divino symbolo ac pignore certum faciat, nos non minus vere a peccatis nostris interna lotione ablui, quam externa et visibili aqua abluti sumus [o].

74. *Sunt-ne etiam infantes baptizandi?*

Omnino: Nam cum æque atque adulti ad fœdus et Ecclesiam Dei pertineant [p]; cumque eis per sanguinem Christi, remissio peccatorum [q], et Spiritus Sanctus fidei effector, non minus quam adultis promittatur [r]; per baptismum Ecclesiæ Dei inserendi sunt, et ab infidelium liberis discernendi [s], itidem ut in Veteri Fœdere per circumcisionem fiebat [t], cui in Novo Fœdere substitutus est baptismus [u].

DE CŒNA DOMINI.

75. *Qua ratione in cœna Domini admoneris et confirmaris, te unici illius sacrificii Christi in cruce oblati, atque omnium ejus bonorum participem esse?*

Quod Christus me atque omnes fideles de hoc fracto pane edere, et de poculo distributo bibere jussit, in sui memoriam, additis his promissis [x]: primum, corpus suum non minus certo pro me in cruce oblatum ac fractum, sanguinemque suum pro me fusum esse; quam oculis cerno, panem Domini mihi frangi, et poculum mihi communicari: Deinde, animam meam non minus certo ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, et sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternam ab ipso pasci; quam pa-

[n] Apoc. i. 5. et vii. 14. 1 Cor. vi. 11. [o] Marc. xvi. 16. Gal. iii. 17. [p] Gen. xvii. 7. [q] Matt. xix. 14. [r] Luc. i. 14, 15. Psal. xxii. 10. Isa. xliv. 1, 2, 3. Act. ii. 39. [s] Act. x. 47. [t] Gen. xvii. 14. [u] Coloss. ii. 11, 12, 13. [x] Matt. xxvi. 26, 27, 28. Marc. xiv. 22, 23, 24. Luc. xxii. 19, 20. 1 Cor. x. 16, 17. et xi. 23, 24, 25. et xii. 13.

nem et vinum, symbola corporis et sanguinis Domini e manu ministri accepta, ore corporis percipio.

76. *Quid est crucifixum corpus Christi edere, et fusum ejus sanguinem bibere?*

Est non tantum totam passionem et mortem Christi certa animi fiducia amplecti, ac per id remissionem peccatorum et vitam æternam adipisci [y]; sed etiam per Spiritum Sanctum, qui simul in Christo et in nobis habitat, ita sacrosancto ejus corpori magis ac magis uniri [z], ut quamvis ipse in cœlo [a], nos vero in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne ejus, et os de ossibus ejus [b]: utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur et gubernemur [c].

77. *Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certo corpus et sanguinem suum sic edendum et bibendum daturum, quam fractum hunc panem edunt, et poculum hoc bibunt?*

In institutione Cœnæ, cujus hæc sunt verba [d]: *Dominus noster Jesus Christus, ea nocte qua proditus est, accepit panem; et, gratiis actis, fregit ac dixit: Accipite, comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem et poculum, postquam cœnassent, dicens: Hoc poculum est novum fœdus per meum sanguinem [e]: hoc facite, quotiescumque biberitis, in mei recordationem [f]. Quotiescumque enim ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.* Hæc promissio a Paulo repetitur [g], cum inquit, *Poculum gratiarum actionis, quò gratias agimus, nonne commu-*

[y] Joh. vi. 35, 40, 47, 48, 50, 51, 53, 54. [z] Joh. vi. 55, 56. [a] Act. iii. 21. Act. i. 9, 10, 11. 1 Cor. xi. 26. [b] Eph. iii. 16, 17. et v. 29, 30. 1 Cor. vi. 15, 17, 19. 1 Joh. iii. 24. et iv. 13. Joh. xiv. 23. [c] Joh. vi. 56, 57, 58. et xv. 1—6. Eph. iv. 15, 16. [d] 1 Cor. xi. 23, 24, 25. Matt. xxvi. 26, 27, 28. Marc. xiv. 22, 23, 24. Luc. xxii. 19, 20. [e] Exod. xxiv. 8. Heb. ix. 20. [f] Exod. xiii. 9. [g] 1 Cor. x. 16, 17.

nio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus; nam omnes unius panis participes sumus.

78. *Num ergo panis et vinum fiunt ipsum corpus et sanguis Christi?*

Nequaquam: verum ut aqua baptismi in sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed symbolum tantum et pignus earum rerum [h], quæ nobis in baptismo obsignantur: ita nec panis cœnæ Dominicæ est ipsum corpus Christi [i]: quamquam pro ratione sacramentorum, et usitata Spiritui Sancto de his loquendi forma [k], panis Christi corpus appellatur.

79. *Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem vero suum sanguinem, seu novum fœdus per suum sanguinem: Paulus item panem et vinum communionem corporis et sanguinis Christi?*

Christus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet, non solum ut nos doceat, quemadmodum panis et vinum corporis vitam sustentant, sic etiam crucifixum suum corpus et effusum suum sanguinem, vere esse animæ nostræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur [l]: verum multo magis, ut hoc visibili signo ac pignore nobis certum faciat, nos non minus vere corporis et sanguinis sui, per operationem Spiritus Sancti, participes esse, quam sacra ista symbola, in ejus memoriam, ore corporis percipimus [m]: tum etiam, quod ejus passio et obedientia tam certo nostra sit, quam si ipsimet pro nostris peccatis pœnas dedissemus, et Deo satisfecissemus.

80. *Quid interest inter cœnam Domini, et missam papisticam?*

Cœna Domini nobis testatur, nos perfectam re-

[h] Matt. xxvi. 29. Marc. xiv. 24. [i] 1 Cor. x. 16, 17. et xi. 26, 28. [k] Gen. xvii. 10, 11, 14, 19. Exod. xii. 26, 27, 43, 48. et xiii. 9. Act. vii. 8. Exod. xxiv. 8. Levit. xvi. 10. et xvii. 11. Isa. vi. 6, 7. Tit. iii. 5. Act. xxii. 16. 1 Pet. iii. 21. 1 Cor. x. 1—4. [l] Joh. vi. 51, 55, 56. [m] 1 Cor. x. 16, 17.

missionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium, quod ipsemet semel in cruce peregit [n]: tum etiam nos per Spiritum Sanctum inseri Christo [o], qui jam secundum naturam suam humanam tantum in cœlis est ad dextram Patris [p], ibique vult a nobis adorari [q].

In missa autem negatur, vivos et mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidie Christus pro ipsis a sacrificulis offeratur: tum etiam docetur, Christum corporaliter sub speciebus panis et vini esse, ideoque in illis adorandum esse [r]. Atque ita ipsum missæ fundamentum nihil aliud est, quam abnegatio unici illius sacrificii et passionis Jesu Christi, et execranda idololatria.

81. *Quibus accedendum est ad mensam Domini?*

Tantum iis, qui vere dolent se suis peccatis Deum offendisse; confidunt autem sibi ea propter Christum remissa esse, et quas reliquas habent infirmitates, eas passione et morte illius obtectas esse, magisque ac magis desiderant in fide et integritate vitæ proficere: hypocritæ autem, et qui non vere resipiscunt, damnationem sibi edunt et bibunt [s].

82. *Sunt-ne illi etiam ad hanc cœnam admittendi, qui confessione et vita se infideles et impios esse declarant?*

Nequaquam: Nam eo pacto fœdus Dei profanatur, et ira Dei in universum cœtum concitatur [t]: quocirca Ecclesia, ex præscripto Christi et apostolorum clavibus regni cœlorum utens, hos a cœna arcere debet, quoad resipuerint, et mores mutaverint.

[n] Heb. vii. 26, 27. et ix. 12, 25—28. et x. 10, 12, 13, 14. Joh. xix. 30. Matt. xxvi. 28. Luc. xxii. 19, 20. [o] 1 Cor. vi. 17. et x. 16, 17. et xii. 13. [p] Heb. i. 3. et viii. 1, 2. [q] Joh. iv. 21—24. et xx. 17. Luc. xxiv. 52, 53. Act. vii. 55, 56. Coloss. iii. 1. Phil. iii. 20, 21. 1 Thess. i. 9, 10. [r] In Can. Missæ. Item de Consecratione, distinct. 2. [s] 1 Cor. x. 19—22. et xi. 28, 29. [t] 1 Cor. xi. 20, 34. Isa. i. 11—15. et lxvi. 3. Jer. vii. 21, 22, 23. Psal. l. a 15. ad fin.

83. *Quid sunt claves regni cœlorum?*

Prædicatio Evangelii, et ecclesiastica disciplina, quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur[u].

84. *Quo pacto aperitur et clauditur regnum cœlorum prædicatione Evangelii?*

Cum ex mandato Christi credentibus universis et singulis, publice annunciatur omnia peccata ipsis divinitus propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Evangelii vera fide amplectuntur: contra vero omnibus infidelibus et hypocritis denunciatur, tantisper ipsis iram Dei et æternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant[x]: secundum quod Evangelii testimonium, Deus tam in præsenti, quam in futura vita judicaturus est.

85. *Quo pacto clauditur et aperitur regnum cœlorum per disciplinam ecclesiasticam?*

Cum ex mandato Christi ii, qui nomine quidem sunt Christiani, verum doctrina aut vita se ostendunt a Christo alienos, postquam aliquoties fraterne admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt, Ecclesiæ indicantur, aut iis, qui ab Ecclesia ad eam rem sunt constituti; ac si ne horum quidem admonitioni pareant, ab iisdem interdictione sacramentorum ex cœtu Ecclesiæ et ab ipso Deo ex regno Christi, excluduntur: ac rursum, si emendationem profiteantur, et reipsa declarent, tanquam Christi et Ecclesiæ membra recipiuntur[y].

[u] Matt. xvi. 18, 19. et xviii. 18. [x] Joh. xx. 21, 22, 23. Matt. xvi. 19. [y] Rom. xii. 7, 8, 9. 1 Cor. xii. 28. Matt. xviii. 15, 16, 17. 1 Tim. v. 17. 2 Thess. iii. 14, 15. 2 Joh. 10, 11. 1 Cor. v. 3, 4, 5. 2 Cor. ii. 6—11.

TERTIA PARS

DE GRATITUDINE.

86. *Cum ab omnibus peccatis et miseriis, sine ullo nostro merito, sola Dei misericordia, per Christum liberati sumus, quid est cur bona opera faciamus?*

Quia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovat nos quoque suo Spiritu ad imaginem sui, ut tantis beneficiis affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus [z], et ipse per nos celebretur [a]: Deinde, ut nos quoque ex fructibus de sua quisque fide certi simus [b]: postremo, ut vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus [c].

87. *Non possunt igitur illi servari, qui ingrati, et in peccatis secure persistentes, a sua pravitate ad Deum non convertuntur?*

Nullo modo: Nam, ut scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec convitiatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei consequentur [d].

88. *Quibus partibus constat conversio hominis ad Deum?*

Mortificatione veteris [e], et vivificatione novi hominis.

89. *Quid est mortificatio veteris hominis?*

Vere et ex animo dolere, quod peccatis tuis Deum offenderis, eaque magis ac magis odisse et fugere [f].

90. *Quid est vivificatio novi hominis?*

Vera lætitia in Deo per Christum [g], et serium ac

[z] Rom. vi. 13. et xii. 1, 2. 1 Pet. ii. 5, 9, 10. 1 Cor. vi. 19, 20. [a] Matt. v. 16. 1 Pet. ii. 11, 12. [b] 2 Pet. i. 10. Matt. vii. 17, 18. Gal. v. 5, 6, 22—25. [c] 1 Pet. iii. 1, 2. Matt. v. 16. Rom. xiv. 19. [d] 1 Cor. vi. 9, 10. Eph. v. 5, 6. 1 Joh. iii. 14, 15. [e] Rom. vi. 4, 5, 6. Eph. iv. 22, 23, 24. Coloss. iii. 5—10. 1 Cor. v. 7. 2 Cor. vii. 11. [f] Rom. viii. 13. Joel. ii. 13. Hos. v. 15. et vi. 1. [g] Rom. v. 1. et xiv. 17. Isa. lvii. 15.

promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi [h].

91. *Quæ sunt bona opera?*

Ea tantum, quæ ex vera fide [i], secundum legem Dei fiunt [k], et ad ejus solius gloriam referuntur [l]: non ea, quæ aut a nobis opinione recti conficta, aut ab aliis hominibus tradita sunt [m].

92. *Quæ est Lex Dei?*

Loquutus est Deus omnia verba hæc [n].

Primum præceptum.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis. Non habebis deos alienos in conspectu meo [o].

Secundum.

Ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut supra sunt in cœlo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: ne incurves te illis, neque colas ea: Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idque in tertia et quarta progenie eorum, qui oderunt me: et misericordia utens in millesimam eorum, qui diligunt me, et observant præcepta mea [p].

Tertium.

Ne usurpes nomen Domini Dei tui temere: neque enim Dominus impunitum dimittit eum, qui nomen ejus vane usurpaverit [q].

Quartum.

Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et omne opus tuum facies: At septimo die sabbatum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum

[h] Rom. vi. 10, 11. Gal. ii. 19, 20. [i] Rom. xiv. 23. [k] 1 Sam. xv. 22. Eph. ii. 10. [l] 1 Cor. x. 31. [m] Deut. xi. 32. Ezech. xx. 18, 19. Isa. xxix. 13. Matt. xv. 7, 8, 9. [n] Exod. xx. 1. Deut. v. 1, 4, 5. [o] Exod. xx. 2, 3. Deut. v. 6, 7. [p] Exod. xx. 4, 5, 6. Deut. v. 8, 9, 10. [q] Exod. xx. 7. Deut. v. 11.

tuum, nec advena, qui est intra portas tuas: Nam sex diebus fecit Deus cœlum, terram, mare, et quæcunque in iis sunt, et requievit die septimo, ideoque benedixit Deus diei sabbati, et sanctificavit eum[r].

Quintum.

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est[s].

Sextum.

Non occides[t].

Septimum.

Non committes adulterium[u].

Octavum.

Non furaberis[x].

Nonum.

Non dices contra proximum tuum falsum testimonium[y].

Decimum.

Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum quæ sunt proximi tui[z].

93. *Quomodo dividuntur hæc præcepta?*

In duas tabulas[a], quarum prior quatuor præceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus: posterior sex præceptis, quæ officia proximo debeamus[b].

94. *Quid postulat Deus in primo præcepto?*

Ut, quam mihi chara est salus animæ meæ, tam studiose vitem et fugiam omnem idololatriam[c], magiam, incantationem, superstitionem[d], invocationem sanctorum, cæterarumve creaturarum[e]: unicum autem et verum Deum recte agnoscam[f], ipsi soli

[r] Exod. xx. 8—11. Deut. v. 12—15. [s] Exod. xx. 12. Deut. v. 16. [t] Exod. xx. 13. Deut. v. 17. [u] Exod. xx. 14. Deut. v. 18. [x] Exod. xx. 15. Deut. v. 19. [y] Exod. xx. 16. Deut. v. 20. [z] Exod. xx. 17. Deut. v. 21. [a] Exod. xxxiv. 28. Deut. iv. 13. et x. 3, 4. [b] Matt. xxii. 37—40. [c] 1 Cor. vi. 9, 10. et x. 7, 14. [d] Levit. xix. 31. Deut. xviii. 10, 11, 12. [e] Matt. iv. 10. Apoc. xix. 10. et xxii. 8, 9. [f] Joh. xvii. 3.

fidam[g], summa humilitate[h] ac patientia me illi subjiciam[i], ab eo solo omnia bona expectem[k], denique intimo cordis affectu ipsum amem[l], reverear[m], venerer[n], adeo ut omnibus potius creaturis renuntiem, quam vel minimum contra ejus voluntatem committam[o].

95. *Quid est idololatria?*

Est loco unius Dei, aut præter unum illum et verum Deum, qui se in verbo suo patefecit, aliud quippiam fingere aut habere, in quo spem reponas[p].

96. *Quid postulat secundum præceptum?*

Ne Deum ulla imagine aut figura exprimamus[q], neve ulla alia ratione eum colamus, quam qua se in verbo suo coli præcepit[r].

97. *An nullæ ergo prorsus fingendæ sunt imagines aut simulacra?*

Deus nec effingi ulla ratione debet nec potest; creaturas autem, etsi exprimere quidem licet, vetat tamen Deus earum imagines fingi aut haberi, quo vel ipsas, vel Deum per ipsas, colamus aut honoremus[s].

98. *An autem in templis imagines tolerari non possunt, quæ pro libris sint imperitæ multitudini?*

Minime: Neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui Ecclesiam suam non mutis simulacris[t], sed viva prædicatione verbi sui vult erudiri[u].

99. *Quid sancit Deus tertio præcepto?*

[g] Jerem. xvii. 5, 7. [h] 1 Pet. v. 5, 6. [i] Heb. x. 36. Coloss. i. 11. Rom. v. 3, 4, 5. 1 Cor. x. 10. Phil. ii. 14. [k] Psal. civ. 27—30. Isai. xlv. 7. Jacob. i. 17. [l] Deut. vi. 5. Matt. xxii. 37, 38. [m] Deut. vi. 2. Psal. cxi. 10. Prov. i. 7. et ix. 10. Matt. x. 28. [n] Matt. iv. 10. Deut. x. 20. [o] Matt. v. 29, 30. et x. 37, 38, 39. Act. v. 29. [p] Eph. v. 5. 1 Par. xvi. 26. Phil. iii. 19. Gal. iv. 8. Eph. ii. 12. 1 Joh. ii. 23. 2 Joh. 9. Joh. v. 23. [q] Deut. iv. 15—19. Isai. xl. 18—25. Rom. i. 23, 24, 25. Act. xvii. 29. [r] 1 Sam. xv. 23. Deut. xii. 30, 31, 32. [s] Exod. xxiii. 24, 25. et xxxiv. 13, 14, 17. Num. xxxiii. 51, 52. Deut. vii. 5. et xii. 3. et xvi. 22. 2 Reg. xviii. 3, 4. [t] Jerem. x. 8, 9. Habac. ii. 18, 19, 20. [u] 2 Pet. i. 19. 2 Tim. iii. 16, 17.

Ut non solum exsecrando, aut pejerando[x], verum etiam temere jurando[y], nomen Dei contumeliose aut irreverenter ne usurpemus; neve tacendo aut connivendo horrendis istis sceleribus communicemus: sed sacrosancto Dei nomine non nisi summa cum religione et veneratione utamur[z], ut vera et constanti confessione[a], invocatione[b], omnibus denique verbis et actionibus nostris ipse celebretur[c].

100. *Est-ne igitur adeo grave peccatum jurando, aut dira imprecando, nomen Dei temerare, ut Deus etiam iis succenseat, qui, quantum in se est, illud non prohibent aut impediunt?*

Certe gravissimum[d]: Neque enim ullum est peccatum majus, aut quod Deum gravius offendat, quam sacri ipsius nominis contumelia. Quocirca etiam id scelus morte multari voluit[e].

101. *Potest-ne quis etiam pie per nomen Dei jurare?*

Potest, cum vel magistratus id exigit, vel alioqui necessitas hoc pacto fidem firmari, et veritatem stabiliri postulat; quo et gloria Dei illustretur, et aliorum saluti consulatur: nam ejus generis jusjurandum verbo Dei sancitur[f], ideoque etiam a sanctis in Veteri et Novo Fœdere recte est usurpatum[g].

102. *Est-ne licitum jurare per sanctos, aut alias creaturas?*

Non: Nam legitimum juramentum est invocatio Dei, qua petitur, ut is ipse, tamquam unicus cordium inspector, testimonium det veritati, et jurantem puniat, si sciens fallat[h]: porro hic honos nulli creaturæ convenit[i].

[x] Levit. xxiv. 10—17. et xix. 12. [y] Matt. v. 37. Jac. v. 12. [z] Isai. xlv. 23. [a] Matt. x. 32, 33. [b] 1 Tim. ii. 8. [c] Rom. ii. 24. 1 Tim. vi. 1. Coloss. iii. 16, 17. [d] Levit. v. 1. [e] Levit. xxiv. 15, 16. [f] Deut. vi. 13. et x. 20. Isai. xlviii. 1. Heb. vi. 16. [g] Gen. xxi. 24. et xxxi. 53. Jos. ix. 15, 19. 1 Sam. xxiv. 21, 22. 2 Sam. iii. 35. 1 Reg. i. 28, 29, 30. Rom. i. 9. 2 Cor. i. 23. [h] 2 Cor. i. 23. [i] Matt. v. 34, 35, 36. Jacob. v. 12.

103. *Quid præcipit Deus in quarto præcepto?*

Primum, ut ministerium Evangelii et scholæ conserventur[k]: utque ego cum aliis, tum præcipue festis diebus, studiose cœtus divinos frequentem[l], verbum Dei diligenter audiam[m], utar sacramentis[n], precibus publicis meas quoque preces adjungam[o], pro facultatibus aliquid conferam in pauperes[p].

Deinde, ut in omni vita a pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum Sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud sabbatum in hac vita exordiar[q].

104. *Quid nobis injungit Deus in quinto præcepto?*

Ut parentibus, atque adeo omnibus qui nobis præsunt debitum honorem, amorem, et fidem præstemus, nosque ipsorum fidelibus præceptis et castigationibus ea, qua par est, obedientia submittamus[r]: tum etiam ut eorum vitia et mores nostra patientia toleremus[s], illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere ac regere[t].

105. *Quid flagitat Deus in sexto præcepto?*

Ut proximum neque cogitatione, neque verbis, neque gestibus, nedum factis, vel per me, vel per alium contumelia afficiam, aut oderim, aut lædam, aut occidam[u]; sed omnem vindictæ cupiditatem abjiciam[x]: adhæc ne me ipsum lædam, aut sciens in aliquod periculum conjiciam[y]; quocirca etiam,

[k] Tit. i. 5. 1 Tim. iii. 14, 15. 1 Cor. ix. 11—14. 2 Tim. ii. 2. et iii. 14, 15. 1 Tim. iv. 13—16. et v. 17. [l] Psal. xl. 10, 11. et lxviii. 17. Act. ii. 42. 46. [m] 1 Cor. xiv. 19, 29, 31. [n] 1 Cor. xi. 33, 34. [o] 1 Tim. ii. 1, 2, 3, 8, 9, 10. 1 Cor. xiv. 16. [p] 1 Cor. xvi. 2. [q] Isai. lxvi. 23. [r] Ephes. vi. 1, 2, 3, 5. Coloss. ii. 18, 20, 22, 23, 24. Ephes. v. 22. Prov. i. 8. et iv. 1. et xv. 20. et xx. 20. Exod. xxi. 17. Rom. xiii. 1. [s] Prov. xxiii. 22. Gen. ix. 24, 25, 26. 1 Pet. ii. 18. [t] Ephes. vi. 4. 9. Coloss. iii. 19. Rom. xiii. 2, 7. Matt. xxii. 21. [u] Matt. v. 21, 22. et xxvi. 52. Gen. ix. 6. [x] Eph. iv. 26, 27. Rom. xii. 19. Matt. v. 25. et xviii. 35. [y] Rom. xiii. 14. Coloss. ii. 23. Eccles. iii. 26. Matt. iv. 7.

ne cædes fierent, magistratum Deus gladio armavit[z].

106. *Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur?*

At cædem prohibendo docet Deus, se radicem et originem cædis, iram scilicet, invidiam[a], odium[b], et vindictæ cupiditatem odisse, atque ea omnia pro cæde ducere[c].

107. *An vero id satis est, nos neminem eo, quo dictum est, modo occidere?*

Non est satis: dum enim Deus iram, invidiam, odium damnat, postulat ut proximum æque ac nos ipsos diligamus[d], et ut humanitate[e], lenitate, mansuetudine, patientia, et misericordia[f] erga eum utamur, quodque ei damno esse possit, quantum in nobis est, avertamus[g]: ad summam, ita animo affecti simus, ut ne inimicis quidem benefacere dubitemus[h].

108. *Quæ est sententia septimi præcepti?*

Deum omnem turpitudinem exsecrari[i], ideoque nos eam penitus odisse ac detestari debere[k]; contraque temperanter, modeste et caste[l], sive in sacro conjugio, sive in vita cœlibe vivere oportere[m].

109. *Nihil-ne amplius prohibet Deus hoc præcepto, quam adulterium et id genus turpitudines?*

Cum corpus et animus noster templa sint Spiritus Sancti, vult Deus, ut utrumque pure sancteque possideamus; ideoque facta, gestus, sermones[n], cogitationes, cupiditates, fœdas[o], et quicquid hominem ad ista allicit, id universum prohibet[p].

[z] Gen. ix. 6. Exod. xxi. 14. Matt. xxvi. 52. Rom. xiii. 4. [a] Jacob. i. 20. Gal. v. 19, 20, 21. Rom. i. 28—32. [b] 1 Joh. ii. 9, 10, 11. [c] 1 Joh. iii. 15. [d] Matt. xxii. 39. et vii. 12. [e] Rom. xii. 10. [f] Eph. iv. 1, 2, 3. Gal. vi. 1, 2. Matt. v. 5. Luc. vi. 36. [g] Exod. xxiii. 5. [h] Matt. v. 44, 45. Rom. xii. 20, 21. Prov. xxv. 21, 22. [i] Levit. xviii. 27, 28, 29. [k] Judæ 22, 23. [l] 1 Thess. iv. 3, 4, 5. [m] Heb. xiii. 4. 1 Cor. vii. 4. [n] Eph. v. 3, 4. 1 Cor. vi. 18, 19, 20. [o] Matt. v. 27, 28. [p] Eph. v. 18. 1 Cor. xv. 33.

110. *Quid vetat Deus in octavo præcepto?*

Non solum ea furta[q] et rapinas[r], quas magistratus punit, sed furti nomine comprehendit quicquid est malarum artium et aucupiorum, quibus aliena captamus, et ad nos vi, aut specie recti transferre studemus[s]; qualia sunt iniquum pondus[t], injusta ulna, inæqualis mensura[u], fucosa merx, fallax moneta, usura[x], aut alia quævis ratio vel modus rem faciendi a Deo interdictus. His adde omnem avaritiam[y], multiplicemque divinorum donorum profusionem et abusum.

111. *Quæ sunt ea, quæ Deus hic jubet?*

Ut commoda et utilitates proximi, quantum possim, adjuvem et augeam; cum eo sic agam, ut mecum agi cuperem[z]; sedulo et fideliter opus faciam, ut aliorum quoque egestati subvenire queam[a].

112. *Quid exigit nonum præceptum?*

Ne adversus quempiam dicam falsum testimonium[b], nullius verba calumnier[c], nulli obtrectem[d], aut convitium faciam, neminem temere vel indicta causa condemnem[e]: verum omnis generis mendacia, fraudes, ut opera Diaboli propria[f], nisi in me gravissimam iram Dei concitare velim, omni cura fugiam[g]: in judiciis cæterisque negotiis veritatem secter, et id quod res est libere constanterque profitear[h]: adhæc famam aliorum et existimationem, quantum queam, defendam et augeam[i].

113. *Quid prohibet decimum præceptum?*

Ne vel minima cupiditate aut cogitatione adversus ullum Dei præceptum corda nostra unquam solicitentur: sed ut perpetuo et ex animo omne peccatum detestemur, contraque omni justitia delectemur[k].

[q] 1 Cor. vi. 10. [r] 1 Cor. v. 10. [s] Luc. iii. 14. 1 Thess. iv. 6. [t] Prov. xi. 1. et xvi. 11. Ezech. xlv. 9, 10. Deut. xxv. 13, 14, 15. [u] Psal. xv. 5. Luc. vi. 35. [x] 1 Cor. vi. 10. [y] Prov. v. 16. [z] Matt. vii. 12. [a] Eph. iv. 28. [b] Prov. xix. 5, 9. et xxi. 28. [c] Psal. xv. 3. [d] Rom. i. 28—32. [e] Matt. vii. 1, 2. Luc. vi. 37. [f] Joh. viii. 44. [g] Prov. xii. 22. et xiii. 5. [h] 1 Cor. xiii. 6. Eph. iv. 25. [i] 1 Pet. iv. 8. [k] Rom. vii. 7, 8.

114. *Possunt-ne etiam illi, qui ad Deum conversi sunt, hæc præcepta perfecte servare?*

Minime: Verum etiam sanctissimi quique, quamdiu in hac vita sunt, habent tantum exigua initia hujus obedientiæ[l]: sic tamen, ut serio ac non simulato studio, non secundum aliqua tantum, sed secundum omnia Dei præcepta vivere incipiant[m].

115. *Cur igitur vult Deus legem suam adeo exacte et severe prædicari, cum nemo sit in hac vita, qui eam servare possit?*

Primum, ut in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio[n], tantoque avidius remissionem peccatorum, et justitiam in Christo expetamus[o]: deinde, ut hoc perpetuo agamus, illud semper meditemur, et gratiam Spiritus Sancti a Patre imploremus, quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur[p].

DE PRECATIONE.

116. *Quare Christianis necessaria est precatio?*

Quia præcipua pars est ejus, quam Deus a nobis postulat, gratitudinis[q]: tum quia illis tantum suam gratiam et Spiritum Sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus hæc ab eo petunt, et pro iis ipsi gratias agunt[r].

117. *Quæ ad eam precationem requiruntur quæ Deo placeat, quæque ab ipso exaudiatur?*

Ut a solo vero Deo, qui se in verbo suo patefecit[s], omnia quæ a se peti jussit[t] vero cordis af-

[l] 1 Joh. i. 8, 9, 10. Rom. vii. 14, 15. Eccles. vii. 20. [m] Rom. vii. 22, 23. Jacob. ii. 10, 11. [n] 1 Joh. i. 9. Psal. xxxii. 5. [o] Rom. vii. 24, 25. [p] 1 Cor. ix. 24, 25. Phil. iii. 12, 13, 14. [q] Psal. l. 14. [r] Matt. vii. 7, 8. Luc. xi. 9, 10. Matt. xiii. 12. Psal. l. 15. [s] Joh. iv. 22, 23, 24. [t] Rom. viii. 26, 27. 1 Joh. v. 15.

fectu petamus[u], ex intimo nostræ indigentiæ ac miseriæ sensu[x] nos in conspectu divinæ majestatis supplices abjiciamus[y], huic firmo fundamento innitamur[z], nos a Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certo exaudiri[a], quemadmodum nobis in verbo suo promisit[b].

118. *Quæ sunt ea, quæ a se peti jubet?*

Omnia tum animæ tum corpori necessaria[c], quæ Dominus noster Jesus Christus ea precatione, quam nos ipse docuit, complexus est.

119. *Quæ est illa precatio?*

" Pater noster[d], qui es in cœlis: Sanctificetur no-
" men tuum: veniat regnum tuum: fiat voluntas
" tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra:
" panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et
" remitte nobis debita nostra, sicut et nos remitti-
" mus debitoribus nostris: et ne inducas nos in ten-
" tationem, sed libera nos a malo. Quia tuum est
" regnum, et potentia, et gloria in secula." Amen.

120. *Cur præcipit Christus, ut ita Deum compellemus: Pater noster?*

Ut statim in ipso precationis exordio, convenientem Dei filiis reverentiam et fiduciam erga Deum in nobis excitet, quæ nostræ precationis fundamentum esse debet; nimirum, Deum per Christum nobis Patrem factum esse, et quæ vera fide ab eo petimus, nobis multo minus negare, quam parentes nostri nobis bona terrena denegant[e].

121. *Cur additur: Qui es in cœlis?*

Ne de cœlesti majestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus[f]: simul etiam, ut ab ejus omnipotentia, quæcunque animo et corpori sunt necessaria, exspectemus[g].

[u] Joh. iv. 23, 24. Psal. cxlv. 18, 19, 20. [x] 2 Paralip. xx. 21. [y] Psal. ii. 11. et xxxiv. 18. Isai. lxvi. 2. [z] Rom. x. 14. et viii. 15, 16. Jac. i. 6, 7, 8. [a] Joh. xiv. 13—16. et xv. 16. et xvi. 23. Dan. ix. 17, 18. [b] Matt. vii. 8. Psal. cxliii. 1. [c] Jac. i. 17. Matt. vi. 33. [d] Matt. vi. 9—13. Luc. xi. 2, 3, 4. [e] Matt. vii. 9, 10, 11. Luc. xi. 11, 12, 13. [f] Jerem. xxiii. 23. 24. Act. xvii. 24, 25, 27. [g] Rom. x. 12.

122. *Quæ est prima petitio?*

Sanctificetur nomen tuum: hoc est, Da principio, ut te recte agnoscamus[h], et lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, et veritatem tuam veneremur, prædicemus et celebremus[i]: deinde, ut universam vitam nostram, cogitationes, sermones, et actiones, eo semper dirigamus, ne sanctissimum nomen tuum propter nos contumelia afficiatur, sed honore potius et laudibus illustretur[k].

123. *Quæ est secunda petitio?*

Veniat regnum tuum: hoc est, Regas nos ita verbo et Spiritu tuo, ut nos tibi magis magisque subjiciamus[l]: conserva et auge Ecclesiam tuam[m]: destrue opera Diaboli omnemque potentiam se adversus majestatem tuam efferentem: irrita fac omnia consilia, quæ contra verbum tuum capiuntur[n]: quoad plene tandem ac perfecte regnes[o], cum eris omnia in omnibus[p].

124. *Quæ est tertia petitio?*

Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra: hoc est, Da ut nos et omnes homines, voluntati propriæ renuntiantes[q], tuæ voluntati, quæ sola est sancta, prompte et sine ullo murmure pareamus[r], atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter et alacriter exequamur[s], quemadmodum faciunt angeli in cœlo[t].

125. *Quæ est quarta petitio?*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: hoc est, Suppedita nobis omnia quæ ad hanc vitam sunt

[h] Joh. xvii. 3. Jer. ix. 23, 24. et xxxi. 33, 34. Matt. xvi. 17. Jacob. i. 5. Psal. cxix. 105. [i] Psal. cxix. 137, 138. Luc. i. 46—55. et 68—75. Psal. cxliii. 1, 2, 5, 10, 11, 12. et cxlv. 8, 9, 17. Exod. xxxiv. 6, 7. Jer. xxxi. 3. et xxxii. 18, 19, 40, 41. et xxxiii. 11, 20, 21. Matt. xix. 17. Rom. iii. 3, 4. et xi. 22, 23. 2 Tim. ii. 19. [k] Psal. lxxi. 8. et cxv. 1. [l] Matt. vi. 33. Psal. cxix. 5. et cxliii. 10. [m] Psal. li. 18. et cxxii. 6, 7. [n] 1 Joh. iii. 8. Rom. xvi. 20. [o] Apoc. xxii. 17, 20. Rom. viii. 22, 23. [p] 1 Cor. xv. 28. [q] Matt. xvi. 24. Tit. ii. 11, 12. [r] Luc. xxii. 42. [s] 1 Cor. vii. 24. [t] Psal. ciii. 20, 21, 22.

necessaria[u], ut per ea agnoscamus te unicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant[x], ac nisi tu benedicas, omnem nostram curam et industriam atque adeo tua ipsius dona nobis infelicia et noxia esse[y]: quapropter da, ut fiduciam nostram, ab omnibus creaturis aversam, in te solo collocemus[z].

126. *Quæ est quinta petitio?*

Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris: hoc est, Nobis miserrimis peccatoribus, omnia peccata nostra atque eam etiam pravitatem, quæ in nobis etiamnum hæret, propter Christi sanguinem ne imputes[a]: quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium in cordibus nostris sentimus, quod firmiter nobis propositum habemus, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere[b].

127. *Quæ est sexta petitio?*

Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo: hoc est, Quoniam ipsi natura adeo debiles et infirmi sumus, ut ne momento quidem subsistere possimus[c]; infensissimi autem hostes nostri, Satan[d], mundus[e], ac nostra ipsorum caro[f], nos continenter oppugnant: tu nos sustentes, et Spiritus tui robore firmes, ne in hoc spirituali certamine succumbamus[g], sed fortiter illis tantisper resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus[h].

128. *Quomodo concludis precationem tuam?*

Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria, in secula: hoc est, Omnia hæc a te petimus, quia cum et Rex noster, et omnipotens sis, omnia nobis et vis et potes largiri[i]: atque hæc quidem ideo petimus,

[u] Psal. civ. 27, 28. et cxlv. 15. 16. Matt. vi. 25, 26. [x] Act. xvii. 27, 28. et xiv. 17. [y] 1 Cor. xv. 58. Deut. viii. 3. Psal. xxxvii. 16, 17. [z] Psal. lv. 22. et lxii. 10. [a] Psal. li. 1, 2, 3. et cxliii. 2. 1 Joh. ii. 1, 2. [b] Matt. vi. 14, 15. [c] Joh. xv. 5. Psal. ciii. 14, 15, 16. [d] 1 Pet. v. 8. Eph. vi. 12. [e] Joh. xv. 19. [f] Rom. vii. 23. Gal. v. 17. [g] Matt. xxvi. 41. Marc. xiii. 33. [h] 1 Thess. iii. 13. et v. 23, 24. [i] Rom. x. 11, 12. 2 Pet. ii. 9.

ut ex iis non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum omnis gloria redeat[k].

129. *Quid sibi vult particula Amen?*

Amen significat *Fiat*, seu, vere adimpleatur: nam precatio mea multo certius a Deo est exaudita, quam ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere[l].

[k] Joh. xiv. 13. Psal. cxv. 1. Jerem. xxxiii. 8, 9. [l] 2 Cor. i. 20. 2 Tim. ii. 13.

JUDICIUM

SYNODI NATIONALIS

REFORMATARUM ECCLESIARUM

BELGICARUM,

HABITÆ DORDRECHTI ANNO MDCXVIII. ET MDCXIX.

Cui plurimi insignes Theologi Reformatarum Ecclesiarum Magnæ Britanniæ, Germaniæ, Galliæ, interfuerunt,

DE QUINQUE DOCTRINÆ CAPITIBUS

IN ECCLESIIS BELGICIS CONTROVERSIS:

Promulgatum VI. *Maii* MDCXIX.

PRÆFATIO.

In nomine Domini et Servatoris nostri Jesu Christi, Amen.

INTER plurima, quæ Dominus et Servator noster Jesus Christus militanti suæ Ecclesiæ in hac ærumnosa peregrinatione dedit solatia, merito celebratur illud, quod ei ad Patrem suum in cœleste sanctuarium abiturus reliquit: *Ego*, inquiens, *sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hujus suavissimæ promissionis veritas elucet in omnium temporum Ecclesia, quæ quum non solum aperta inimicorum violentia, et hæreticorum impietate, sed etiam operta seductorum astutia inde ab initio fuerit oppugnata, sane, si unquam salutari promissæ suæ præsentiæ præsidio eam destituisset Dominus, pridem aut vi tyrannorum fuisset oppressa, aut fraude impostorum in exitium seducta. Sed bonus ille Pastor, qui gregem suum, pro quo animam suam posuit, constantissime diligit, persecutorum rabiem tempestive semper, et exserta sæpe dextera, miraculose repressit, et seductorum vias tortuosas, ac consilia fraudulenta detexit atque dissipavit, utroque se in Ecclesia sua præsentissimum esse demonstrans. Hujus rei illustre documentum exstat in historiis piorum imperatorum, regum, et principum, quos Filius Dei in subsidium Ecclesiæ suæ toties excitavit, sancto domus suæ zelo accendit, eorumque opera, non tantum tyrannorum furores compescuit, sed etiam Ecclesiæ cum falsis doctoribus religionem varie adulterantibus conflictanti, sanctarum synodorum remedia procuravit, in quibus fideles Christi servi conjunctis precibus, consiliis, et laboribus pro Ecclesia et veritate Dei fortiter

steterunt, Satanæ ministris, licet in angelos lucis se transformantibus, intrepide se opposuerunt, errorum et discordiæ semina sustulerunt, Ecclesiam in religionis puræ concordia conservarunt, et sincerum Dei cultum ad posteritatem illibatum transmiserunt.

Simili beneficio fidelis noster Servator Ecclesiæ Belgicæ, annos aliquam multos afflictissimæ, gratiosam suam præsentiam hoc tempore testatus est. Hanc enim Ecclesiam a Romani antichristi tyrannide et horribili papatus idololatria potenti Dei manu vindicatam, in belli diuturni periculis toties miraculose custoditam, et in veræ doctrinæ atque disciplinæ concordia ad Dei sui laudem, admirabile reipub. incrementum, totiusque reformati orbis gaudium efflorescentem, Jacobus Arminius ejusque sectatores, nomen Remonstrantium præ se ferentes, variis, tam veteribus, quam novis erroribus, primum tecte, deinde aperte tentarunt, et scandalosis dissensionibus ac schismatibus pertinaciter turbatam, in tantum discrimen adduxerunt, ut florentissimæ Ecclesiæ, nisi Servatoris nostri miseratio opportune intervenisset, horribili dissidiorum et schismatum incendio tandem conflagrassent. Benedictus autem sit in sæcula Dominus, qui postquam ad momentum faciem suam a nobis (qui multis modis iram et indignationem ejus provocaveramus) abscondisset, universo orbi testatum fecit, se fœderis sui non oblivisci, et suspiria suorum non spernere. Cum enim vix ulla remedii spes humanitus appareret, illustrissimis et præpotentibus Belgii fœderati ordinibus generalibus hanc mentem inspiravit, ut consilio et directione illustrissimi et fortissimi principis Arausicani legitimis mediis, quæ ipsorum apostolorum, et quæ eos secutæ Ecclesiæ Christianæ exemplis longo temporum decursu sunt comprobata, et magno cum fructu in Ecclesia etiam Belgica antehac usurpata, sævientibus hisce malis obviam ire decreverint, synodumque ex omnibus, quibus præsunt,

provinciis, authoritate sua, Dordrechtum convocarint, expetitis ad eam et favore serenissimi ac potentissimi Magnæ Britanniæ regis JACOBI, et illustrissimorum principum, comitum, et rerumpublicarum, impetratis plurimis gravissimis theologis, ut communi tot Reformatæ Ecclesiæ theologorum judicio, ista ARMINII ejusque sectatorum dogmata accurate, et ex solo Dei verbo, dijudicarentur, vera doctrina stabiliretur, et falsa rejiceretur, Ecclesiisque Belgicis concordia, pax et tranquillitas, divina benedictione, restitueretur. Hoc est illud Dei beneficium, in quo exultant Ecclesiæ Belgicæ, et fidelis Servatoris sui miserationes humiliter agnoscunt, ac grate prædicant.

Hæc igitur veneranda Synodus (prævia per summi magistratus authoritatem in omnibus Belgicis Ecclesiis, ad iræ Dei deprecationem et gratiosi auxilii implorationem, precum et jejunii indictione et celebratione) in nomine Domini Dordrechti congregata, divini Numinis et salutis Ecclesiæ accensa amore, et post invocatum Dei nomen, sancto juramento obstricta, se solam Scripturam sacram pro judicii norma habituram, et in caussæ hujus cognitione et judicio, bona integraque conscientia versaturam esse, hoc egit sedulo magnaque patientia, ut præcipuos horum dogmatum patronos, coram se citatos, induceret ad sententiam suam de Quinque notis doctrinæ Capitibus, sententiæque rationes, plenius exponendas. Sed cum Synodi judicium repudiarent, atque ad interrogatoria, eo, quo æquum erat, modo respondere detrectarent, neque Synodi monitiones, nec generosorum atque amplissimorum ordinum generalium Delegatorum mandata, imo ne ipsorum quidem illustrissimorum et præpotentum DD. ordinum generalium imperia, quicquam apud illos proficerent, aliam viam eorundem Dominorum jussu, et ex consuetudine jam olim in synodis antiquis recepta, ingredi coacta fuit; atque ex scriptis, confessionibus, ac declarationibus, partim antea edi-

tis, partim etiam huic Synodo exhibitis, examen illorum quinque dogmatum institutum est. Quod cum jam per singularem Dei gratiam, maxima diligentia, fide, ac conscientia, omnium et singulorum consensu absolutum sit, Synodus hæc ad Dei gloriam, et ut veritatis salutaris integritati, conscientiarum tranquillitati, et paci ac saluti Ecclesiæ Belgicæ consulatur, sequens judicium, quo et vera verboque Dei consentanea de prædictis Quinque Doctrinæ Capitibus sententia exponitur, et falsa verboque Dei dissentanea rejicitur, statuit promulgandum.

SENTENTIA,

DE

DIVINA PRÆDESTINATIONE,

ET ANNEXIS EI CAPITIBUS,

Quam Synodus Dordrechtana Verbo Dei consentaneam, atque in Ecclesiis Reformatis hactenus receptam esse, judicat, quibusdam Articulis exposita.

PRIMUM DOCTRINÆ CAPUT,

DE

DIVINA PRÆDESTINATIONE.

Articulus primus.

CUM omnes homines in Adamo peccaverint, et rei sint facti maledictionis et mortis æternæ, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato et maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset, juxta illa Apostoli, *Totus mundus est obnoxius condemnationi Dei.* Rom. iii. 19. *Omnes peccaverunt et destituuntur gloria Dei.* vers. 23. Et, *Stipendium peccati mors est.* Rom. vi. 23.

II.

Verum in hoc manifestata est charitas Dei, quod Filium suum unigenitum in mundum misit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1 Johan. iv. 9. Johan. iii. 16.

III.

Ut autem homines ad fidem adducantur, Deus clementer lætissimi hujus nuntii præcones mittit, ad quos vult, et quando vult, quorum ministerio homines ad resipiscentiam et fidem in Christum crucifixum vocantur. *Quomodo enim credent in eum, de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante? quomodo prædicabunt, nisi fuerint missi?* Rom. x. 14, 15.

IV.

Qui huic Evangelio non credunt, super eos manet ira Dei. Qui vero illud recipiunt, et Servatorem Jesum vera ac viva fide amplectuntur, illi per

ipsum ab ira Dei et interitu liberantur, ac vita æterna donantur.

V.

Incredulitatis istius, ut et omnium aliorum peccatorum, caussa seu culpa neutiquam est in Deo, sed in homine. Fides autem in Jesum Christum et salus per ipsum, est gratuitum Dei donum, sicut scriptum est: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est.* Ephes. ii. 8. Item: *Gratis datum est vobis in Christum credere.* Phil. i. 29.

VI.

Quod autem aliqui in tempore fide a Deo donantur, aliqui non donantur, id ab æterno ipsius decreto provenit; *Omnia enim opera sua novit ab æterno:* Actor. xv. 18. Ephes. i. 11. secundum quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiose emollit, et ad credendum inflectit, non electos autem justo judicio suæ malitiæ et duritiæ relinquit. Atque hic potissimum sese nobis aperit profunda, misericors pariter et justa hominum æqualiter perditorum discretio; sive decretum illud *electionis* et *reprobationis* in verbo Dei revelatum. Quod ut perversi, impuri, et parum stabiles in suum detorquent exitium, ita sanctis et religiosis animabus ineffabile præstat solatium.

VII.

Est autem electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta ex universo genere humano, ex primæva integritate in peccatum et exitium sua culpa prolapso, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis jacentium, ad salutem elegit in Christo, quem etiam ab æterno Mediatorem et omnium electorum caput, salutisque fundamentum constituit; atque ita eos ipsi salvandos dare, et ad ejus communionem per verbum et Spiritum suum efficaciter vocare ac

trahere; seu vera et ipsum fide donare, justificare, sanctificare, et potenter in Filii sui communione custoditos tandem glorificare decrevit, ad demonstrationem suæ misericordiæ, et laudem divitiarum gloriosæ suæ gratiæ, sicut scriptum est: *Elegit nos Deus in Christo, ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti et inculpati in conspectu ejus, cum charitate; qui prædestinavit nos quos adoptaret in filios, per Jesum Christum, in sese, pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto.* Ephes. i. 4, 5, 6. Et alibi: *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, eos etiam justificavit; quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. viii. 30.

VIII.

Hæc electio non est multiplex, sed una et eadem omnium salvandorum in Vetere et Novo Testamento, quandoquidem Scriptura unicum prædicat beneplacitum, propositum, et consilium voluntatis Dei, quo nos ab æterno elegit et ad gratiam et ad gloriam; et ad salutem et ad viam salutis, quam præparavit ut in ea ambulemus.

IX.

Eadem hæc electio facta est non ex prævisa fide, fideique obedientia, sanctitate, aut alia aliqua bona qualitate et dispositione, tanquam caussa seu conditione in homine eligendo prærequisita, sed ad fidem, fideique obedientiam, sanctitatem, &c. Ac proinde electio est fons omnis salutaris boni: unde fides, sanctitas, et reliqua dona salvifica, ipsa denique vita æterna, ut fructus et effectus ejus profluunt, secundum illud Apostoli: *Elegit nos* (non quia eramus, sed) *ut essemus sancti et inculpati in conspectu ejus in charitate.* Ephes. i. 4.

X.

Caussa vero hujus gratuitæ electionis, est solum Dei beneplacitum, non in eo consistens, quod certas qualitates seu actiones humanas, ex omnibus possi-

bilibus, in salutis conditionem elegit; sed in eo, quod certas quasdam personas ex communi peccatorum multitudine sibi in peculium adscivit, sicut scriptum est: *Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent neque mali,* &c. *dictum est,* (nempe Rebeccæ,) *Major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau odio habui.* Rom. ix. 11, 12, 13. Et, *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Actor. xiii. 48.

XI.

Atque ut Deus ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius, et omnipotens: ita electio ab ipso facta nec interrumpi, nec mutari, revocari, aut abrumpi, nec electi abjici, nec numerus eorum minui potest.

XII.

De hac æterna et immutabili sui ad salutem electione, electi suo tempore, variis licet gradibus et dispari mensura, certiores redduntur, non quidem arcana et profunditates Dei curiose scrutando; sed fructus electionis infallibiles, in verbo Dei designatos, ut sunt vera in Christum fides, filialis Dei timor, dolor de peccatis secundum Deum, esuries et sitis justitiæ, &c. in sese cum spirituali gaudio et sancta voluptate observando.

XIII.

Ex hujus electionis sensu et certitudine, filii Dei majorem indies sese coram Deo humiliandi, abyssum misericordiarum ejus adorandi, seipsos purificandi, et eum, qui ipsos prior tantopere dilexit, vicissim ardenter diligendi, materiam desumunt: tantum abest, ut hac electionis doctrina atque ejus meditatione in mandatorum divinorum observatione segniores, aut carnaliter securi, reddantur. Quod iis justo Dei judicio solet accidere, qui de electionis gratia, vel temere præsumentes, vel otiose et proterve fabulantes, in viis electorum ambulare nolunt.

XIV.

Ut autem hæc de divina electione doctrina sa-

pientissimo Dei consilio per prophetas, Christum ipsum, atque Apostolos, sub Veteri æque atque sub Novo Testamento, est prædicata, et sacrarum deinde literarum monumentis commendata: ita et hodie in Ecclesia Dei, cui ea peculiariter est destinata, cum spiritu discretionis, religiose et sancte, suo loco et tempore, missa omni curiosa viarum altissimi scrutatione, est proponenda, idque ad sanctissimi nominis divini gloriam, et vividum populi ipsius solatium.

XV.

Cæterum æternam et gratuitam hanc electionis nostri gratiam eo vel maxime illustrat, nobisque commendat Scriptura Sacra, quod porro testatur non omnes homines esse electos, sed quosdam non electos, sive in æterna Dei electione præteritos, quos scilicet Deus ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili, et immutabili beneplacito decrevit in communi miseria, in quam se sua culpa præcipitarunt, relinquere, nec salvifica fide et conversionis gratia donare, sed in viis suis, et sub justo judicio relictos, tandem non tantum propter infidelitatem, sed etiam cætera omnia peccata, ad declarationem justitiæ suæ damnare, et æternum punire. Atque hoc est decretum *reprobationis*, quod Deum neutiquam peccati authorem (quod cogitatu blasphemum est) sed tremendum, irreprehensibilem, et justum judicem ac vindicem constituit.

XVI.

Qui vivam in Christum fidem, seu certam cordis fiduciam, pacem conscientiæ, studium filialis obedientiæ, gloriationem in Deo per Christum in se nondum efficaciter sentiunt, mediis tamen, per quæ Deus ista se in nobis operaturum promisit, utuntur, ii ad reprobationis mentionem non consternari, nec se reprobis accensere, sed in usu mediorum diligenter pergere, ac horam uberioris gratiæ ardenter desiderare et reverenter humiliterque expectare debent. Multo autem minus doctrina de reprobatione ter-

reri debent ii, qui cum serio ad Deum converti, ei unice placere, et e corpore mortis eripi desiderant, in via tamen pietatis et fidei eo usque, quo volunt, pervenire nondum possunt, siquidem linum fumigans se non extincturum, et arundinem quassatam se non fracturum, promisit misericors Deus. Iis autem hæc doctrina merito terrori est, qui Dei et Servatoris Jesu Christi obliti, mundi curis et carnis voluptatibus se totos manciparunt, quamdiu ad Deum serio non convertuntur.

XVII.

Quandoquidem de voluntate Dei ex verbo ipsius nobis est judicandum, quod testatur liberos fidelium esse sanctos, non quidem natura, sed beneficio fœderis gratuiti, in quo illi cum parentibus comprehenduntur, pii parentes de electione et salute suorum liberorum, quos Deus in infantia ex hac vita evocat, dubitare non debent.

XVIII.

Adversus hanc gratuitæ electionis gratiam, et justæ reprobationis severitatem, obmurmuranti opponimus hoc apostolicum: *O homo! tu quis es qui ex adverso responsas Deo?* Rom. ix. 20. Et illud Servatoris nostri, *An non licet mihi quod volo facere in meis?* Matth. xx. 15. Nos vero hæc mysteria religiose adorantes, cum Apostolo exclamamus: *O profunditatem divitiarum tum sapientiæ tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt Dei judicia, et ejus viæ impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis fuit ei a consiliis? Aut quis prior dedit ei ut reddatur ei? Nam ex eo, et per eum, et in eum sunt omnia. Ipsi sit gloria in sæcula. Amen.* Rom. xi. 33—36.

REJECTIO ERRORUM

QUIBUS

ECCLESIÆ BELGICÆ SUNT ALIQUAMDIU

PERTURBATÆ

Exposita doctrina Orthodoxa de Electione et Reprobatione, Synodus rejicit Errores eorum,

I.

QUI docent, "Voluntatem Dei de servandis credi-
" turis, et in fide fideique obedientia perseveraturis,
" esse totum et integrum electionis ad salutem de-
" cretum; nec quicquam aliud de hoc decreto in
" verbo Dei esse revelatum." Hi enim simplicioribus imponunt, et Scripturæ sacræ manifeste contradicunt, testanti Deum non tantum servare velle credituros, sed etiam certos quosdam homines ab æterno elegisse, quos præ aliis in tempore fide in Christum et perseverantia donaret; sicut scriptum est, *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Joan. xvii. 6. Item, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Actor. xiii. 48. Et, *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti, &c.* Ephes. i. 4.

II.

Qui docent, "Electionem Dei ad vitam æternam
" esse multiplicem; aliam generalem et indefinitam,
" aliam singularem et definitam; et hanc rursum
" vel incompletam, revocabilem, non peremptoriam,
" sive conditionatam: vel completam, irrevocabilem,
" peremptoriam, seu absolutam." Item, "Aliam
" electionem esse ad fidem, aliam ad salutem; ita
" ut electio ad fidem justificantem absque electione

" peremptoria ad salutem esse possit." Hoc enim est humani cerebri commentum extra scripturas excogitatum, doctrinam de electione corrumpens, et auream hanc salutis catenam dissolvens: *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, eos etiam justificavit; quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. viii. 30.

III.

Qui docent, " Dei beneplacitum ac propositum, " cujus scriptura meminit in doctrina electionis, " non consistere in eo, quod Deus certos quosdam " homines præ aliis elegerit, sed in eo, quod Deus " ex omnibus possibilibus conditionibus (inter quas " etiam sunt opera legis) sive ex omnium rerum or- " dine actum fidei, in sese ignobilem, et obedien- " tiam fidei imperfectam, in salutis conditionem " elegerit; eamque gratiose pro perfecta obedientia " reputare, et vitæ æternæ præmio dignam censere " voluerit." Hoc enim errore pernicioso beneplacitum Dei et meritum Christi enervatur, et homines inutilibus quæstionibus a veritate justificationis gratuitæ, et simplicitate Scripturarum avocantur; illudque Apostoli falsi arguitur; *Deus nos vocavit vocatione sancta; non ex operibus, sed ex suo proposito et gratia, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæculorum.* 2 Tim. i. 9.

IV.

Qui docent, " In electione ad fidem hanc condi- " tionem prærequiri, ut homo lumine naturæ recte " utatur, sit probus, parvus, humilis, et ad vitam " æternam dispositus, quasi ab ipsis electio aliqua- " tenus pendeat." Pelagium enim sapiunt, et minime obscure falsi insimulant Apostolum scribentem: *Versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni et cogitationibus libebant, eramusque natura filii iræ, ut et reliqui. Sed Deus, qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam nos cum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, cujus*

gratia estis servati, unaque suscitavit, unaque collocavit in cœlis in Christo Jesu; et ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes suæ gratiæ, pro sua erga nos benignitate in Christo Jesu. Gratia enim estis servati per fidem, (et hoc non ex vobis, Dei donum est,) non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ephes. ii. 3—9.

V.

Qui docent, "Electionem singularium personarum "ad salutem, incompletam et non peremptoriam, "factam esse ex prævisa fide, resipiscentia, sancti-"tate et pietate inchoata, aut aliquamdiu conti-"nuata: completam vero et peremptoriam ex præ-"visæ fidei, resipiscentiæ, sanctitatis, et pietatis "finali perseverantia: et hanc esse gratiosam et "evangelicam dignitatem, propter quam qui eligi-"tur dignior sit illo qui non eligitur: ac proinde "fidem, fidei obedientiam, sanctitatem, pietatem, "et perseverantiam non esse fructus sive effectus "electionis immutabilis ad gloriam, sed conditio-"nes, et caussas sine quibus non, in eligendis com-"plete prærequisitas, et prævisas, tanquam præsti-"tas." Id quod toti Scripturæ repugnat, quæ hæc et alia dicta passim auribus et cordibus nostris ingerit: *Electio non est ex operibus, sed ex vocante.* Rom. ix. 11. *Credebant quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Actor. xiii. 48. *Elegit nos in semetipso ut sancti essemus.* Ephes. i. 4. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Johan. xv. 16. *Si ex gratia, non ex operibus.* Rom. xi. 6. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, et misit Filium suum.* 1 Johan. iv. 10.

VI.

Qui docent, "Non omnem electionem ad salu-"tem immutabilem esse, sed quosdam electos, nullo "Dei decreto obstante, perire posse et æternum "perire." Quo crasso errore et DEUM mutabilem faciunt, et consolationem piorum de electionis suæ

constantia subvertunt, et Scripturis sacris contradicunt docentibus, *Electos non posse seduci:* Matth. xxiv. 24. CHRISTUM *datos sibi a Patre non perdere:* Johan. vi. 39. DEUM *quos prædestinavit, vocavit et justificavit, eos etiam glorificare.* Rom. viii. 30.

VII.

Qui docent, "Electionis immutabilis ad gloriam "nullum in hac vita esse fructum, nullum sensum, "nullam certitudinem, nisi ex conditione mutabili "et contingente." Præterquam enim quod absurdum sit ponere certitudinem incertam, adversantur hæc experientiæ sanctorum, qui cum Apostolo ex sensu electionis sui exultant, Deique hoc beneficium celebrant, qui *gaudent* cum discipulis, secundum Christi admonitionem, *quod nomina sua scripta sunt in cœlis,* Luc. x. 20. qui sensum denique electionis ignitis tentationum diabolicarum telis opponunt, quærentes, *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* Rom. viii. 33.

VIII.

Qui docent, "Deum neminem ex mera justa sua "voluntate decrevisse in lapsu Adæ et in communi "peccati et damnationis statu relinquere, aut in gra-"tiæ ad fidem et conversionem necessariæ commu-"nicatione præterire." Stat enim illud, *Quorum vult, miseretur; quos vult, indurat.* Rom. ix. 18. Et illud, *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* Matth. xiii. 11. Item, *Glorifico te, Pater, Domine cœli et terræ, quod hæc occultaveris sapientibus et intelligentibus, et ea detexeris infantibus: etiam, Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. xi. 25, 26.

IX.

Qui docent, "Caussam cur Deus ad hanc potius, "quam ad aliam gentem Evangelium mittat, non "esse merum et solum Dei beneplacitum, sed quod "hæc gens melior et dignior sit ea, cui Evange-"lium non communicatur." Reclamat enim Moses, populum Israeliticum sic alloquens, *En Jehovæ Dei*

tui sunt cœli, et cœli cœlorum, terra, et quicquid est in ea: Tantum in majores tuos propensus fuit amore Jehova diligendo eos; unde selegit semen eorum post eos, vos inquam, præ omnibus populis, sicut est hodie. Deut. x. 14, 15. Et Christus: *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes illæ quæ in vobis factæ sunt, in sacco et cinere olim pœnitentiam egissent.* Matth. xi. 21.

Ita nos sentire et judicare, manuum nostrarum subscriptione testamur.

JOHANNES Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leoverdiensis et Synodi Præses.

Jacobus Rolandus, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis et Præsidis Assessor.

Hermannus Faukelius, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis et Præsidis Assessor.

Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis et Synodi Scriba.

Festus Hommius, Pastor Ecclesiæ Leydensis et Synodi Scriba.

EX MAGNA BRITANNIA.

Georgius Episcopus Landavensis.

Johannes Davenantius, Presbyter; Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi et Collegii Reginalis ibidem Præses.

Samuel Wardus, Presbyter, SS. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Fauntonnensis, et Collegii Sidneyani in Academiâ Cantabrigiensi Præfectus.

Thomas Goadus, Presbyter, SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor.

Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

EX ELECTORALI PALATINATU.

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor et Professor in Academia Heydelbergensi.

Paulus Tossanus, S. Theologiæ Doctor, et Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus.

Henricus Altingius, S. Theologiæ Doctor et Professor in Academia Heydelbergensi.

EX HASSIA.

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, et pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis.

Paulus Steinius, Concionator Aulicus et S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor, Cassellis.

Daniel Angelocrator, Ecclesiæ Marpurgensis Pastor, et vicinarum ad Lanum et Æderam Superintendens.

Rodolphus Goclenius Senior, Philosophiæ purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, et nunc Decanus.

EX HELVETIA.

Joannes Jacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor.

Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor et Ecclesiæ Bernensis Minister.

Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor, et Novi Testamenti Professor in Academia Basiliensi, ibidemque Facultatis Theologicæ Decanus.

Wolfgangus Mayerus, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basiliensis Pastor.

Johannes Conradus Kochius, Ecclesiæ Schaphusianæ Minister.

A CORRESPONDENTIA WEDDERAVICA.

Johannes Henricus Alstedius, in Illustri Schola Nassovica, quæ est Herbornæ, Professor ordinarius.

Georgius Fabricius, Ecclesiæ Windeccensis in Comitatu Hanovico Pastor, et vicinarum Inspector.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI.

Johannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, et in eadem Schola SS. Theologiæ Professor.

Theodorus Tronchinus, Divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, et ibidem SS. Theologiæ Professor.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA BREMENSI.

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, et in ea Divinarum literarum Professor.

Henricus Isselburg, SS. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis Jesu Christi servus et in Schola Novi Testamenti Professor.

Ludovicus Crocius, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, et in Illustri Schola Veteris Testamenti et Philosophiæ practicæ Professor.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA EMDANA.

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior.

Ritzius Lucas Grimershemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor.

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORES BELGICI.

Johannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor, atque in Academia Leydensi Professor.

Sibrandus Lubertus, SS. Theologiæ Doctor, et Professor in Academia Frisiorum.

Franciscus Gomarus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, et Professor in Academia Groningæ et Omlandiæ.

Antonius Tysius, Sacræ Theologiæ in Illustri Schola Geldro-Velavica, quæ est Hardervici, Professor.

Antonius Walæus, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, et ex ejusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.

EX DUCATU GELDRIÆ, ET COMITATU ZUTPHANIÆ.

Guilielmus Stephani, SS. Theologiæ Doctor, et Arnhemiensis Ecclesiæ Pastor.
Ellardus a Mehen, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor.
Johannes Bouillet, Pastor Ecclesiæ Warnsfeldensis.
Jacobus Verheyden Senior, Ecclesiæ Noviomagensis et Scholæ Rector.

EX HOLLANDIA AUSTRALI.

Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiæ Dei in urbe Dordrechto.
Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis.
Gisbertus Voetius, Ecclesiæ Heusdanæ Pastor.
Arnoldus Musius ab Holy, Baillivus Suyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ.
Johannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI.

Jacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis.
Abrahamus a Doreslaer, Pastor Ecclesiæ Enchusanæ.
Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodammensis.
Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.
Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA.

Godefridus Udemannus, Pastor Ecclesiæ Ziericzeanæ.
Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor.
Lambertus de Rycke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor.
Josias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis.
Adrianus Hofferus, urbis Zirizææ Senator, et Ecclesiæ ibidem Senior.

EX PROVINCIA ULTRAJECTINA.

Johannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Ultrajectinæ Deputatus.

Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA.

Florentius Johannes, Jesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Snecana.

Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis.

Kempo Harinxma a Donia, Senior Ecclesiæ Leoverdiensis.

Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirt Hichtum, et Hartwardt.

EX TRANSISALANIA.

Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiæ Daventriensis.

Hermannus Wiferdingius, Ecclesiæ Swollanæ in Evangelio Christi Minister.

Hieronymus Vogellius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi.

Johannes Langius, Ecclesiastes Vollenhovianus.

Wilhelmus a Broeckhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus.

Johannes a Lauwick, tanquam Senior deputatus.

EX CIVITATE GRONINGANA, ET OMLANDIIS.

Cornelius Hillenius, Servus Jesu Christi in Ecclesia Groningana.

Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis.

Wolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ.

Wigboldus Homerus, Ecclesiæ Midwoldanæ Pastor.

Egbertus Halbes, Ecclesiæ Groninganæ Senior.

Johannes Rufelaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

EX DRENTIA.

Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiæ Meppelensis.
Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiæ Rhuinensis.

EX ECCLESIIS GALLO-BELGICIS.

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, et Regens Collegii Gallo-Belgici in Academia Leydensi.
Johannes Crucius, Pastor Ecclesiæ Haerlemensis.
Johannes Doucher, Pastor Ecclesiæ Flissinganæ.
Jeremias de Pours, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis Pastor.
Everardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis.
Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

SECUNDUM DOCTRINÆ CAPUT,

DE

MORTE CHRISTI,

ET

HOMINUM PER EAM REDEMPTIONE.

Articulus Primus.

DEUS non tantum est summe misericors, sed etiam summe justus. Postulat autem ejus justitia (prout se in verbo revelavit) ut peccata nostra, adversus infinitam ejus majestatem commissa, non tantum temporalibus, sed etiam æternis, tum animi, tum corporis, pœnis puniantur: quas pœnas effugere non possumus, nisi justitiæ Dei satisfiat.

II.

Cum vero ipsi satisfacere, et ab ira Dei nos liberare non possimus, Deus ex immensa misericordia Filium suum unigenitum nobis Sponsorem dedit, qui, ut pro nobis satisfaceret, peccatum et maledictio in cruce pro nobis, seu vice nostra, factus est.

III.

Hæc mors Filii Dei est unica et perfectissima pro peccatis victima et satisfactio, infiniti valoris et pretii, abunde sufficiens ad totius mundi peccata expianda.

IV.

Ideo autem hæc mors tanti est valoris et pretii, quia persona, quæ eam subiit, non tantum est verus et perfecte sanctus homo, sed etiam unigenitus DEI Filius, ejusdem æternæ et infinitæ cum Patre et

Spiritu S. essentiæ, qualem nostrum Servatorem esse oportebat. Deinde, quia mors ipsius fuit conjuncta cum sensu iræ Dei et maledictionis, quam nos peccatis nostris eramus commeriti.

V.

Cæterum promissio Evangelii est, ut quisquis credit in Christum crucifixum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quæ promissio omnibus populis et hominibus, ad quos Deus pro suo beneplacito mittit Evangelium, promiscue et indiscriminatim annunciari et proponi debet cum resipiscentiæ et fidei mandato.

VI.

Quod autem multi per Evangelium vocati non resipiscunt, nec in Christum credunt, sed infidelitate pereunt, non fit hoc hostiæ Christi in cruce oblatæ defectu, vel insufficientia, sed propria ipsorum culpa.

VII.

Quotquot autem vere credunt, et per mortem Christi a peccatis, et interitu liberantur ac servantur, illis hoc beneficium, ex sola Dei gratia, quam nemini debet, ab æterno ipsis in Christo data, obtingit.

VIII.

Fuit enim hoc Dei Patris liberrimum consilium, et gratiosissima voluntas atque intentio, ut mortis pretiosissimæ Filii sui vivifica et salvifica efficacia sese exereret in omnibus electis, ad eos solos fide justificante donandos, et per eam ad salutem infallibiliter perducendos: hoc est, voluit Deus, ut Christus per sanguinem crucis (quo novum fœdus confirmavit) ex omni populo, tribu, gente, et lingua, eos omnes et solos, qui ab æterno ad salutem electi, et a Patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret, fide (quam, ut et alia Spiritus Sancti salvifica dona, ipsis morte sua acquisivit) donaret, ab omnibus peccatis, tum originali, tum actualibus, tam post, quam ante fidem commissis sanguine suo mundaret, ad finem

usque fideliter custodiret, tandemque absque omni labe et macula gloriosos coram se sisteret.

IX.

Hoc consilium, ex æterno erga electos amore profectum ab initio mundi in præsens usque tempus, frustra obnitentibus inferorum portis, potenter impletum fuit, et deinceps quoque implebitur: ita quidem ut electi suis temporibus in unum colligantur, et semper sit aliqua credentium Ecclesia in sanguine Christi fundata, quæ illum Servatorem suum, qui pro ea, tanquam Sponsus pro sponsa, animam suam in cruce exposuit, constanter diligat, perseveranter colat, atque hic et in omnem æternitatem celebret.

REJECTIO ERRORUM.

Exposita doctrina orthodoxa rejicit Synodus errores eorum,

I.

QUI docent, " Quod Deus Pater Filium suum in " mortem crucis destinaverit, sine certo ac definito " consilio quemquam nominatim salvandi, adeo ut " impetrationi mortis Christi sua necessitas, utilitas, " dignitas sarta tecta, et numeris suis perfecta, com- " pleta atque integra constare potuisset, etiamsi im- " petrata redemptio nulli individuo unquam actu " ipso fuisset applicata." Hæc enim assertio in Dei Patris sapientiam meritumque Jesu Christi contumeliosa, et Scripturæ contraria est. Sic enim ait Servator: *Ego animam pono pro ovibus, et agnosco eas.* Johan. x. 15, 27. Et de Servatore Esaias propheta: *Cum posuerit se sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, et voluntas Jehovæ in manu ejus prosperabitur.* Esai. liii. 10. Denique, articulum Fidei, quo Ecclesiam credimus, evertit.

II.

Qui docent, " Non fuisse hunc finem mortis " Christi, ut novum gratiæ fœdus suo sanguine re- " ipsa sanciret, sed tantum, ut nudum jus Patri ac- " quireret, quodcunque fœdus, vel gratiæ, vel ope- " rum, cum hominibus denuo ineundi." Hoc enim repugnat Scripturæ, quæ docet, Christum *melioris*, id est, novi *fœderis Sponsorem et Mediatorem factum esse.* Hebr. vii. 22. Et, *Testamentum in mortuis demum ratum esse.* Heb. ix. 15, 17.

III.

Qui docent, " Christum per suam satisfactionem, " nullis certo meruisse ipsam salutem et fidem, qua " hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter ap- " plicetur, sed tantum Patri acquisivisse potestatem

" vel plenariam voluntatem, de novo cum homini-
" bus agendi, et novas, quascunque vellet conditio-
" nes, præscribendi, quarum præstatio a libero ho-
" minis arbitrio pendeat, atque ideo fieri potuisse,
" ut vel nemo, vel omnes eas implerent." Hi enim de morte Christi nimis abjecte sentiunt, primarium fructum seu beneficium per eam partum nullatenus agnoscunt, et Pelagianum errorem ab inferis revocant.

IV.

Qui docent, " Fœdus illud novum gratiæ, quod
" Deus Pater, per mortis Christi interventum cum
" hominibus pepigit, non in eo consistere, quod per
" fidem, quatenus meritum Christi apprehendit, co-
" ram Deo justificemur et salvemur; sed in hoc,
" quod Deus, abrogata perfectæ obedientiæ legalis
" exactione, fidem ipsam et fidei obedientiam im-
" perfectam pro perfecta legis obedientia reputet, et
" vitæ æternæ præmio gratiose dignam censeat." Hi enim contradicunt Scripturæ, *Justificantur gratis, ejus gratia, per redemptionem factam in Jesu Christo, quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ejus.* Rom. iii. 24, 25. Et cum impio Socino, novam et peregrinam hominis coram Deo justificationem, contra totius Ecclesiæ consensum, inducunt.

V.

Qui docent, " Omnes homines in statum reconci-
" liationis et gratiam fœderis esse assumptos, ita ut
" nemo propter peccatum originale sit damnationi
" obnoxius, aut damnandus, sed omnes ab istius
" peccati reatu sint immunes." Hæc enim sententia repugnat Scripturæ, affirmanti *nos natura esse filios iræ.*

VI.

Qui impetrationis et applicationis distinctionem usurpant, ut incautis et imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre,

quæ per mortem Christi acquiruntur; quod autem quidam præ aliis participes fiant remissionis peccatorum, et vitæ æternæ, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio, se ad gratiam indifferenter oblatam applicante, non autem ex singulari misericordiæ dono, efficaciter in illis operante, ut præ aliis gratiam illam sibi applicent. Nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.

VII.

Qui docent, "CHRISTUM, pro iis, quos DEUS sum-
" me dilexit, et ad vitam æternam elegit, mori nec
" potuisse, nec debuisse, nec mortuum esse, cum
" talibus morte CHRISTI non sit opus." Contradicunt enim Apostolo dicenti: *Christus dilexit me, et tradidit seipsum pro me.* Galat. ii. vers. 20. Item, *Quis est, qui crimina intentet adversus electos* DEI? DEUS *est is, qui justificat. Quis est qui condemnet?* CHRISTUS *est, qui mortuus est,* Romanorum viii. 33, 34. nimirum, pro illis. Et Salvatori asseveranti, *Ego pono animam meam pro ovibus meis,* Johan. x. vers. 15. Et, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis alii alios, sicut ego dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis.* Johan. xv. vers. 12, 13.

Huic capiti eadem quæ prius subscribuntur nomina.

TERTIUM ET QUARTUM DOCTRINÆ CAPUT,

DE

HOMINIS CORRUPTIONE,

ET

CONVERSIONE AD DEUM EJUSQUE MODO.

Articulus Primus.

HOMO ab initio ad imaginem DEI conditus vera et salutari sui Creatoris et rerum spiritualium notitia in mente, et justitia in voluntate et corde, puritate in omnibus affectibus exornatus, adeoque totus sanctus fuit; sed Diaboli instinctu, et libera sua voluntate a Deo desciscens, eximiis istis donis seipsum orbavit: atque e contrario eorum loco cœcitatem, horribiles tenebras, vanitatem, ac perversitatem judicii in mente, malitiam, rebellionem, ac duritiem in voluntate et corde, impuritatem denique in omnibus affectibus contraxit.

II.

Qualis autem post lapsum fuit homo, tales et liberos procreavit, nempe corruptus corruptos; corruptione ab Adamo in omnes posteros [solo Christo excepto] non per imitationem [quod Pelagiani olim voluerunt] sed per vitiosæ naturæ propagationem, justo Dei judicio derivata.

III.

Itaque omnes homines in peccato concipiuntur, et filii iræ nascuntur, inepti ad omne bonum salutare, propensi ad malum, in peccatis mortui, et peccati servi; et absque Spiritus Sancti regenerantis gratia, ad Deum redire, naturam depravatam corri-

gere, vel ad ejus correctionem se disponere nec volunt, nec possunt.

IV.

Residuum quidem est post lapsum in homine lumen aliquod naturæ, cujus beneficio ille notitias quasdam de Deo, de rebus naturalibus, de discrimine honestorum et turpium retinet, et aliquod virtutis ac disciplinæ externæ studium ostendit: sed tantum abest ut hoc naturæ lumine ad salutarem Dei cognitionem pervenire, et ad eum se convertere possit, ut ne quidem eo in naturalibus ac civilibus recte utatur, quinimo qualecumque id demum sit, id totum variis modis contaminet, atque in injustitia detineat, quod dum facit, coram Deo inexcusabilis redditur.

V.

Quæ luminis naturæ, eadem hæc Decalogi per Mosen a Deo Judæis peculiariter traditi est ratio: cum enim is magnitudinem quidem peccati retegat, ejusque hominem magis ac magis reum peragat, sed nec remedium exhibeat, nec vires emergendi ex miseria conferat, adeoque per carnem infirmatus transgressorem maledictione relinquat, non potest homo per eum salutarem gratiam obtinere.

VI.

Quod igitur nec lumen naturæ, nec lex potest, id Spiritus Sancti virtute præstat Deus, per sermonem, sive ministerium reconciliationis, quod est Evangelium de Messia, per quod placuit Deo homines credentes tam in Veteri, quam in Novo Testamento servare.

VII.

Hoc voluntatis suæ mysterium Deus in Veteri Testamento paucioribus patefecit, in Novo Testamento pluribus, sublato jam populorum discrimine, manifestat. Cujus dispensationis caussa, non in gentis unius præ alia dignitate, aut meliore luminis naturæ usu, sed in liberrimo beneplacito, et gratuita dilectione Dei est collocanda. Unde illi, quibus

præter et contra omne meritum tanta fit gratia, eam humili et grato corde agnoscere, in reliquis autem, quibus ea gratia non fit, severitatem, et justitiam judiciorum Dei cum Apostolo adorare, nequaquam vero curiose scrutari debent.

VIII.

Quotquot autem per Evangelium vocantur, serio vocantur. Serio enim et verissime ostendit Deus verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum, ut vocati ad se veniant. Serio etiam omnibus ad se venientibus et credentibus requiem animarum, et vitam æternam promittit.

IX.

Quod multi per ministerium Evangelii vocati, non veniunt et non convertuntur, hujus culpa non est in Evangelio, nec in Christo per Evangelium oblato, nec in Deo per Evangelium vocante, et dona etiam varia iis conferente, sed in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum vitæ non admittunt securi; alii admittunt quidem sed non in cor immittunt, ideoque post evanidum fidei temporariæ gaudium resiliunt; alii spinis curarum et voluptatibus sæculi semen verbi suffocant, fructusque nullos proferunt; quod Servator noster seminis parabola docet, Matth. xiii.

X.

Quod autem alii, per ministerium Evangelii vocati, veniunt et convertuntur, id non est adscribendum homini, tanquam seipsum per liberum arbitrium ab aliis pari vel sufficiente gratia ad fidem et conversionem instructis discernenti, [quod superba Pelagii hæresis statuit,] sed Deo, qui ut suos ab æterno in Christo elegit, ita eosdem in tempore efficaciter vocat, fide et resipiscentia donat, et e potestate tenebrarum erutos in Filii sui regnum transfert, ut virtutes ejus, qui ipsos e tenebris in admirandam hanc lucem vocavit, prædicent, et non in se, sed in Domino, glorientur. Scriptura apostolica passim id testante.

XI.

Cæterum, quando Deus hoc suum beneplacitum in electis exequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantum Evangelium illis externe prædicari curat, et mentem eorum per Spiritum Sanctum potenter illuminat, ut recte intelligant et dijudicent quæ sunt Spiritus Dei, sed ejusdem etiam Spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati novas qualitates infundit, facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, ex nolente volentem, ex refractaria morigeram, agitque et roborat eam, ut, ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit.

XII.

Atque hæc est illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, nova creatio, suscitatio e mortuis, et vivificatio, quam Deus sine nobis, in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem suasionem, vel talem operandi rationem, ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in hominis potestate maneat regenerari vel non regenerari, converti vel non converti; sed est plane supernaturalis, potentissima simul et suavissima, mirabilis, arcana, et ineffabilis operatio, virtute sua, secundum Scripturam (quæ ab Authore hujus operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resuscitatione minor, aut inferior, adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certo, infallibiliter, et efficaciter regenerentur, et actu credant. Atque tum voluntas jam renovata, non tantum agitur et movetur a Deo, sed a Deo acta, agit et ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam istam acceptam credere et resipiscere recte dicitur.

XIII.

Modum hujus operationis fideles in hac vita plene comprehendere non possunt; in eo interim acquiescentes, quod per istam Dei gratiam, se corde cre-

dere, et Servatorem suum diligere, sciant ac sentiant.

XIV.

Sic ergo fides Dei donum est, non eo quod a Deo hominis arbitrio offeratur, sed quod homini reipsa conferatur, inspiretur, et infundatur. Non etiam quod Deus potentiam credendi tantum conferat, consensum vero seu actum credendi ab hominis deinde arbitrio expectet, sed, quod et velle credere, et ipsum credere in homine is efficiat, qui operatur et velle et facere, adeoque omnia operatur in omnibus.

XV.

Hanc gratiam Deus nemini debet. Quid enim debeat ei, qui prior dare nihil potest, ut ei retribuatur? Imo quid debeat ei, qui de suo nihil habet, præter peccatum et mendacium? Qui ergo gratiam illam accipit, soli Deo æternas debet et agit gratias; qui illam non accipit, is aut hæc spiritualia omnino non curat, et in suo sibi placet: aut securus se habere inaniter gloriatur, quod non habet. Porro de iis, qui externe fidem profitentur, et vitam emendant, optime secundum exemplum apostolorum judicandum et loquendum est, penetralia enim cordium nobis sunt incomperta. Pro aliis autem qui nondum sunt vocati, orandus est Deus, qui quæ non sunt vocat tanquam sint. Neutiquam vero adversus eos est superbiendum, ac si nosmetipsos discrevissemus.

XVI.

Sicuti vero per lapsum homo non desiit esse homo, intellectu et voluntate præditus, nec peccatum, quod universum genus humanum pervasit, naturam generis humani sustulit, sed depravavit, et spiritualiter occidit; ita etiam hæc divina regenerationis gratia, non agit in hominibus tanquam truncis et stipitibus, nec voluntatem ejusque proprietates tollit, aut invitam violenter cogit, sed spiritualiter vivificat, sanat, corrigit, suaviter simul ac potenter flectit: ut ubi antea plene dominabatur carnis rebellio

et resistentia, nunc regnare incipiat prompta, ac sincera Spiritus obedientia; in quo vera et spiritualis nostræ voluntatis instauratio et libertas consistit. Qua ratione nisi admirabilis ille omnis boni opifex nobiscum ageret, nulla spes esset homini surgendi e lapsu per liberum arbitrium, per quod se, cum staret, præcipitavit in exitium.

XVII.

Quemadmodum etiam omnipotens illa Dei operatio, qua vitam hanc nostram naturalem producit et sustentat, non excludit sed requirit usum mediorum, per quæ Deus pro infinita sua sapientia et bonitate virtutem istam suam exercere voluit: ita et hæc prædicta supernaturalis Dei operatio, qua nos regenerat, neutiquam excludit, aut evertit usum Evangelii, quod sapientissimus Deus in semen regenerationis, et cibum animæ ordinavit. Quare, ut Apostoli, et qui eos secuti sunt doctores, de gratia hac Dei ad ejus gloriam et omnis superbiæ depressionem, pie populum docuerunt, neque tamen interim sanctis Evangelii monitis, sub verbi, sacramentorum, et disciplinæ exercitio eum continere neglexerunt: sic etiamnum, absit, ut docentes aut discentes in Ecclesia Deum tentare præsumant, ea separando, quæ Deus pro suo beneplacito voluit esse conjunctissima. Per monita enim confertur gratia, et quo nos officium nostrum facimus promptius, hoc ipso Dei in nobis operantis beneficium solet esse illustrius, rectissimeque ejus opus procedit. Cui soli omnis, et mediorum, et salutaris eorum fructus atque efficaciæ debetur gloria in sæcula. Amen.

REJECTIO ERRORUM.

Exposita doctrina orthodoxa Synodus rejicit errores eorum,

I.

QUI docent, " Proprie dici non posse, quod peccatum originis per se sufficiat toti generi humano " condemnando, aut temporales et æternas pœnas " promerendo." Contradicunt enim Apostolo, dicenti, Rom. v. vers. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccaverunt.* Et vers. 16. *Reatus ex uno introiit ad condemnationem.* Item, Rom. vi. vers. 23. *Peccati stipendium mors est.*

II.

Qui docent, " Dona spiritualia, sive habitus bonos, et virtutes, ut sunt bonitas, sanctitas, justitia, " in voluntate hominis, cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu " ab ea separari." Pugnat enim hoc cum descriptione imaginis Dei, quam Apostolus ponit Ephes. iv. vers. 24. ubi illam describit ex justitia et sanctitate, quæ omnino in voluntate locum habent.

III.

Qui docent, " Dona spiritualia non esse in morte " spirituali ab hominis voluntate separata, cum ea " in sese nunquam corrupta fuerit, sed tantum per " tenebras mentis, et affectuum inordinationem impedita ; quibus impedimentis sublatis, liberam suam facultatem sibi insitam exerere, id est, quodvis bonum sibi propositum ex se, aut velle, sive " eligere, aut non velle, sive non eligere possit." Novum hoc et erroneum est, atque eo facit ut extollantur vires liberi arbitrii, contra Jeremiæ prophetæ dictum cap. xvii. vers. 9. *Fraudulentum est cor ipsum supra omnia et perversum :* Et Apostoli,

Ephes. ii. 3. *Inter quos* (homines contumaces) *et nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes voluntates carnis ac cogitationum.*

IV.

Qui docent, "Hominem irregenitum non esse "proprie nec totaliter in peccatis mortuum, aut omnibus ad bonum spirituale viribus destitutum, sed "posse justitiam vel vitam esurire ac sitire, sacrificiumque Spiritus contriti, et contribulati, quod "Deo acceptum est, offerre:" Adversantur enim hæc apertis scripturæ testimoniis, Ephes. ii. 1, 5. *Eratis mortui in offensis et peccatis.* Et, Genes. vi. 5. et viii. 21. *Imaginatio cogitationum cordis hominis tantummodo mala est omni die.* Adhæc liberationem ex miseria et vitam esurire ac sitire, Deoque sacrificium Spiritus contriti offerre, regenitorum est, et eorum qui beati dicuntur. Psalm. li. 19. et Matth. v. 6.

V.

Qui docent, "Hominem corruptum et animalem "gratia communi, quæ ipsis est lumen naturæ, sive "donis post lapsum relictis, tam recte uti posse, "ut bono isto usu majorem gratiam, puta evangelicam, sive salutarem, et salutem ipsam gradatim "obtinere possit. Et hac ratione Deum se ex parte "sua paratum ostendere, ad Christum omnibus revelandum, quandoquidem media ad Christi revelationem, fidem, et resipiscentiam necessaria, omnibus sufficienter et efficaciter administret:" Falsum enim hoc esse præter omnium temporum experientiam Scriptura testatur. Psal. cxlvii. 19, 20. *Indicat verba sua Jacobo, statuta sua et jura sua Israeli, non fecit ita ulli genti, et jura ista non noverunt.* Actor. xiv. 16. *Deus sivit præteritis ætatibus omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* Actor. xvi. vers. 6, 7. *Prohibiti sunt* (Paulus cum suis) *a Spiritu Sancto loqui sermonem* Dei *in Asia.* Et, *Quum venissent in Mysiam, tentabant ire versus Bithyniam, sed non permisit eis Spiritus.*

VI.

Qui docent, "In vera hominis conversione, non "posse novas qualitates, habitus, seu dona in vo- "luntatem ejus a Deo infundi, atque adeo fidem, "qua primum convertimur, et a qua fideles nomina- "mur, non esse qualitatem seu donum a Deo infu- "sum; sed tantum actum hominis, neque aliter "donum dici posse, quam respectu potestatis ad "ipsam perveniendi." Contradicunt enim hæc sacris literis, quæ testantur DEUM novas qualitates fidei, obedientiæ, ac sensus amoris sui cordibus nostris infundere. Jeremiæ xxxi. 33. *Indam legem meam menti eorum, ac cordi eorum inscribam eam.* Esaiæ xliv. 3. *Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum.* Rom. v. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* repugnant etiam continuæ praxi Ecclesiæ, sic apud prophetam orantis, *Converte me, Domine, et convertar.* Jerem. xxxi. vers. 18.

VII.

Qui docent, "Gratiam, qua convertimur ad Deum, "nihil aliud esse quam lenem suasionem; seu" (ut alii explicant) "nobilissimum agendi modum in "conversione hominis, et naturæ humanæ conve- "nientissimum esse, qui fiat suasionibus; nihilque "obstare quo minus vel sola moralis gratia homi- "nes animales reddat spirituales; imo Deum non "aliter quam morali ratione consensum voluntatis "producere: atque in eo consistere operationis di- "vinæ efficaciam, qua Satanæ operationem superet, "quod Deus æterna bona, Satan autem temporaria "promittat." Omnino enim hoc Pelagianum est, et universæ Scripturæ contrarium, quæ præter hunc etiam alium, et longe efficaciorem ac diviniorem Spiritus Sancti agendi modum, in hominis conversione agnoscit. Ezech. xxxvi. 26. *Dabo vobis cor meum, et spiritum novum dabo in medio vestri, et auferam cor lapideum, daboque cor carneum,* &c.

VIII.

Qui docent, "Deum in hominis regeneratione eas "suæ omnipotentiæ vires non adhibere, quibus vo- "luntatem ejus ad fidem et conversionem potenter "et infallibiliter flectat; sed positis omnibus gratiæ "operationibus, quibus Deus ad hominem conver- "tendum utitur, hominem tamen Deo, et Spiritui "regenerationem ejus intendenti, et regenerare ip- "sum volenti, ita posse resistere, et actu ipso sæpe "resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat, "atque adeo in ipsius manere potestate, ut regene- "retur vel non regeneretur." Hoc enim nihil aliud est, quam tollere omnem efficaciam gratiæ Dei in nostri conversione, et actionem Dei omnipotentis subjicere voluntati hominis, idque contra Apostolos qui docent, *Nos credere pro efficacitate fortis roboris Dei.* Ephes. i. 19. Et, *Deum bonitatis suæ gratuitam benevolentiam et opus fidei potenter in nobis complere.* 2 Thess. i. 11. Item, *Divinam ipsius vim omnia nobis donasse, quæ ad vitam et pietatem pertinent.* 2 Pet. i. 3.

IX.

Qui docent, "Gratiam et liberum arbitrium esse "causas partiales simul concurrentes ad conversio- "nis initium; nec gratiam ordine causalitatis effi- "cientiam voluntatis antecedere;" id est, "Deum "non prius hominis voluntatem efficaciter juvare ad "conversionem, quam voluntas ipsa hominis se mo- "vet ac determinat." Hoc enim dogma Ecclesia prisca in Pelagianis jam olim condemnavit, ex Apostolo Rom. ix. 16. *Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis.* Et, 1 Cor. iv. 7. *Quis te discernit? Et, quid habes quod non acceperis?* Item, Philipp. ii. 13. *Deus est qui in vobis operatur ipsum velle et perficere pro suo beneplacito.*

Huic capiti eadem quæ prius subscribuntur nomina.

QUINTUM DOCTRINÆ CAPUT,

DE

PERSEVERANTIA SANCTORUM.

Articulus Primus.

QUOS Deus secundum propositum suum, ad communionem Filii sui Domini nostri Jesu Christi, vocat, et per Spiritum Sanctum regenerat, eos quidem et a peccati dominio et servitute, non autem a carne, et corpore peccati, penitus in hac vita liberat.

II.

Hinc quotidiana infirmitatis peccata oriuntur, et optimis etiam sanctorum operibus nævi adhærescunt: quæ illis perpetuam sese coram Deo humiliandi, ad Christum crucifixum confugiendi, carnem magis ac magis per Spiritum precum et sancta pietatis exercitia mortificandi, et ad perfectionis metam suspirandi, materiam suggerunt; tantisper dum hoc mortis corpore soluti, cum Agno Dei in cœlis regnent.

III.

Propter istas peccati inhabitantis reliquias, et mundi insuper ac Satanæ tentationes, non possent conversi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur. Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat, et in eadem usque ad finem potenter conservat.

IV.

Etsi autem illa potentia Dei vere fideles in gratia confirmantis et conservantis, major est, quam quæ a carne superari possit; non semper tamen conversi ita a Deo aguntur et moventur, ut non possint in quibusdam actionibus particularibus a ductu gratiæ, suo vitio, recedere, et a carnis concupiscentiis se-

duci, iisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuo est vigilandum et orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cum non faciunt, non solum a carne, mundo, et Satana, in peccata etiam gravia et atrocia abripi possunt, verum etiam interdum justa Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Davidis, Petri, aliorumque sanctorum lapsus in sacra Scriptura descripti demonstrant.

V.

Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum S. contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissime vulnerant, sensum gratiæ nonnunquam ad tempus amittunt: donec per seriam resipiscentiam in vitam revertentibus paternus Dei vultus rursum affulgeat.

VI.

Deus enim, qui dives est misericordia, ex immutabili electionis proposito, Spiritum Sanctum, etiam in tristibus lapsibus, a suis non prorsus aufert, nec eousque eos prolabi sinit, ut gratia adoptionis, justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum Sanctum committant, et ab eo penitus deserti in exitium æternum sese præcipitent.

VII.

Primo enim in istis lapsibus conservat in illis semen illud suum immortale, ex quo regeniti sunt, ne illud pereat aut excutiatur. Deinde per verbum et Spiritum suum, eos certo et efficaciter renovat ad pœnitentiam, ut de admissis peccatis ex animo secundum Deum doleant, remissionem in sanguine Mediatoris, per fidem, contrito corde, expetant, et obtineant, gratiam Dei reconciliati iterum sentiant, miserationes per fidem ejus adorent, ac deinceps salutem suam cum timore et tremore studiosius operentur.

VIII.

Ita non suis meritis, aut viribus; sed ex gratuita Dei misericordia id obtinent, ut nec totaliter fide et gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneant

aut pereant. Quod quoad ipsos non tantum facile fieri posset, sed et indubie fieret; respectu autem Dei fieri omnino non potest: cum nec consilium ipsius mutari, promissio excidere, vocatio secundum propositum revocari, Christi meritum, intercessio, et custodia irrita reddi, nec Spiritus Sancti obsignatio frustranea fieri aut deleri possit.

IX.

De hac electorum ad salutem custodia, vereque fidelium in fide perseverantia, ipsi fideles certi esse possunt, et sunt pro mensura fidei, qua certo credunt se esse et perpetuo mansuros vera et viva Ecclesiæ membra, habere remissionem peccatorum, et vitam æternam.

X.

Ac proinde hæc certitudo non est ex peculiari quadam revelatione præter aut extra verbum facta, sed ex fide promissionum Dei, quas in verbo suo copiosissime in nostrum solatium revelavit: ex testimonio *Spiritus Sancti testantis cum spiritu nostro nos esse Dei filios et hæredes.* Rom. viii. 16. Denique ex serio et sancto bonæ conscientiæ et bonorum operum studio. Atque hoc solido obtinendæ victoriæ solatio, et infallibili æternæ gloriæ arrha, si in hoc mundo electi Dei destituerentur, omnium hominum essent miserrimi.

XI.

Interim testatur Scriptura fideles in hac vita cum variis carnis dubitationibus conflictari, et in gravi tentatione constitutos hanc fidei plerophoriam, ac perseverantiæ certitudinem, non semper sentire. Verum Deus, Pater omnis consolationis, *supra vires tentari eos non sinit, sed cum tentatione præstat evasionem.* 1 Cor. x. 13. Ac per Spiritum Sanctum perseverantiæ certitudinem in iisdem rursum excitat.

XII.

Tantum autem abest, ut hæc perseverantiæ certitudo vere fideles superbos, et carnaliter securos reddat, ut e contrario humilitatis, filialis reverentiæ,

veræ pietatis, patientiæ in omni lucta, precum ardentium, constantiæ in cruce et veritatis confessione, solidique in Deo gaudii vera sit radix: et consideratio istius beneficii sit stimulus ad serium et continuum gratitudinis et bonorum operum exercitium, ut ex Scripturæ testimoniis et sanctorum exemplis constat.

XIII.

Neque etiam in iis, qui a lapsu instaurantur, lasciviam aut pietatis incuriam procreat rediviva perseverantiæ fiducia; sed multo majorem curam de viis Domini solicite custodiendis, quæ præparatæ sunt ut in illis ambulando perseverantiæ suæ certitudinem retineant, ne propter paternæ benignitatis abusum propitii Dei facies (cujus contemplatio piis vita dulcior, subductio morte acerbior) denuo ab ipsis avertatur, et sic in graviores animi cruciatus incidant.

XIV.

Quemadmodum autem Deo placuit, opus hoc suum gratiæ per prædicationem Evangelii in nobis inchoare; ita per ejusdem auditum, lectionem, meditationem, adhortationes, minas, promissa, nec non per usum sacramentorum illud conservat, continuat, et perficit.

XV.

Hanc de vere credentium ac sanctorum perseverantia, ejusque certitudine, doctrinam, quam Deus ad nominis sui gloriam, et piarum animarum solatium, in verbo suo abundantissime revelavit, cordibusque fidelium imprimit, caro quidem non capit, Satanas odit, mundus ridet, imperiti et hypocritæ in abusum rapiunt, spiritusque erronei oppugnant; sed sponsa Christi ut inæstimabilis pretii thesaurum tenerrime semper dilexit, et constanter propugnavit: quod ut porro faciat procurabit Deus, adversus quem nec consilium valere, nec robur ullum prævalere potest. Cui soli Deo, Patri, Filio, et Spiritui Sancto sit honos et gloria in sempiternum. Amen.

REJECTIO ERRORUM

CIRCA DOCTRINAM

DE

PERSEVERANTIA SANCTORUM.

Exposita doctrina orthodoxa Synodus rejicit errores eorum,

I.

QUI docent, "Perseverantiam vere fidelium non "esse effectum electionis, aut donum Dei morte "Christi partum, sed esse conditionem novi fœde-"ris, ab homine ante sui electionem ac justificatio-"nem" (ut ipsi loquuntur) "peremtoriam, libera vo-"luntate præstandam." Nam sacra Scriptura testatur eam ex electione sequi, et vi mortis, resurrectionis et intercessionis Christi electis donari. Rom. xi. 7. *Electio assecuta est, reliqui occalluerunt.* Item, Rom. viii. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit ipsum, quomodo non cum eo nobis omnia donabit? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo qui etiam resurrexit, qui etiam sedet ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis: Quis nos separabit a dilectione Christi?*

II.

Qui docent, "Deum quidem hominem fidelem "sufficientibus ad perseverandum viribus instruere, "ac paratum esse eas in ipso conservare si officium "faciat: positis tamen illis omnibus quæ ad perse-

" verandum in fide necessaria sunt, quæque Deus " ad conservandam fidem adhibere vult, pendere " semper a voluntatis arbitrio, ut perseveret, vel non " perseveret." Hæc enim sententia manifestum Pelagianismum continet; et homines, dum vult facere liberos, facit sacrilegos, contra perpetuum evangelicæ doctrinæ consensum, quæ omnem gloriandi materiam homini adimit, et hujus beneficii laudem soli divinæ gratiæ transcribit; et contra Apostolum testantem: *Deum esse qui confirmabit nos usque in finem inculpatos in die Domini nostri Jesu Christi.* 1 Cor. i. 8.

III.

Qui docent, "Vere credentes et regenitos non " tantum posse a fide justificante, item gratia, et sa- " lute totaliter et finaliter excidere, sed etiam reipsa " non raro ex iis excidere, atque in æternum perire." Nam hæc opinio ipsam justificationis ac regenerationis gratiam, et perpetuam Christi custodiam irritam reddit, contra diserta Apostoli Pauli verba, Rom. v. 8, 9. *Si Christus pro nobis mortuus est, quum adhuc essemus peccatores, multo igitur magis, jam justificati in sanguine ejus, servabimur per ipsum ab ira.* Et contra Apostolum Johannem, 1 Joh. iii. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, non dat operam peccato: quia semen ejus in eo manet, nec potest peccare, quia ex Deo genitus est.* Nec non contra verba Jesu Christi, Johan. x. 28, 29. *Ego vitam æternam do ovibus meis, et non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea; Pater meus, qui mihi eas dedit, major est omnibus, nec ullus potest eas rapere de manu Patris mei.*

IV.

Qui docent, " Vere fideles ac regenitos posse pec- " care peccato ad mortem, vel in Spiritum Sanc- " tum." Quum idem Apostolus Johan. cap. v. postquam vers. 16, 17. peccantium ad mortem meminisset, et pro iis orare vetuisset, statim vers. 18. subjungat: *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non*

peccat, (nempe illo peccati genere,) *sed qui genitus es ex Deo, conservat seipsum, et malignus ille non tangit eum.*

V.

Qui docent, "Nullam certitudinem futuræ perse-" verantiæ haberi posse in hac vita, absque speciali " revelatione." Per hanc enim doctrinam vere fidelium solida consolatio in hac vita tollitur, et pontificiorum dubitatio in Ecclesiam reducitur. Sacra vero Scriptura passim hanc certitudinem, non ex speciali et extraordinaria revelatione, sed ex propriis filiorum Dei signis, et constantissimis Dei promissionibus petit. Imprimis Apostolus Paulus, Rom. viii. 39. *Nulla res creata potest nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.* Et Johannes, Epist. 1. cap. iii. 24. *Qui servat mandata ejus, in eo manet, et ille in eo: et per hoc novimus ipsum in nobis manere, ex Spiritu quem dedit nobis.*

VI.

Qui docent, " Doctrinam de perseverantiæ ac sa-" lutis certitudine, ex natura et indole sua, esse car-" nis pulvinar, et pietati, bonis moribus, precibus " aliisque sanctis exercitiis noxiam; contra vero de " ea dubitare, esse laudabile." Hi enim demonstrant se efficaciam divinæ gratiæ, et inhabitantis Spiritus S. operationem ignorare: et contradicunt Apostolo Johanni contrarium disertis verbis affirmanti, Epist. 1. cap. iii. 2, 3. *Dilecti mei, nunc filii Dei sumus; sed nondum patefactum est id quod erimus: scimus autem fore, ut quum ipse patefactus fuerit, similes ei simus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Et quisquis habet hanc spem in eo, purificat seipsum, sicut et ille purus est.* Hi præterea sanctorum tam Veteris quam Novi Testamenti exemplis redarguuntur, qui licet de sua perseverantia et salute essent certi, in precibus tamen, aliisque pietatis exercitiis, assidui fuerunt.

VII.

Qui docent, "Fidem temporariorum a justificante "et salvifica fide non differre nisi sola duratione." Nam Christus ipse Matth. xiii. 20. et Luc. viii. 13. ac deinceps, triplex præterea inter temporarios et veros fideles discrimen manifesto constituit, quum illos dicit semen recipere in terra petrosa, hos in terra bona, seu corde bono: illos carere radice, hos radicem firmam habere: illos fructibus esse vacuos, hos fructum suum diversa mensura, constanter seu perseveranter proferre.

VIII.

Qui docent, "Non esse absurdum, hominem pri-"ore regeneratione extincta, iterato, imo sæpius re-"nasci." Hi enim per hanc doctrinam negant seminis Dei, per quod renascimur, incorruptibilitatem: adversus testimonium Apostoli Petri, Epist. 1. cap. i. 23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.*

IX.

Qui docent, "Christum nunquam rogasse pro in-"fallibili credentium in fide perseverantia." Contradicunt enim ipsi Christo, dicenti, Luc. xxii. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua;* et Evangelistæ Johanni, testanti, Johan. xvii. 20. Christum non tantum pro apostolis, sed etiam pro omnibus, per sermonem ipsorum credituris, orasse: vers. 11. *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo:* Et vers. 15. *Non oro ut eos tollas e mundo, sed ut conserves eos a malo.*

CONCLUSIO.

Atque hæc est perspicua, simplex, et ingenua Orthodoxæ de Quinque Articulis in Belgio controversis doctrinæ declaratio, et errorum, quibus Ecclesiæ Belgicæ aliquamdiu sunt perturbatæ, rejectio, quam Synodus ex verbo Dei desumptam, et Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum consentaneam esse judicat. Unde liquido apparet eos, quos id minime

decuit, citra omnem veritatem, æquitatem, et charitatem, populo inculcatum voluisse:

"Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum de præ-
" destinatione et annexis ei capitibus, proprio quo-
" dam genio atque impulsu, animos hominum ab
" omni pietate et religione abducere: esse carnis et
" Diaboli pulvinar, arcemque Satanæ, ex qua omni-
" bus insidietur, plurimos sauciet, et multos tum
" desperationis, tum securitatis jaculis lethaliter con-
" figat: eandem facere Deum authorem peccati, in-
" justum, tyrannum, hypocritam; nec aliud esse
" quam interpolatum Stoicismum, Manicheismum,
" Libertinismum, Turcismum: eandem reddere ho-
" mines carnaliter securos, quippe ex ea persuasos
" electorum saluti, quomodocunque vivant, non ob-
" esse, ideoque eos secure atrocissima quæque sce-
" lera posse perpetrare; reprobis ad salutem non
" prodesse, si vel omnia sanctorum opera vere fece-
" rint: eadem doceri Deum nudo puroque voluntatis arbitrio, absque omni ullius peccati respectu, vel intuitu, maximam mundi partem ad æternam damnationem prædestinasse et creasse: eodem modo, quo electio est fons et caussa fidei ac bonorum operum, reprobationem esse caussam infidelitatis et impietatis: multos fidelium infantes ab uberibus matrum innoxios abripi et tyrannice in gehennam præcipitari, adeo ut iis nec baptismus, nec Ecclesiæ in eorum baptismo preces prodesse queant." Et quæ ejus generis sunt alia plurima, quæ Ecclesiæ Reformatæ non solum non agnoscunt, sed etiam toto pectore detestantur. Quare quotquot nomen Servatoris nostri Jesu Christi pie invocant, eos Synodus hæc Dordrechtana per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorum, tum veterum tum recentium doctorum dictis, sæpe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, et in alienum sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum Confessionibus,

et ex hac orthodoxæ doctrinæ declaratione, unanimi omnium et singulorum totius Synodi membrorum consensu firmata, judicent. Calumniatores deinde ipsos serio monet, viderint quam grave Dei judicium sint subituri, qui contra tot Ecclesias, contra tot Ecclesiarum Confessiones, falsum testimonium dicunt, conscientias infirmorum turbant, multisque vere fidelium societatem suspectam reddere satagunt.

Postremo hortatur hæc Synodus omnes in Evangelio Christi symmystas, ut in hujus doctrinæ pertractatione, in scholis atque in ecclesiis, pie et religiose versentur, eam tum lingua, tum calamo, ad Divini nominis gloriam, vitæ sanctitatem, et consternatorum animorum solatium accommodent, cum Scriptura secundum fidei analogiam non solum sentiant, sed etiam loquantur; a phrasibus denique iis omnibus abstineant, quæ præscriptos nobis genuini sanctarum Scripturarum sensus limites excedunt, et protervis sophistis justam ansam præbere possint doctrinam Ecclesiarum Reformatarum sugillandi, aut etiam calumniandi. Filius Dei Jesus Christus, qui ad dextram Patris sedens dat dona hominibus, sanctificet nos in veritate, eos qui errant adducat ad veritatem, calumniatoribus sanæ doctrinæ ora obstruat, et fidos verbi sui ministros spiritu sapientiæ et discretionis instruat, ut omnia ipsorum eloquia ad gloriam Dei, et ædificationem auditorum, cedant. *Amen.*

Huic capiti eadem quæ prius subscribuntur nomina.

Hæc omnia de Quinque Doctrinæ Capitibus Controversis supra comprehensis, ita esse gesta testamur Illustrissimorum ac Præpotentium DD. Ordinum Generalium ad hanc Synodum Deputati, manuum nostrarum subsignatione.

EX GELDRIA.

MARTINUS GREGORII D. Consiliarius Ducatus Geldriæ, et Comitatus Zutphaniæ.

Henricus van Essen Consiliarius Ducatus Geldriæ, et Comitatus Zutphaniæ.

EX HOLLANDIA.

Walravus de Brederode.
Hugo Muys van Holy.
Jacobus Boelius.
Gerardus de Nieuburch.

EX ZELANDIA.

Symon Scotte Consiliarius et Secretarius Civitatis Middelburgensis.
Jacobus Campe Ordinum Zelandiæ Consiliarius.

EX PROVINCIA ULTRAJECTINA.

Fredericus van Zuylen van Nyevelt.
Wilhelmus van Hardevelt.

EX FRISIA.

Ernestus ab Aylva Ordinum Frisiæ Consiliarius, Orientalis Dongriæ Grietmannus.
Ernestus ab Harinxma Consiliarius primarius in Curia Provinciali Frisiæ.

EX TRANSISALANIA.

Henricus Hagen.

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS.

Hieronymus Isbrants, I. V. D.
Edvardus Jacobus Clant a Stedum.

Et Illustribus ac Amplissimis DD. Delegatis a Secretis,

DANIEL HEINSIUS.

SENTENTIA SYNODI

DE

REMONSTRANTIBUS.

